2530

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
10 K
8

Aſsistentiæ Germanicæ

DE GRATIA EFFICACI DECRETIS DIVINIS LIBERTATE ARBITRII ET PRÆSCIENTIA DEI CONDITIONATA

Diſputatio apologetica

LEONARDI LESSII è Societate IESV
S. Theol. in Academia Louanienſi Profeſſoris.

Duæ aliæ eiuſdem AVCTORIS *Diſputationes:*
altera de Prædeſtinatione & Reprobatione
Angelorum & hominum,
altera de Prædeſtinatione CHRISTI.



ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. X.

ILL^{MO} ET REVEREN^{MO}

DOMINO

D. GVIDONI BENTIVOLIO ARCHIEPISC. RHODIENSI S. D. N.

ad Seren^{mos} Belgij & Burgundiæ PRINCIPES *cum poteſtate Legati à latere*

NVNTIO

LEONARDVS LESSIVS S. D.

INTER multa, quæ à Theologis præclarè diſputantur, Ill^{me} & R^{me} Domine, non poſtremum locum obtinent ea, quæ de Gratiæ efficacitate, & Viribus liberi arbitrij, De concurſu Dei cum cauſis creatis, De prouidentia & decretis diuinis, De præſcientia Dei, De prædeſtinatione & reprobatione agitari ſolent. Nihil ferè eſt quod animus humanus, cùm à terrenis ſe abduxit, æquè deſideret cog-

noſcere , & in quo plus ſolatij inueniat, veritate comperta. Intereſt etiam ſalutis, rectè de iſtis ſentire. Prout enim quis de iſtis ſenſerit in theoria; ita lętiùs vel acriùs excitabitur ad praxin, fluxarum, inquam, rerum aſpernationem, bonorum operum ſtudium, carníſque mortificationem.

Et quamuis in iis, quæ de iſtis capitibus ab Eccleſia Catholica expreſsè ſunt definita contra hæreticos, Catholici Doctores conſentiant; tamen in nonnullis ſubtilioribus adhuc eſt controuerſia, quæ ante viginti annos non parùm in Belgio, deinde in Hiſpania multorum concertatione viguit. Fuit ea iam bis ad Sedis Apoſtolicæ iudicium, in quo omnes Catholici libenter acquieſcunt, delata; ſed poſt longam multorum annorum diſputationem, ob rei ſubtilitatem, viſum fuit nihil in alteram partem definire, ſed antagoniſtis ſuam permittere ſententiam, vetita vtrimque acerbiore cenſura: ſapientiſſimo plane conſilio. Nam intereà res magis per otium, tum academicis lectionibus & diſputationibus, tum libris in publicum editis, poterit diſ-

cuti

cuti & examinari. Quod dum fiet, vel alterius partis ſententia ſponte euaneſcet, altera vbique obtinente; vel cauſa tandem ſatis inſtructa erit, excuſſis omnibus quæ difficultatem ingerebant, vt cùm viſum fuerit S. Sedis Apoſtolicæ prouidentię, poſſit in alteram partem aliquid certi ſtatui.

Scripſi de iſtis ante annos viginti Diſputationes aliquot, quæ etſi multorũ in manibus verſatæ fuerint, in lucem typis non ſunt editę, certis cauſis me ab eo conſilio auocantibus. ſed nouiſſimè ante octo vel nouẽ annos iſtas conſcripſi, occaſione tunc oblata per quẽdam librum typis excuſum, quo aliqui Theologi noſtræ Societatis, & in primis Ludouicus Molina vir doctiſſimus, & de ſcholis Theologicis optimè meritus, acriùs perſtringebatur. Suppreſſi tamen hactenus certo conſilio, etſi aliqui viri docti me ſępiùs ad editionem ſunt cohortati. Tandem ſublatis iis quæ me detinuerant, cenſui publico permittẽdas, ad innocentię & veritatis tutelam. Adieci diſputationem De prædeſtinatione Sanctorũ, & reprobatione impiorum, & aliam De præ-

deſtinatione Chriſti, quas ad aliud quoddam opus explendum ſuperiori anno confeceram.

Non putaui nomina eorum, aduerſus quos diſputo, exprimenda, ſecutus in eo ſanctorũ Patrum & S. Thomæ exemplum. hoc enim non parum animos acerbat, & fraternam charitatem, cui ante omnia conſulendum, lædit: & aduerſariis Eccleſiæ occaſionem calumniandi ſuppeditat. Poſſunt ſententiæ referri, & diſcuti, earum auctoribus ſilentio ſuppreſſis.

Has diſputationes, Ill^me Domine, tuo nomini inſcribendas putaui. Cui enim aptiùs offerantur, quàm illi Viro, qui nobis hic ſupremum illud Religionis Chriſtianæ culmen, ad cuius tribunal ardua quæſtionum de Religione ſunt deferenda, repræſentat? Cuius præclaræ dotes animi, dignitas oris, corporis heroica ſpecies, ſtirpis antiqua & illuſtris nobilitas, Summum Pontificem permouêre, vt ſuas ei vices, ſuamque auctoritatem, in iſtis populoſiſſimis, & diuturnis bellis religioniſque diſſidiis exagitatis prouinciis, committeret. Nimirum exiſti-

exiſtimauit ille, Te, etſi adhuc mediæ ætatis, ob ornamenta quæ cõmemoraui, non minore prudentia & ſucceſſu hunc Eccleſiaſticum geſturum Magiſtratum; quàm olim tui maiores geſſere politicos & militares, ductantes exercitus, conſerentes prælia, fugantes hoſtem, reportantes victorias, & triumphos promerentes. Accedit quòd controuerſiæ, quæ de iſtis doctrinæ capitibus ante viginti annos hîc efferbuerant, mox auctoritate Sedis Apoſtolicæ per Nuntium Apoſtolicum feliciter fuerint compoſitæ; ſententiis, quæ hîc aſtruuntur, à cenſoria nota vindicatis. Itaque par eſt, vt ſub nomine & tutela Nuntij Apoſtolici, per quem hoc beneficium eſt præſtitum, in lucem exeant. Denique voluit noſtra Societas in iſtis prouinciis, erga Ill^mam^ tuã D^nem^, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, quam in tuo ſuſpicit munere, ſuum affectum & cultum hoc veluti ſymbolo teſtari; & ſe ad omne obſequium promptam offerre. Confido pari affectu à tua Illma D^ne^ ſuſceptum iri; & oblatũ officium ei cordi fore, vt non ſolo verbo videatur oſtentatũ, ſed

re-

reipſa aliquãdo præſtetur. Notum prudentiæ veſtræ, quo nexu noſtra Societas Petri cathedræ ſit deuincta; qua reuerentia illam Sedem & eius Legatos ſolita ſit vbique terrarum proſequi, qua fide & ſtudio ad Religionis Catholicę incrementum & ſtabilimen obſequi.

Pergat itaque Illma D^tio^ tua illam fouere, & miniſteria illius in iſtis Belgicæ fluctibus aura fauoris ſui proſequi, vt in ſalutẽ plurimorum exundent. Nobis nec ſeritur nec metitur, ſed populorum ſaluti, Apoſtolicę Sedis amplitudini, Catholicæ Religioni, gloriæ Chriſti. Honores ipſa profeſſione excluſimus; opes deſeruimus; ſpes huius ſæculi abrupimus: habentes victum & veſtitum, his cõtenti ſumus. Viam dumtaxat expeditam ad munia noſtra, ad ſalutis animorum curam, exoptamus. Diuinam clementiam precamur, vt te, Ill^me^ D^ne^, quàm diutiſſimè incolumem tueatur; & omnibus bonis in hoc ſæculo cumulatum, iuſtitiæ corona in futuro, pro multis præclarè ad gloriam ipſius, & animorum ſalutem geſtis, remuneret.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

ANNI *ſeptem ſunt vel octo, cùm hæc apologica Diſputatio à me conſcripta. Occaſionem dedit opuſculum quoddam benè longum De auxilio gratiæ efficacis, in quo acriter aliquot clariſſimi noſtræ Societatis Theologi perſtringebantur. Ibat hoc per manus multorum occultè, & à multis æſtimabatur, à quibuſdam etiam deſcribebatur. Itaque viſum fuit reſpondere, incitantibus me ad hoc quibuſdam amicis. Feci id paucis menſibus; idque eò faciliùs & libentiùs, quòd de iiſdem ſententiis mihi ante multos annos à quibuſdam viris doctis grauis controuerſia fuiſſet mota, & longa diſputatio interueniſſet. Preſſi tamen reſponſum meum, tum ob alias cauſas, tum quòd illæ ſententiæ iam Romæ diſcuterentur, & diceretur aliqua in alteram partem à S. Sede Apoſtolica expectari definitio: cuius iudicium cùm putaretur imminere, non volui videri anteuertere. Verùm poſt multas & longas diſputationes, viſum fuit S. Sanctitati (ſapientiſſimo haud dubiè conſilio) nondum quidquam certi ſtatuere, ſed ſuam vtrique parti permittere opinionem: ea tamen moderatione, vt neutra alteram damnaret, aut acerbiore cenſura notaret, donec per opportunitatem, quid tenendum ſit, à S. Sede Apoſtolica decideretur. Simili modo Sixtus V. ante annos viginti in Belgio eidem controuerſiæ per Illuſtriſſimum Dominum Octauium Frangipanium ſuum Nuntium finem impoſuerat. Quare cùm alia definitio non videatur breui expectanda; putarunt amici non differendam editionem. Sed ob profectionem in vrbem, quæ annum ferè exhauſit, & alias cauſas, hactenus diſtuli. & iam induxeram in animum non euulgare hac forma, ſed præcipua quæque iſtis commentariis in primam Secundæ D. Thomæ, ſi Deus vitam dediſſet, inſerere. Sed multæ rationes magni momenti me tandem in contrarium impulerunt.*

Primò, vt multa quæ falsò imponuntur noſtris Theologis detegantur: ne, qui librum illum legerunt, vel lecturi ſunt, in talibus erroribus eos hærere putent, & vera eſſe quæ confidentiſſimè illis aſſignantur. Deinde, vt ſtatum controuerſiæ, quæ tot iam annis viguit (qui non ſincerè ibi deſcribitur) & ſententiarum antitheſin patefaciam. Scitur enim vbique, graues fuiſſe de rebus Theologicis, tum hîc, tum in Hiſpania, & Romæ, inter noſtros & alios quoſdam Theologos diſputationes: ſed ſententiarum diſcrimen ignoratur, multiſque etiam viris nobilibus & Prælatis perſuaſum eſt aduerſariorum ſententiam eſſe D. Auguſtini; noſtrorum verò diuo Auguſtino aduerſari, adeò vt alia nota neſciant illas diſtinguere. quò fit vt multi qui norunt quanti doctrina diui Auguſtini, in iis quæ aduerſus Pelagianos diſputauit, ſit facienda, damnent noſtrorum ſententiam, quam neſciunt. Scio quoſdam huiuſmodi falſis impoſitionibus deceptos vetuiſſe ſuis lectionem operis Molinæ; & vnum ex illis virum alioquin doctum & pium edixiſſe ſuis, ſi apud aliquem eorum opus Molinę de iſtis materiis reperiſſet, ſe illud coniecturum in ignem. Præterea ſunt adhuc aliqui, qui etiam poſtquam Sedes Apoſtolica iam ſecundò huic controuerſię finem impoſuit, & cenſoria iudicia aduerſus noſtrorum ſententiam à quibuſdam facta aboleuit, putent non eſſe eam ſatis ſecuram; imò datum gratię Societatis, quòd non ſit condemnata. Nec deſunt qui dixerint Societatem eo nomine periculoſam eſſe, quòd conſtet magnis ingeniis, quæ per philoſophiam & ſcholaſticas ſubtilitates quiduis tueri poſſint, & veritatem ita inuoluere, vt Eccleſia non facilè aliquid certi definire poſſit. Denique quidam eò ſunt progreſſi, vt maximis Prælatis & Principibus conati ſint perſuadere, noſtros eſſe inuentores nouitatum, nec expedire eos publicè in Vniuerſitatibus Philoſophiam & Theologiam profiteri. Nouitates vocabant ſententias illas, quibus prædefinitiones & prædeterminationes, de quibus in hoc opere diſputatur, tollebãtur. Circumfertur etiam ſcriptum quoddam anonymum, cuius duo mihi Louanij apographa

ſunt

ſunt oſtenſa, in quo profitetur auctor (quiſquis ille demum eſt) ſe ponere argumenta noſtrorum, quibus in materia De efficacia gratiæ vtuntur, & confidenter affirmat eadem doctrina, iiſdem argumentis, & eodem procedendi modo olim vſos fuiſſe Pelagianos & Semipelagianos; aſsignatis ad marginem locis D. Auguſtini, ex quibus id apertè putat conſtare, eamque rem vult adeò eſſe perſpicuam, vt veluti in cauſa ſatis diſcuſſa ne audientiam quidem concedendam illis putet ante damnationem, ſolumque ſupereſſe remedium pœnitentiæ & palinodiæ.

Grauia ſunt iſta, & minimè diſsimulanda. Quare neceſſarium omnino viſum eſt, refutationem iſtius Tractatus, quo talia & acerbiora continentur, in lucem emittere; vt conſtet omnibus, quàm immeritò iſta de noſtrorum ſententiis vel ſcribantur, vel dicantur, vel cogitentur. Hinc enim pateſcet eas non eſſe nouas, nec ſubtilitatibus dumtaxat philoſophicis ſubnixas, ſed antiquas & probatas, ac non ſolùm recentiorum, ſed etiam veterum Eccleſiæ Doctorum, & ſacrorum Conciliorum, atque adeò ipſius Scripturæ diuinæ auctoritate ſuffultas: neque noſtros D. Auguſtini doctrinæ in iis quæ contra Pelagium diſputauit aduerſari, ſed eam maximè ſequi, & à multis non rectè intellectam, probè explicare. denique non eſſe datum gratiæ Societatis, ſed iuſtitiæ, quòd ſua Sanctitas hanc doctrinam vetuit damnari, aut cenſura aliqua notari; non obſtante grauiſsima multorum impetitione. Non eſt metuendum ne Societatis Doctores veritati tenebras offundant, nouitates & errores inuehant. Satis dederunt hactenus ſui ſpecimen in hoc genere, non ſolùm lectionibus publicis, ſed editis etiam libris, in omnes Philoſophiæ, & Theologiæ, & Scripturæ diuinæ partes. In quibus quanta ſit doctrinæ vbertas & ſoliditas, quàm multa antè obſcura ſint illuſtrata, & parum firma refutata, norunt omnes Academiæ, & viri docti fruuntur, & hæretici dolent, vt non ſit neceſſe plura de his commemorare. Sed coëgit me hæc obiter indicare grauitas criminationis, ne dicam impudentia calumniæ. Inuigilat in hanc

rem Superiorum induſtria, & in primis Præpoſiti Generalis, viri ſapientia, religione, & rerum vſu, præter ceteras animi dotes, planè eximij, qui in hunc finem multa præclarè conſtituit, quæ accuratè ſeruantur.

In refutando eam ſeruabo moderationem, quam charitas & veneratio eorum, qui aliter ſentiunt, poſtulat, & S. Sanctitas præſcripſit. Abſtinebo à conuitiis & cenſuris, quibus Tractatus iſte plus æquo largus eſt. Teſtor me nihil velle damnare, aut cenſura grauiore perſtringere, niſi quod S. Sedes Apoſtolica damnat & perſtringit. Si tamen ratiocinando oſtendam quid ex huiuſmodi ſententiis ſequi videatur, nemo id damnationem vel cenſuram interpretari poteſt. Multa enim dogmata non alia ratione diſcuti aut examinari poſſunt. Vbi enim apodictica ſeu oſtenſiua ratio probandi deficit, neceſſe eſt vti ea quę ducit ad abſurdum ſeu impoſſibile, vt Ariſtoteles docet; quale cenſetur in Theologia, quod fidei dogmatibus repugnat. Itaque hoc ratiocinationis genus velle impedire in hac cauſa, eſt tollere omnem diſputationem, omne examen, omnem ſententiarum diſcuſſionem; & doctrinæ incertæ, quam plurimi Doctores in variis orbis academiis valdè improbant, quidam etiam grauiter cenſuerunt, tamquam certę & ſecurę velle omnes acquieſcere. Non fuit ea mens S. Sanctitatis; non voluit impedire ſerium examen ad veritatem deprehendendam neceſſarium. Expedit enim Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, vt huiuſmodi dogmata, quæ multis videntur nouitia, diligentiſſimè excutiantur; maximè cùm ea ſunt huiuſmodi, vt multa alia ingentis momenti ex illis pendeant: qualia ſunt ea, de quibus hîc diſputatur. Accedit quòd hæretici huius ætatis illis veluti fundamentis nitantur, ad euertendam voluntatis noſtræ libertatem ac meritum, & ad ſtatuendum fatum, Deumque auctorem malorum. Vnde ſentio in vniuerſa Theologia non eſſe aliquid maioris momenti, aut dignius acri examine, quàm ſint iſta de quibus hîc agitur; vtpote ex quibus tota noſtra Religio pendeat. Malè profectò de Veritate &

ipſa

ipſa Religione mereretur, qui de huiuſmodi nullam diſputationem, ſub prætextu vitandæ cenſuræ, fieri vellet. Opto & hortor totis animis quotquot vbique ſunt S. Theologiæ Profeſſores, vt iſta diligentiſſimè excutiant; vt tandem veritas paſſim eluceſcat, falſitate detecta. Proderit quoque huiuſmodi examen ad faciliorem veritatis definitionem, ſi quando S. Sedi Apoſtolicæ viſum fuerit aliquid in alteram partem ſtatuere. Edidit in lucem de iſtis quæſtionibus opuſculum doctiſſimum (quod tamen mihi ante hoc Reſponſum conſcriptum non eſt viſum) noſter P. Franciſcus Suares, vir de omnibus Theologorum & Philoſophorum ſcholis optimè meritus, quod erudito Lectori ad rei intelligentiam abundè poſſit ſufficere. Sed quia iſtud à multis, vt video, vel non legitur, vel non intelligitur; & iſte Tractatus, de quo agimus, eſt poſterior, & nouis teſtimoniis ac rationibus ſcatet, & ſententiam noſtrorum peruertit, & ob alias cauſas iam antè commemoratas, neceſſarium amicis viſum, vt hoc Reſponſum, in quo omnia breuiter & diſtinctè excutiuntur, non ſupprimeretur. Precor Deum venerans, vt hæc omnia ſint abſque offenſione eorum qui aliter ſentiunt. Innocentiam enim noſtram defenſum imus, falsò impoſita amolitum, ſiniſtras multorum de noſtra doctrina ſuſpiciones & rumores diſcuſſum, veritatem inquiſitum, veritatem ex tenebris in lucem euocatum. Nemo illius examen, & neceſſarium noſtri patrocinium, ſuæ ſententiæ iniuriam interpretetur.

Perioche tractandorum.

CIRCVMFERTVR in variis Belgicæ locis Tractatus quidam De auxiliis gratiæ, & eorum efficacia, in quo doctiſſimis quibuſdam viris graues errores & apertæ hæreſes impinguntur: idq́ue ea confidentia & verborum auctoritate, iis aculeis & obiurgationibus, ea teſtimoniorum ex Scripturis, Conciliis, & Patribus copia, ac ſi in apertos Pelagianos vel Pelagianorum reliquias cauſa ageretur. Et quamuis eorum nomina non exprimantur, ex verbis tamen quæ citantur, & aliis circumſtantiis, nemo non intelligit præter ceteros maximè impugnari Ludouicum Molinam optimè de Theologia ſcholaſtica meritum. qui abhinc annum ex hac vita migrauit. Ne igitur lectores decipiantur, putentq́ue in hoc auctore, vel aliis, quos hic Tractatus impetit, huiuſmodi errores hærere, ſimúlq; intelligant quis ſit in quæſtione inter noſtros Theologos & alios quoſdam iam aliquot annis agitata, De auxiliis diuinæ gratiæ & eorum efficacia, controuerſiæ ſtatus (qui ſanè in illo Tractatu non rectè explicatur) & vtra ſentētia ſit Scripturis diuinis, Conciliorum definitionibus, ſanctorum Patrum teſtimoniis, Doctorum Scholaſticorum placitis, & veræ Philoſophiæ rationibus conformior, magíſque recedat non ſolùm ab omni hæreſi & errore, ſed etiam ab omni ſpecie erroris: denique vtra magis torporem excutiat, deſperationem amoueat, ad bona opera excitet, conſolationē mentibus fidelium inſtillet: hoc opuſculum apologeticum mihi conſcribendum putaui, quo breuiter, dilucidè, & neruosè conabor hæc omnia perſequi & declarare.

Primò oſtendam non rectè controuerſiæ ſtatum ab illo auctore explicatum, & multa falsò doctiſſimis Theologis imponi.

Secun-

Secundò, explicabo controuerſiam principalem, & quaſdam ſecundarias huic annexas.

Tertiò, oppugnabo ſententiam aduerſam. Aduerſariæ enim expugnatio, noſtræ eſt defenſio.

Quartò, ſoluam argumenta. In decurſu obiter indicabo multa ἀσύστατα in eodem Tractatu contineri, ſimulq́; quid in acceſſoriis illis ſentiendum ſit, aperiam: omiſſis vbique aculeis verborum, quibus ſingula propè argumenta ſunt communita, aliíſque parergis & anemoliis.

Diſtributa eſt hæc DISPVTATIO in XX. Capita.

I. *Occaſio controuerſiæ. Non rectè ſtatum quæſtionis in illo Tractatu explicari: & multa falsò Molinæ imponi.* 1

II. *Capita controuerſiæ explicantur.* 3

III. *Refutatio gratiæ prædeterminantis ex euerſione præcipui fundamenti ſumpti ex decretis diuinis, & motione primæ cauſæ.* 8

IV. *Reſponſio ad argumenta pro decretis & motione primæ cauſæ.* 26

V. *Refutatio ſecunda gratiæ prædeterminantis ex euerſione alterius fundamenti, quod eſt de natura liberi arbitrij.* 46

VI. *Refutatio tertia gratiæ prædeterminantis ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis.* 59

VII. *Refutatio quarta ex Conciliis.* 63

VIII. *Refutatio quinta ex Patribus, Scholaſticis, & recentioribus.* 69

IX. *Refutatio ſexta per varias rationes ex incommodis.* 79

X. *De errore Maſſilienſium, & Faciente quod in ſe eſt. & reſpon-*

reſponſio ad quædam argumenta contra gratiam non determinantem. 91

Appendix ad Cap. X. De faciente quod in ſe eſt. 111

XI. Reſpondetur ad teſtimonia Scripturarum, quæ pro gratia prædeterminante adferuntur. 122

XII. Reſpondetur ad teſtimonia Conciliorum pro gratia determinante. 138

XIII. Reſpondetur ad teſtimonia Patrum pro gratia determinante. 150

XIV. Reſpondetur ad teſtimonia D. Thomæ & D. Bonauenturæ pro gratia determinante. 160

XV. Explicatur ſententia, quæ ſtatuit auxilium præueniens non cooperari phyſico influxu in opus, eaque vindicatur. 168

XVI. Reſpondetur ad rationes quibus auctor probat prædeſtinationem eſſe certam, & effectus gratiæ certò euenire non ex præſcientia, ſed ex vi & natura gratiæ efficacis. 179

XVII. Reſpondetur ad quædam argumenta & teſtimonia de gratia prædeterminante. 184

XVIII. Reſpondetur demonſtrationibus Theologicis illius auctoris, & aliis quibuſdam aliorum rationibus pro gratia prædeterminante. 193

XIX. Explicatur & defenditur ſcientia media, quam præſcientiam conditionatam vocamus. 215

XX. Soluuntur argumenta, quæ contra illam obiiciuntur. 230

DE

DE GRATIA EFFICACI DECRETIS DIVINIS LIBERTATE ARBITRII ET PRÆSCIENTIA DEI CONDITIONATA

Diſputatio apologetica.

CAPVT PRIMVM.

Occaſio huius Controuerſiæ: non rectè ſtatum quæſtionis explicari: & multa falsò imponi.

ORTA fuit hîc Louanij annos abhinc vigintiduos non modica de diuina prouidentia, decretiſque diuinis, deq; auxiliis gratiæ, & eorum efficacitate controuerſia; quæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ad quam mox delata fuit, per Illmum D. Nuntium Octauium Frangipanium Epiſcopum Tricaricenſem feliciter compoſita fuit, noſtra in poſſeſſione permanente doctrina. Sed cùm omnia hîc eſſent tranquilla, biennio circiter pòſt excitata eſt eadem controuerſia magna contentione in Hiſpania, occaſione præclari opuſculi Ludouici Molinæ de concordia liberi arbitrij & prædeſtinationis, quod circa illud tempus in lucem exierat. Collectas enim ex illo quaſdam propoſitiones, quibus reiiciebantur abſolutæ omnium rerum prædefinitiones, & cauſarum omnium maximè liberarum phyſicæ prædeterminationes, graui cenſura perſtrinxerunt, & à Iudicibus S. Officij curarunt vetari, donec S. Sedes Apoſtolica permiſit eas rurſus doceri. Tandem poſt multas diſputationes, iterùm ad Sedem Apoſtolicam res eſt deducta, omni ope agentibus aduerſariis, vt liber Molinę prohiberetur. Intercà dum res extrahitur, & à primario capite, de quo

Occaſio controuerſiæ, & illius tractatus conſcribendi.

 erat

erat quæſtio, artificio quodam receditur, Tractatus iſte ad inſtructionem cauſæ conſcriptus eſt; nempe vt ſententia à S. Sede Apoſtolica faciliùs ferri poſſit. Verùm in eo & punctum difficultatis non rectè explicatur, & multa contra veritatem diuerſæ ſententiæ propugnatoribus impinguntur. Primùm non ponitur ſtatus controuerſiæ planè & diſtinctè, neque ex fide; ſed obſcurè, verbis ambiguis, & ſparſim, idque eo modo, quaſi præcipua diſſenſio in his duabus quæſtionibus ſit poſita; *Vtrùm liberum arbitrium præueniat gratiam?* &, *Vtrùm gratia præueniens & adiuuans ſit ſolùm auxilium morale an phyſicum?* Noſtriſque aſſignatur pars aiens, eaque luculentè impugnatur, cùm tamen noſtri longiſſimè ab his ſententiis abſint, vt infrà conſtabit; & in his noſtra controuerſia ſita non ſit. Deinde paſſim multa alia imponuntur, quorum contraria apertè noſtri tradunt. Aliqua ex his recenſebo.

Non rectè ſtatum quæſtionis exponi.

Multa falsò imponi.

I. eſt error Gallorum, nempe *Liberum arbitrium præuenire gratiam Dei. & ſolis naturæ viribus debere incipere opus bonum, vt opere incepto gratia adiuuet.* Ita imponitur cap. 9. 11. 13. & alibi. Cõtrarium expreſsè docet Molina in Concordia q. 14. art. 13. diſput. 41. & aliis locis, vt infrà oſtendetur cap. 10. n. 7. & 8.

II. eſt, *Liberum arbitrium facere vnam partem operis boni; Dei gratiam, alteram.* cap. 10. & cap. 14. Contrarium tenet Molina in Concordia q. 14. ar. 13. diſput. 37. vbi expreſsè docet, *totum opus eſſe à Deo, & totum à libero arbitrio, & totum à gratia præueniente.* Idem fusè docet diſput. 38. vbi oſtendit *opus bonum ſecundùm omnes gradus genericos & ſpecificos eſſe à gratia & à libero arbitrio.* & q. 23. ar. 4. & 5. diſput. 1. m. 7. vide infrà cap. 10. n. 14. & 17.

III. *Liberum arbitrium priùs natura operari bonum opus, quàm gratia cooperetur.* cap. 10. in principio. Contrarium expreſse docet Molina q. 14. art. 13. diſput. 41. §. Dixi toties; vbi oſtendit *influxum gratiæ in opus, & liberi arbitrij & Dei, eſſe omnino ſimul natura, & à ſe mutuo pendere.* & diſput. 40. §. Ad ſecundũ, probat, *non eſſe dicendum, exiſtẽtibus in duobus adultis æqualibus auxiliis gratiæ præuenientis, vnum eorum pro ſola ſua libertate conuerti, alterum non: quia licet conuerſio illa à libertate pendeat, fiatq; ab arbitrio, pro ſua libertate; non tamen ſit pro ſola ſua libertate, ſed cooperante ſimul auxilio gratiæ præuenientis*, &c. infrà cap. 10. n. 8. & 14.

IV. *Auxilium præueniens non eſſe efficiens ſeu phyſicum, ſed morale; quod ſumit efficaciam ex parte motionis obiecti & præſcientiæ diuinæ.* Ita imponitur c. 19. Contrar. fusè docet Molina diſp. 40. & 41.

V. *Deum*

v. *Deum prænoſſe futuras actiones liberas, non in voluntate humana determinata, ſed in potentia liberi arbitrij, vt in cauſa.* Ita c.20. Contrarium docet Molina in 1. p.q. 14.ar.13. diſput. 14. concluſ.1. & diſput. 15.§. Iuxta ea, & alibi ſæpè.

vi. *Nullam noſtros Theologos re ipſa, motioni diuinæ gratiæ, efficaciam tribuere.* cap.20. Contrarium docet Molina in Concordia diſputat. 40.& 41. vbi oſtendit *opus eſſe ſupernaturale ex influxu gratiæ.* de quo infrà cap. 10. n. 11.

vii. *Noſtros aliquid tribuere voluntati ex ſola naturæ virtute, quo ſe diſcernit.* Ita habetur cap. 21. Contrarium fusè docet Molina q 14. ar.13. diſput. 40. §. Ad primum. & alibi. vide inf.cap.10.n.14.

viii. *Quòd gratia voluntatem, vt bonum velit, ſolùm ex parte obiecti moueri faciat.* cap.22. cùm tamen initio eiuſdem capitis apertè ſic dicatur: *Ex parte obiecti voluntatis, motionem, illuminationem, atque alia, quibus libero arbitrio bonum reddatur amabile, conſtituunt; ex parte verò potentiæ voluntatis, auxilium ſufficiens aſſeuerant, quod potentiam iuuat.* Itaque auctor hîc ſeipſum refutat.

ix. *Quòd homo pro ſua innata libertate bonum eligit, priuſquam à Deo trahatur electus.* cap. 22. Contrarium docet Molina in Concordia q. 14 ar. 13. diſput. 8. & 9. infrà cap. 10.

x. *Conſenſum noſtræ voluntatis in bonum ex vi naturæ elicitum præuenire gratiam.* c.26. Cōtrarium docet Molina diſp.8.& 9. ſuprà.

Hæc & ſimilia paſſim tribuuntur Molinæ & aliis Theologis noſtris, tamquam ipſi hæc in terminis doceant, aut euidentiſſimè ex illorum doctrina ſequantur; eaque fuſiſſimè oppugnantur, ſic tamen vt paſſim ex oppugnatione ſtatuatur gratia efficax liberum arbitrium prædeterminans. Verùm in reſponſione ad argumenta tota hęc σκευωρία clariùs detegetur, & conſtabit noſtrorum doctrinam his erroribus affinem non eſſe. Sequitur vt controuerſię ſtatus explicetur.

CAPVT II.

Explicantur capita controuerſiæ.

1 NOn eſt quæſtio inter Theologos noſtros & alios quoſdam, vtrùm gratia præueniat liberum arbitrium, vt impius iuſtificetur: aut vtrùm illa gratia ſolùm ſita ſit in obiecti propoſitione ſeu illuſtratione mentis, an verò requirat etiam aliquid pręuium in voluntate. nemo enim hac ætate Catholicus doctor de his dubitauit. Sed

id de quo iam à multis annis acerrimè inter eos diſputatur, eſt, vtrùm ad conuerſionem peccatoris, ſeu ad conſenſum quo gratiæ vocanti conſentit, requiratur quædam Dei motio & impulſus natura ſua efficax, qui voluntatem humanam ad conſenſum phyſicè prædeterminet, quem habere non ſit in eius poteſtate, & cui præſenti non poſſit reſiſtere. Idem quæritur de omnibus operibus bonis, imò de omnibus voluntatis actibus, vtrùm ad ſingulos actus requiratur impulſus ille præueniens libertatem, qui voluntatem efficaciter prædeterminet.

Sententia de gratia prædeterminâte.

2 Non deſunt Theologi, qui putent ad conuerſionem peccatoris (id eſt ad actũ contritionis vel amoris Dei ſuper omnia) & ad quoduis opus bonum, præter illuminationem intellectus, & pias affectiones voluntatis, & præter omnes habitus ſupernaturales, talem motionem ſeu impulſum requiri. de quo docent multa, præſertim ſequentia. Primò, eum præuenire noſtram voluntatem. Secundò, non eſſe in noſtra poteſtate, vt in nobis ſit vel non ſit, cum enim dari ex diuino decreto ante omnem operum præuiſionẽ facto. Tertiò, cùm in nobis eſt, non poſſe nos illi reſiſtere. Quartò, eodem momento quo eſt, poni conſenſum voluntatis. Quintò, hunc impulſum priùs natura poni in voluntate, quàm ipſa conſentiat, & per hunc determinari voluntatem ad conſenſum. Sextò, hunc impulſum requiri ratione dependentiæ & ſubordinationis quæ eſt inter cauſam ſecũdam & primam; ac proinde ad omnes motus voluntatis etiam malos ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſpectatos, & ad omnes motus & operationes omnium cauſarum creatarum neceſſarium eſſe. Ita tenet auctor illius tractatus cap. 6. 20. & 21. non ſolùm de omnibus operibus ſupernaturalibus, ſed etiam de omnibus naturalibus etſi malis.

3 Cap. 6. ſic ait: *Quibuſcumque virtutibus ſeu potentiis datis, non adeſt facultas operandi, niſi Deo illas mouente. Videmus enim in corporalibus quòd ad motum non ſolùm forma requiritur, quæ principium eſt motus ſeu actionis; ſed etiam neceſſarius eſt motus primi mouentis, quod in ordine corporalium eſt corpus cæleſte. Vnde quamuis calor ignis ſit perfectus, numquam tamen calefaciet, niſi à corpore cæleſti moueatur. conſtat autem quòd ſicut motus omnes corporales ad motum cæleſtis corporis reducuntur, ſicut in primum mouens corporale: ſic vniuerſi motus tam corporales quàm ſpiritales, in primum mouens ſimpliciter, reducantur neceſſe eſt. & ideò quantumcumque natura aliqua ſiue corporea, ſiue ſpiritalis perfecta proponatur, in ſuum actum prodire non poteſt, niſi à Deo moueatur. non enim à Deo ſolùm eſt omnis formalis perfectio,*

ſiue

ſiue habitus ſit, ſiue potentia, tamquam à primo actu quoad eſſe & conſeruari dependens; verùm etiam omnis actio ei tamquam primo mouenti ſubſternitur. Hinc eſt quòd Iſaias dixit: Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. & Chriſtus Dominus ait: Sine me nihil poteſtis facere. & Apoſtolus inclamat: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere. conſtat igitur vltra gratiam habitualem neceſſariam eſſe motionem diuinam, quæ nos faciat operantes, quam auxilium ſpeciale vocant Theologi. Hæc ibi. vbi apertè ad omne opus, etiam malum, requirit hanc primæ cauſæ motionem, qua voluntas præueniatur & determinetur ad opus ſeu ad volitionem.

Quid vocetur auxiliũ ſpeciale à Theologis.

4 Cap. 20. *Cognoſcit igitur Deus affectus liberos in ſuis cauſis determinatis & completis, cùm vniuerſas cauſas creatas in ſua eſſentia cognoſcat, prout eſt prima cauſa, omnibus cauſis eſſe conferens, virtutem communicans, & determinationem præfigens, ad operandum, cui mouenti nihil valet reſiſtere.* Hic expreſsè, liberum arbitrium ponit prędeterminari ad omnes ſuos actus, ita vt illi determinationi non poſſit reſiſtere.

Motioni diuinæ, quæ omni operationi eſt præuia, nihil poſſe reſiſtere.

5 Cap. 21. *Sol non generat hic & nunc ignem, niſi cauſa proxima producente & determinante ipſum, operetur. Dei autem cauſalitas per ordinem ad vniuerſos effectus nullatenus à cauſis ſecundis determinatur, ſed omnia determinat, à quo cuncta ſecundùm quemcumque modum eſſendi dependent.*

Deũ determinare omnes cauſas ſecundas ad omnes ſuos effectus ſecũdum omnes modos ſeu circũſtantias effectuum.

6 Idem continetur in theſibus, Neapoli defenſis anno 1600. in feſto Pentecoſtes, cõcluſ. 8. *Vnde*, inquit, *concludendo affirmamus, auxilium gratiæ præuenientis, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, efficaciter & ex ſe & prout eſt à Deo noſtram in omnibus actibus ſupernaturalibus præmouere voluntatem ante omnem eius liberam determinationem. Imò in vniuerſum, Deus illam in omnibus ſuis actibus phyſicè prædeterminat.*

Deum phyſicè prædeterminare voluntatem in omnibus ſuis actibus.

7 Idem docet quidam Doctor in 1. p. q. 19. ar. 8. *Diſplicet*, inquit, *quod ait Caietanus, virtutem primæ cauſæ modificari per cauſam ſecundam, non tamen impediri. Imò verò diuina voluntas omnia modificat, dum cauſa eſt vniuerſaliſſima & efficaciſſima cuiuſlibet rei, quantum ad fieri, & quantum ad eſſe, & quantum ad modum.* Deinde id multis probat; & ſubiicit: *Hæc doctrina valdè notanda eſt pro materia de gratia & prædeſtinatione, in qua multi paralogizantur, putantes quòd liberum arbitrium hominis modificat æqualem concurſum & auxilium Dei, determinans illud ad magis vel minùs efficiendum. & ita ſolent aliqui ignoranter dicere, quòd cum æquali auxilio gratiæ Dei, vnus*

Diuinã voluntatẽ modificare concurſum omnium cauſarum ſecundarũ, vt producant effectum cũ omnibus circũſtantiis & modis ſuis.

conuertitur & alius non: qua via facilè inciditur in errorem Pelagianorum. Nunc autem, ſatis nobis ſit aſſerere, quòd non ſolùm cauſa ſecunda non poteſt impedire cõcurſum vniuerſaliſſimæ cauſæ, vt dixit D. Thomas qu. 19. ar. 6. ad 3. ſed etiam neque modificare concurſum vniuerſaliſſimæ cauſæ, quæ omnia operatur, & in omnibus quod vult & quomodo vult.

Cauſa ſecunda non poteſt concurſum præuium cauſæ ſecundæ impedire.

Cauſam ſecundam non poſſe impedire quin effectus fiat à Deo.

Et infrà: *Omnis effectus per ordinem ad Deum eſt infallibiliter eueniens nec impedibilis.* His locis apertè traditur ad omne opus voluntatis requiri motionem præuenientem & prædeterminantem, quæ à voluntate impediri nequeat. omitto alia plurima, quibus hęc ſententia apertiſſimè traditur. 8

Altera ſententia quæ Gratiam prædeterminantem tollit.

Contrariam ſententiam tenet Molina & alij noſtræ Societatis Theologi: qui docent Primò, neque ad conuerſionem neque ad alia opera pietatis (multo minùs ad opera ſolùm moraliter bona, vel ad mala) requiri aliquam motionem præuenientem ſiue impulſum prę-uium qui voluntatem ad conſenſum prædeterminet: imò hujuſmodi impulſum videri tollere omnem in agendo libertatem. 9

Auxilium præueniens quid præſtet.

Secundò docent ſufficere ad opera pietatis, ea auxilia præuenientia, cum quibus voluntas ita poteſt conſentire, vt illis ſtantibus poſſit diſſentire; ita ſeipſam ad conſenſum determinare, vt poſſit ſe continere, vel etiam determinare ad diſſenſum. Auxiliũ enim prçueniens quod Deus confert, duo præſtat ante conſenſum & vnũ in cõnſenſu. primò allicit & trahit voluntatẽ vt conſentiat, ita tamen, vt huic tractui poſſit nõ obſequi: ſecundò vires tribuit, ita vt voluntas tũc in ſua poteſtate habeat conſentire ſi velit. Denique ſi voluntas cõſentiat, ſimul iuuat & concurrit ad illum conſenſum eliciendũ; idq. vel phyſico influxu in conſenſum (quod mihi ſemper viſum verius cum Molina) vel morali, vt quidam non improbabiliter exiſtimant. 10

Auxilium præueniens in quo ſitum.

Tertiò, auxilium præueniens conſiſtere in variis inſpirationibus & illuminationibus intellectus, quibus incipit mens cognoſcere vel aduertere turpitudinem peccatorum, magnitudinem pœnarum, pulchritudinem virtutis, cæleſtia præmia, maieſtatẽ diuinam & ſimilia, & in variis affectionibus voluntati immiſſis, quibus incipit terreri ſuppliciis, allici promiſſis, auerſari turpitudinem peccati, inclinari & impelli ad amorem virtutis, ad ſpem bonorum cæleſtium, ad dilectionem diuinæ bonitatis: quæ affectiones, impulſus, & incitationes non naſcuntur præciſè ex propoſitione obiecti, ſed propoſito obiecto diuinitus excitantur in voluntate. ſunt enim perſæpè ſupernaturales in ſubſtantia, quales in voluntate non poſſent ex ſola obiecti conſidera- 11

dera-

deratione naſci. Quando autem tale auxilium ſufficiens adeſt, ſimul præſtò eſt in actu primo & quaſi in habitu auxilium concomitans proportionatum auxilio præuenienti, ita vt in poteſtate hominis ſit illud habere in actu ſecundo, ſi velit. Hoc autem auxilium concomitans ſitum eſt, partim in concurſu Dei, qui ſuis donis & ipſis animæ potentiis cooperatur; partim in concurſu auxilij præuenientis, quod etiam tamquam partiale principium operatiuum cum natura voluntatis in opus influit. Hæc omnia docet optimè Molina in Concordia qu. 14. ar. 13. diſput. 40. & 41. Qui autem putant auxilium præueniens non habere phyſicum influxum in opus, ſed moralem, dicunt auxilium concomitans maximè conſiſtere in ſingulari quodam & ſupernaturali concurſu Dei, qui homini iam per auxilium præueniens præparato adſit in actu primo. quæ ſententia, etiam probabilis eſt. conſentiunt autem omnes, influxum liberi arbitrij & gratiæ & ipſius Dei in opus liberum, eſſe omnino ſimul natura, & habere inter ſe mutuam dependentiam, ita vt liberum arbitrium non influat priùs tempore aut natura in opus, quàm gratia præueniens, aut Deus; nec Deus aut gratia priùs quàm liberum arbitrium.

Auxilium comitans quomodo adſit homini excitato.

Hæc omnia ſimul natura influunt in opus.

12 Hæc eſt ſententia, quæ tantopere à quibuſdam & ab auctore illius tractatus impugnatur, & ex qua tam multos errores ſequi putant. Itaque principalis controuerſia eſt conſtituta in hac antitheſi. Illi affirmant, ad conuerſionem peccatoris, ad omne opus bonum, imò ad omnem actionem voluntatis requiri motionem Dei præuiam, qua liberũ arbitrium prædeterminetur ad conſenſum; qua motione poſita, non poteſt diſſentire. Nos dicimus, talem motionem nec ad conuerſionem, nec ad opus bonum, & multo minùs ad opus non bonum requiri; nec facilè poſſe intelligi, qua ratione non euertat libertatem. Reliquæ quæſtiones ferè ſunt acceſſoriæ, occaſione probationum vel ſolutionum argumentorum enatæ, vt: Vtrùm ad rationem liberi arbitrij ſufficiat, vt iudicium intellectus non determinetur ad vnum: Vtrùm liberũ arbitrium poſſit gratiam facere efficacem: Vtrùm auxilium præueniens, phyſicum influxum habeat in actum liberum voluntatis: Vtrùm Deus cognoſcat conditionales liberas: Vtrùm cognoſcat futura contingentia in cauſis indeterminatis. & ſimilia, quę in progreſſu, maximè in ſolutione argumentorum breuiter expendentur. Porrò hanc defenſionem ita moderabor (quod nunc iterùm profiteor) vt nihil omnino intendam damnare aut acerbiùs cenſere, niſi quod S. Sedes Apoſtolica damnat (etſi diſputando interdum iudicandum ſit, quid ex huiuſmodi principiis ſequi videatur) nihil affirma-

firmare, niſi ſub eiuſdem S. Sedis cenſura, à cuius iudicio (ſicut ante multos annos, cùm de eadem quęſtione mihi controuerſia per quaſdam cenſuras mota eſſet, proteſtatus ſum) non latum vnguem, non vnum apicem ſum receſſurus.

CAPVT III.

Refutatio motionis prædeterminantis ex euerſione præcipui fundamenti ſumpti ex decretis diuinis & motione primę cauſę.

Fundamentum diuerſæ ſententiæ duplex.

QVi tenent ſententiam illam de motione prędeterminante, duobus potiſſimùm niti videntur fundamentis. Primum eſt, quòd putent *Deum omnes actiones & effectus poſitiuos qui in mundo à creaturis fiunt, abſoluta voluntate prædefiniuiſſe & decreuiſſe ab æterno vt ſic fierent in particulari cum omnibus ſuis circumſtãtiis. Deinde in tempore quamque creaturam ad illos effectus mouere, impellere, prædeterminare, & concurſum cuiuſque modificare, vt tales effectus cum ſuis circũſtantiis fiant; nempe vt omnia ſuis temporibus & momentis ſic fiant, ſicut ab æterno decretum eſt. quia*, inquiunt, *cauſa prima priùs natura debet influere in effectum quàm ſecunda*; &, *quia alioquin Deus non haberet omnium prouidentiam*. Ex hoc fundamento deducunt, etiam ad actus ſupernaturales, motionem illam prædeterminãtem (quam hîc auxilium efficax, & ſæpè auxilium phyſicum vocant) neceſſariam eſſe. Hoc eſſe præcipuum & primum fundamentum huius ſententiæ, patet ex verbis ſuprà cap. 2. allatis. 1

Alterum eſt, quòd putent *nullam determinationem repugnare libero arbitrio, ſi iudicium rationis indeterminatum maneat.*

Refutatio prioris fundamenti.

Hoc capite refutandum eſt prius fundamentum. Probandum igitur nobis eſt hoc fundamentum à veritate alienum videri, ac proinde non poſſe motionem gratiæ determinantis ex eo ſtabiliri. Illud verò ex eo probari poteſt quòd duo grauiſſima incommoda ex hoc fundamento manifeſtè ſequi videantur, quæ multa alia ſecum trahunt. prius eſt, Deum eſſe auctorem peccatorum. alterum eſt, omnia fato quodam ineuitabili euenire. 2

Primum incommodum, Deum fore auctorẽ peccatorum.

Prius probatur: Si enim Deus omnia quæ fiunt à cauſis creatis ab æterno voluit & decreuit cum omnibus circumſtantiis & modis poſitiuis vt ſic fierent, & cauſas ſecundas ad ea in tempore determinat; ergo voluit & decreuit vt angeli haberent appetitionem illam excellentiæ per quam peccauerunt, primus homo volitionẽ edendi pomi vetiti,

vetiti, Iudas volitionem prodendi Chriſti: denique vt omnes dæmones & homines haberent omnes illas volitiones, motuſque animorum, quos in tempore habent, idq; his temporibus, his momentis, his locis, his finibus, tanto conatu, circa hæc obiecta, eoque prorſus modo, quo in tempore fiunt. hæ enim volitiones ſunt actus poſitiui, & effectus cauſarum ſecundarum. Deinde potentiam voluntatis ſuis temporibus ad hos actus mouet, impellit, & prædeterminat, ita modificando influxum & efficientiam voluntatis, vt non aliter illos actus producat, nec alio tempore, loco, modo, fine, quàm decretum eſt. At qua ratione poteſt eſſe efficaciùs magiſque propriè auctor omnium peccatorum internorum & externorum? cùm enim directè velit illum actum fieri, & vt fiat voluntatem intrinſecus moueat, applicet & prædeterminet, multo veriùs & efficaciùs erit auctor actus, quàm ſi ſuaderet tantùm aut præciperet. ſuaſio enim & præceptum, ſolùm obiectiuè mouent, eiſque facilè reſiſti poteſt: prædeterminatio verò eſſentiam voluntatis penetrat, & intrinſecus in opus format, ita vt nullo modo poſſit ei reſiſti aut opus impediri; vt auctores illius ſententiæ crebrò docent. quomodo ergo non eſt vera illorũ hæreticorũ noſtri tẽporis blaſphemia, Deum eſſe auctorẽ omnium peccatorũ?

3 Hinc vlteriùs ſequi videtur, Primò, *mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè tantùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ quàm vocatio Pauli*: quod qui dixerit, anathemate damnatur à Conc. Tridentino ſeſſ. 6. can. 6. Quomodo enim *permiſſiuè* tantùm operatur, qui opus illud decreuit & potentiam ad illud mouet & determinat? aut qua ratione poteſt magis propriè & efficaciter ad bonum impellere, aut etiam ipſam vocationem in nobis operari? Vocatio enim nihil eſt aliud quàm illuminatio intellectus & pia affectio ad bonum quam Deus operatur, dum voluntatem ad eam determinat: atqui non minùs determinat eam ad opus malum, iuxta illam ſententiam. ergo non minùs operatur opus malum quàm ipſam vocationẽ ad bonum. *Operari mala vt bona propriè, non permiſſiuè tantùm.*

Secundò, verum eſſe aliquos diuina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe: quod in Concil. Arauſicano can. vltimo cum anathemate reiicitur: *Aliquos*, inquit, *ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illos anathema dicimus.* Qua enim ratione poteſt quis efficaciùs & veriùs ad malum prædeſtinari, quàm huiuſmodi prædefinitione & prædeterminatione, qua Deus ab æterno ſtatuat, vt tale malum (ver. gr. actus odij) in me tali mo- *Prædeſtinaſſe ſua poteſtate ad malum.*

mento temporis extet, & ad eum finem ſtatuat voluntatem meam efficaciter ad illud determinare, & in tempore determinet? hæc enim omnia directè ad illud malum in me ponendum tendunt, nec ego illis decretis & prædeterminationibus poſſum reſiſtere. Ego ſanè magis proprium & efficaciorem modum prędeſtinandi ad malum imaginari non valeo.

Obiectiones Vincentianæ.

Tertiò, veras eſſe obiectiones omnes Vincentianas, *vt quòd adulteria & corruptelæ virginum ſacrarũ ideò contingunt, quia illas Deus ad hoc prædeſtinauit vt caderent. quòd quando inceſtant patres filias, & matres filios, vel quando ſerui dominos occidunt, ideò fiat, quia Deus prædeſtinauit vt fieret.* & cetera, quæ ſequuntur apud Proſperum. Quid enim eſt aliud *prædefinire*, quàm *prædeſtinare*, quod Græci dicunt προορίζειν? nam προορίζειν (quod paſſim in Scripturis & Patribus vertitur *prædeſtinare*) ad verbum eſt *prædefinire*, & προορισμὸς *prædefinitio*. qui ergo dicit aliquid *prædefinitum*, dicit eſſe *prædeſtinatum*. 4

Sententia Proſperi & Auguſtini de prædictis articulis.

Ad illas autem obiectiones Proſper, vel, vt quidam volunt, Auguſtinus, reſpondet Reſponſ. 10. *Deteſtanda & abominanda opinio quæ Deum cuiuſquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem: cuius prædeſtinatio numquam extra bonitatem, numquam extra iuſtitiam eſt. Adulteria enim maritatarum & corruptelas virginum non inſtituere nouit ſancta diuinitas, ſed damnare; nec diſponere, ſed punire.* Et reſponſ. 11. oſtendit, ſi Deus iſta prædefiniuiſſet, magis fore auctorem peccati, quàm diabolum, qui ſolùm poteſt ſuadere, non vim voluntati inferre: *Qua*, inquit, *inſipientia, quáve dementia definitur, ad Dei referendum eſſe conſilium, quod nec diabolo in totum adſcribi poteſt; qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator. nihil ergo talium negotiorum Deus prædeſtinauit vt fieret.* 5

Quartò ſequi videtur, Deum ſibi eſſe contrarium, vt qui decreuerit & velit fieri ea opera, & ad ea moueat, determinetque voluntates noſtras, quæ ſub grauiſſimis pœnis prohibuit: item eſſe iniuſtum, vel certè crudelé, quòd puniat ea quæ ipſe abſolutè fieri voluit & curauit. Quis enim tyrannus hoc vmquam fecit? quis occultè fieri decreuit & curauit, quod fieri vetuit & factum puniuit? Notum eſt illud Fulgentij, DEVS non eſt auctor eius cuius eſt vltor. 6

Pſal. 5 10. Apoc. 2. Eccleſiaſtici 15. Iacobi 1.

Quintò non eſſe vera illa Scripturarum teſtimonia, quibus Deus dicitur *odiſſe iniquitatem, odiſſe facta Nicolaitarum, non velle iniquitatem, neminem implanare, neminem tentare*, & alia huiuſmodi. quæ enim

enim poteſt eſſe maior tentatio & implanatio ſeu deceptio & præcipitatio ad lapſum, quàm occulta & intima in opus malum inflexio, inclinatio, impulſio, determinatio?

7 Ad hæc & ſimilia (quæ multa adferri poſſent) auctores diuerſæ ſententiæ, ſe ſatis reſpondiſſe putant, ſi dixerint Deum non eſſe auctorem peccati, nec velle peccatum, quia non vult malitiam peccati, nec eius auctor eſt: etiamſi velit entitatem poſitiuam illius actus, cum ſuis poſitiuis circumſtantiis. hæc enim bona eſt & in bonũ tendit; ac proinde eam Deus velle eiuſque auctor eſſe poteſt. Sed hæc reſponſio minùs ſatisfacit, Primò, quia VVicleff & hæretici noſtri temporis numquam dixerunt Deum velle ipſam malitiam operi annexam (id enim minùs eſt ab omni ſpecie veri alienũ) ſed ſolùm velle ipſa opera poſitiua quibus malitia annexa, idque ob bonum finem. Ita enim docet Caluinus l. 1. Inſtitut. cap. 18. §. 2. 3. & 4. vbi tandem concludit: *Videmus ergo vt Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine iuſtè velit.* per *defectionem* intelligit opus poſitiuum, quo populus defecit à familia Dauid. Idem multis exemplis nititur docere, omnia ea quę diabolus & impij volunt mala volũtate, Deum bona voluntate velle vt velint & faciant. & tamen re vera omnium Catholicorum iudicio facit Deum auctorem peccatorum. Ad hoc enim vt quis ſit auctor peccati parum refert quo fine illud velit & faciat, eiuſque auctor ſit. ſufficit enim vt re vera ad illud incitet, & curet fieri, etiamſi bono fine id faciat: vt patet in operibus bonis. quicunque enim curat opus bonum fieri, verè & propriè eſt eius auctor dicendus, quacumque tandem intentione id faciat. Quòd ſi in opere bono id verum eſt, potiori iure in opere malo locum habebit, quod vt imputetur etiam ad culpam non requirit vt malitia ſit nolita.

Reſponſio ad ſuprà dicta.

Refellitur.

8 Secundò, Illa malitia vel eſt priuatio rectitudinis debitæ actui (vt multi volunt) vel (quod mihi verius videtur) eſt moralitas quædã ſeu reſpectus rationis reſultans in actu libero, ratione cuius iſte actus eſt quædam iniuria, & contemptus Dei, læſio honoris diuini, præuaricatio legis, & dedecoratio naturæ rationalis: vtrouis autem modo eſt ita implicita actui poſitiuo in homine ratione vtente, vt per nullam potentiam ſeparari ab eo poſſit. ergo hoc ipſo quo Deus vult iſtum actum poſitiuum eſſe in voluntate ratione vtente, cẽſetur velle malitiam connexam. Nam eo ipſo quo quis vult eſſentiam, cenſetur velle proprietatem neceſſariò reſultantem; & hoc ipſo quo quis vult aliquod opus, vult omnia ad illud neceſſaria, & omnia neceſſariò ex illo reſultantia, ſine quibus illud eſſe nequit. hoc enim eſt interpretatiuè

&implicitè velle. Confirmatur, quia non aliter homo vult ipſam malitiam, quàm quia vult & facit opus cui malitia adiuncta. Expreſsè enim & formaliter non vult eam, imò odit & vellet abeſſe; ſed ſolùm vult honorem, voluptatem, opes, &c. & tamen interpretatiuè & ſecundùm moralem æſtimationē cenſetur malitiam velle, quia vult actum cui ipſa neceſſariò connexa. pari itaque modo etſi Deus formaliter malitiam non velit, fieri non poterit quin eam velit interpretatiue, & moraliter, ſi vult & curat opus illud fieri, quod ſine illa malitia fieri non poteſt. Idem confirmari poteſt, quia vult illud opus fieri à voluntate rationis compote iuxta prædictam ſententiam. hoc enim eſt quædam circumſtantia poſitiua operis. atqui hoc ipſo quo tale opus conſideratur procedere à tali voluntate eſt peccatum, præciſa omni ratione formali intelligibili, nec per vllam potentiam fieri poteſt vt non ſit peccatum. ergo vult peccatum.

Tertiò, quia etiamſi Deus non diceretur velle illam malitiam, tamen erit auctor eius, quia eſt auctor operis poſitiui, & determinat voluntatem ad illam ſpeciem operis vnde neceſſariò reſultat illa malitia. Non enim poteſt quis aliter eſſe auctor alicuius relationis vel priuationis reſultantis ex aliquo poſitiuo, quàm cauſando illud poſitiuum. erit igitur auctor malitiæ eo modo, quo illa cauſam habere poteſt. 9

Quartò, quia Scriptura, Concilia, & Patres, non ſolùm negant Deum eſſe auctorem peccati, ſed etiam operis poſitiui quod peccatum denominatur. Apocal. 2. *Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Conc. Trident. & Proſper ſuprà. D. Auguſtin. de ſpiritu & littera cap. 31. *Nuſquam legimus in Scripturis, Non eſt volũtas niſi à Deo. & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt. alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo; quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus.* vbi D. Auguſtinus colligit Deum fore auctorem peccati, ſi eſſet auctor omnis volitionis poſitiuæ. Idem Auguſtinus lib. 12. Confeſſionum cap. 11. *Hoc ſolum à te non eſt quod non eſt, motúſque voluntatis à te qui es ad id quod minus eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt.* Hìc apertè negat ipſum motum poſitiuum à Deo eſſe, idque dicit ſe Deo inſpirante didiciſſe.

Alia reſponſio.

10 Reſpondent aliqui, Deus, inquiunt, eſt auctor illius operis, non vt cauſa moralis, ſed vt cauſa naturalis; mouet enim voluntatem non imperando aut ſuadendo opus malum, ſed cōcurrendo cum ea ſicut cum aliis cauſis naturalibus. Quòd autem reſultet malitia in opere, id proue-

prouenit ex eo quòd illud opus procedat à cauſa libera. atqui Deus, cùm non ſit cauſa moralis, ſed naturalis illius operis; non eſt auctor libertatis in opere, ſeu quòd liberè fiat: ac proinde non eſt auctor malitiæ reſultantis ex libertate.

Sed contrà reſpondeo, Primò, Etiamſi Deus non ſit cauſa moralis illius operis, tamen cauſat illud volendo, & voluntariè concurſum determinatum & determinantem præbendo; qui ſanè modus cauſandi ſufficit, vt opus & malitia annexa imputetur ei tamquam auctori. maximè cùm hic modus longè ſit efficacior quàm per imperium vel conſilium. Si enim qui conſilio vel præcepto mouet ad opus malum, cenſetur auctor, eiq. imputatur, cùm tamen ſolùm exteriùs moueat; multo magis qui ſciens & volens ſua potentia intrò penetrat, & volūtatem intimè ad actum determinat. Neſcio quo modo mens aliud concipere queat. qui enim phyſicè interius producit, longè perfectiùs eſt auctor rei, quàm qui ſolum obiectū exterius obiicit. *Refutatio.*

Secundò, Nō minùs Deus eſt cauſa libertatis in actu (ſi tamen actus ille dicendus eſt liber) quàm is qui ſuadet vel imperat: nam mouet voluntatem ad ſubſtantiam operis eo tempore quo ſcit illud non niſi cū iudicio rationis elici poſſe, & vult vt tunc eliciatur. ergo eſt cauſa vt liberè fiat. Confirmatur, quia Deus eſt cauſa cur liberè fiat opus moraliter bonum; ergo etiam eſt cauſa, cur liberè fiat opus quod non eſt bonum, cùm ſimili modo ad illud moueat. Nec refert quòd opus dicatur liberum ex ordine ad potentiam liberam, non autem ex ordine ad Deum. quia Deus benè poteſt eſſe cauſa cur actui talis habitudo & denominatio conueniat, nempe ſi cauſa ſit cur actus hîc & nunc à tali potentia procedat. qui enim eſt cauſa coniunctionis extremorum, eſt cauſa denominationis quam alterum ab altero habet. atqui Deus eſt cauſa coniunctionis liberi arbitrij & actus; facit enim vt hîc & nunc actus à libero arbitrio procedat; ergo eſt cauſa libertatis in actu reſultantis. Vnde patet, Deum non minùs fore auctorem malitiæ (quæ reſultat in actu poſita denominatione libertatis) ſi moueat voluntatem intrinſecè ad actum, quàm ſi moueret extrinſecus conſilio vel pręcepto. vnde hac ratione non rectè ſoluitur argumentum.

11 Alterum incommodum principale, quod ex illa ſententia conſequi videtur, eſt, Omnia ineuitabili quodam fato, non aſtrologico, ſed Stoico infinities potentiore euenire; nempe ex omnipotente Dei decreto, omnes cauſas creatas ad omnes ſuos effectus & motus inſuperabiliter flectente & determinante. Probatur exemplo: Si enim Deus ex ſe voluntate abſoluta ante omnem præuiſionem determinatio- *Secundum incommodū principale, Omnia fato euenire.*

nationis meæ voluntatis, decreuit vt in mea voluntate hoc momento ſit volitio ſcribendi,& prædeterminatio ad illam volitionem; non poſſum vllo modo impedire, quin hoc momento illa volitio in me exiſtat. Quod patet,quia non poſſum vllo modo impedire quin exiſtat illud decretum diuinum: illo autem decreto exiſtente, non poſſum vllo modo impedire quin ex illo ſequatur & effluat determinatio in meam voluntatem. nam hoc decretum eſt efficaciſſimum & omnipotens, & operatur illam determinationem independenter à mea libertate cùm eam præueniat. ſtante autem determinatione, nō poſſum vllo modo impedire volitionem ad quam voluntas determinatur, vt ipſi fatentur,& per ſe patet: tum quia volitio neceſſariam connexionem habet cum illa determinatione;tum quia eodem momento quo eſt determinatio illa,eſt etiam ipſa volitio. Idem dicendum de omnibus volitionibus omnium creaturarum. Hæc enim tria in omnibus conſideranda. Primò, *Decretum diuinum*, quo ipſæ cum omnibus ſuis circumſtantiis (temporis, loci, modi, finis, obiecti) ſunt decretæ. Secundò, *Prædeterminatio ad ſingulas* (quæ nihil eſt aliud, quàm inclinatio quædam actualis, vel impreſſio præuia, quæ etiam eſt decreta à Deo. Tertiò, *ipſa Volitio.* Itaque cùm nulla creatura poſſit impedire quin illa decreta exiſtant in Deo; illis autem exiſtentibus non poſſit impediri illorum efficacitas,qua cauſant illas prædeterminationes ſeu impreſſiones; exiſtentibus autem illis impreſſionibus determinantibus in voluntate, impediri non poſſint volitiones; omnino euidens videtur, omnes volitiones ineuitabili fato euenire: fato, inquam, quia fatæ & decretæ à Deo. Si hæc ratio non conuincit, ingenuè fateor totum hoc negotium libertatis magis mihi eſſe obſcurum, quàm vllum fidei noſtræ myſterium.

Tria in omni volitione creaturæ cōſiderāda, decretum diuinum, præuia motio ſeu prædeterminatio, & ipſe actus volitionis.

Hinc ſequi videtur, Primò, vitam humanam perpetuo fato alligatam eſſe, nec poſſe nos plura aut pauciora facere, quàm facimus; nec alia, nec aliis temporibus vel momentis, nec aliis locis, nec alio modo vel ordine, nec circa alia obiecta, nec ob alios fines: quia neque aliæ actiones,neque aliæ circumſtantiæ, neque aliæ prædeterminationes ſunt diuinitus decretæ. ſine autem decreto diuino & diuina prædeterminatione nihil poſſumus. cauſa enim ſecunda nihil poteſt ſine præuia motione cauſæ primæ,vt ſæpè dicut. Quare quando agimus,non eſt in noſtra poteſtate vt non agamus; ſumus enim præuia illa impreſſione ad agendum determinati. quando non agimus,non poſſumus agere, quia caremus illa impreſſione, nec eſt in poteſtate noſtra illam habere. Quod declaro hoc exemplo: Ad cognoſcenda

Vitam perpetuo fato alligatam fore.

arcana

arcana cordium neceſſaria eſt diuina illuſtratio ; & ideò dum hanc non habeo, non eſt in mea poteſtate illa arcana cognoſcere: quia non eſt in mea poteſtate habere illam illuſtrationem, quæ ad cognitionem iſtam eſt neceſſaria. Cùm autem illam illuſtrationem accipio, non eſt in mea poteſtate non cognoſcere; quia cum ea ſtare non poteſt non cognitio, ſeu abſentia iſtius cognitionis. Idem vniuersè patet in omnibus ad quæ aliquid præuium eſt neceſſarium. Dum enim illud præuium non habemus, nec in poteſtate noſtra eſt illud habere, non eſt etiam in noſtra poteſtate id quod ex eo neceſſariò ſequitur, eique eſt connexum. Similiter ſi illud præuium habemus, non eſt in poteſtate noſtra carere eo quod ex eo neceſſariò conſequens eſt, & connexum.

13 Secundò, nullum eſſe meritum aut demeritum. quia vbi non eſt poteſtas aliter agendi, quàm agitur, laus & vituperatio locum non habet: ac proinde, nec meritum aut demeritum. Quid enim laudis habet quòd benè agam, quando Deus ita ad hoc mouet vt ei non poſſim reſiſtere? aut cur dignus ſim reprehenſione ſi malum agam, quando ſimiliter ad illud præmoueor? illam enim præmotionem habere vel non habere, non eſt in mea poteſtate; & ea habita non poſſum ei reſiſtere. Sic laudem aut vituperationem non habent motus præuenientes ſiue boni ſiue mali: cuius nulla alia eſt ratio, quàm quia voluntas ad illos determinatur, ita vt non habeat illos in poteſtate. *Nullum eſſe meritum aut demeritum.*

14 Tertiò, verum eſſe articulum VViclefi, damnatum in Concilio Conſtantienſi: *Omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt*: id eſt, eo modo, vt non ſit in poteſtate hominis impedire. quem etiam aſſeruit Lutherus in defenſione artic. 36. apud Roffenſem, & Caluinus, tum alibi tum lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 6. Verum item erit, quod Lutherus loco citato ait, *liberum arbitrium eſſe figmentum in rebus, & titulum ſine re*. Quid enim eſt eſſe titulum ſine re, niſi ferre nomen & nihil habere rei per nomen ſignificatæ? At res ſignata per nomen *liberum*, non eſt poſſe prædeterminari à Deo ad agendum & tunc agere; & cùm non prædeterminatur, non agere: neque etiam eſt poſſe ſponte, aut voluntariè agere. ſed eſt poſſe ſe flectere in vtramuis partem; poſſe agere & non agere, ſine vlla præuia ſui mutatione: habere omnia neceſſaria ad agendum, etiam dum non agit; & dum agit, habere omnia neceſſaria ad non agendum: ad neutram partem per aliquid præuium eſſe adſtrictum, & determinatum: eſſe in manu conſilij ſui, & poſſe extendere manum ad quod volueris, &c. vt communiter omnes apprehendunt. Hæc autem res non videtur vllo modo ſubeſſe, *Artic. VViclefi.*

eſſe, ſi neceſſaria eſt ad ſingula prædeterminatio illa, quæ non eſt in noſtra poteſtate. Feret ergo nomen ſine re, eritque figmentum in rebus, & titulus nudus.

Reſpon. aduerſar. 1. *De neceſſitate ex ſuppoſitione.*

Ad hæc & ſimilia triplex adhiberi reſponſio ſolet: quæ reſponſiones habentur cap. 27. illius tractatus, ad primum argumentum. Prima eſt, prædicta argumenta ſolùm probare, ſuppoſito diuino decreto & prædeterminatione voluntatis creatæ, eam neceſſariò velle ex ſuppoſitione dumtaxat; cum qua neceſſitate benè ſtat, vt abſolutè & ſimpliciter liberè velit & poſſit non velle. nam neceſſitas ex ſuppoſitione non impedit, quin id quod ita neceſſarium eſt, verè liberè fiat, vt patet iſtis exemplis: Suppoſito enim quòd loquaris, neceſſe eſt te loqui (quia res dum eſt, non poteſt ſimul non eſſe) & tamen abſolutè & ſimpliciter potes non loqui. & ſuppoſito quòd ſis præſcitus, neceſſe eſt te damnari; & tamen ſimpliciter potes non damnari. Eodem modo ſuppoſito quòd Deus decreuerit vt hoc momento in me ſit talis volitio, meamque voluntatem ad eam determinet, neceſſe eſt vt eo momento velim; tamen abſolutè poſſum non velle. 15

Refellitur.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, Primò, quia hæretici non ponunt aliam neceſſitatem actionum humanarum, quàm ex ſuppoſitione decreti diuini, & diuinæ motionis voluntatem mouentis; & tamen reipſa tollunt liberum arbitrium: alioquin non errarent in re, ſed ſolùm in modo loquendi; quod nemo dixerit. Quòd autem ipſi non aliam neceſſitatem, aut aliud fatum quàm ex ſuppoſitione inducant, manifeſtum eſt: quia apertè docent, neceſſitatem in actionibus tantùm prouenire ex diuino decreto, & ex efficaci motione Dei, quæ ex vi decreti ſequitur, quibus reſiſti non poteſt. iſtis autem duobus ſemotis, nullum eſſe fatum, nullam neceſſitatem operum. vnde ea ſola neceſſariò fieri, quibus hæc ſupponuntur: quibus non ſupponuntur, non fieri neceſſariò. Sed quia putant ea omnibus ſupponi, cenſent etiam omnia neceſſariò fieri. 16

Secundò, quia bruta non mouentur neceſſariò, niſi ex ſuppoſitione, videlicet apprehenſionis obiecti, & tamen abſolutè neceſſariò & non liberè mouentur. Motus etiam primi tentationum, motus gratiæ præuenientis, & amor ipſe beatificus, non ſunt actus neceſſarij, niſi ex tali ſuppoſitione; & tamen nō ſunt liberi. Denique omnes res naturales non mouentur neceſſariò, niſi ex ſuppoſitione diuinæ motionis eas ad ſuas functiones prædeterminantis. ſi enim abſit hæc ſuppoſitio, non mouebuntur; iuxta ſententiam eorum quibuſcum diſputamus.

Tertiò,

17 Tertiò, quia quando ſuppoſitio non eſt in mea poteſtate, neque pendet ex aliquo quod ſit in mea poteſtate; & aliàs illa ſuppoſitione poſita, non poſſum impedire quin ex ea ſequatur effectus, eò quòd hic neceſſariam cum illa ſuppoſitione coniunctionem habeat; tunc impedit libertatem voluntatis. talis autem ſuppoſitio eſt decretum diuinum & impreſſio illa determinans. ergo tollit libertatem. Maior probatur, quia ſi non eſt in mea poteſtate, vt hæc res ſit vel non ſit, & illa exiſtente, non eſt in poteſtate mea impedire eius efficaciam, euidens eſt in mea poteſtate non eſſe, impedire eius effectum. Vnde rectè inferunt Doctores *fieri nō poſſe, vt aliquis effectus procedens à cauſa prima & ſecunda, proueniat à cauſa prima ineuitabiliter, & à cauſa ſecunda euitabiliter.* Vide Occamum & Gabrielem in 1. d. 38. Gregor. Arimin. eadem diſt. qu. 2. ar. 3. ad 4. Thomam VValdenſem l. 1. Doctrinalis fidei antiquæ cap. 28. Minor patet, quia non eſt in poteſtate mea, vt diuinum decretum non exiſtat, aut vt impreſſio ab eo in voluntatem meam non fiat, aut vt illa impreſſio poſita effectum non habeat. *Quæ ſuppoſitio repugnet libertati.*

18 Quartò, neceſſitas ſuppoſitionis non tollit libertatem intrinſecam tantùm in tribus caſibus: Primò, quando ſuppoſitio eſt in noſtra poteſtate vt ſit vel non ſit: ver. gr. ſi loqueris, neceſſe eſt ex ſuppoſitione te verba facere, tamen liberè verba facis: quia etſi verba facere neceſſariò connexum ſit cum loqui; tamen quia ſuppoſitio illa, nempe loqui, eſt in tua poteſtate, etiam verba facere eſt in tua poteſtate. ſic ſi curris, neceſſe eſt te moueri, & tamen liberè moueris, quia in poteſtate tua eſt tollere ſuppoſitionem. ſi ſedes, neceſſe eſt te ſedere ex ſuppoſitione, ſedes tamen liberè; quia ſuppoſitio ſedendi eſt in tua poteſtate. Denique hic modus locum habet, quotieſcumque ſuppoſitio eſt actus liber eiuſdem hominis. *Quando nō repugnet libertati.*

Secundò, quando ſuppoſitio pendet aliquo modo ab eo quod eſt in noſtra poteſtate. ſic dicimus, præſcitum neceſſe eſſe damnari, tamen liberè damnationem incurſurum: quia illa ſuppoſitio pendet aliquo modo (obiectiuè videlicet) ab actionibus liberis futuris. ideò enim Deus pręſcit talē fore, quia liberis actionibus ſuis ſe talem reddet. Itaque per præſcientiam non maior adfertur voluntati neceſſitas, quàm ipſa ſibi ipſi inferat.

Tertiò, quando ſuppoſitio ſupponit aliquid, quod aliquo modo à noſtra libertate dependet. v. gr. Si Deus velit efficaciter vt hoc momento habeam actum dilectionis Dei, neceſſe eſt ex ſuppoſitione vt eo momento diligam Deum; liberè tamen illum actum eliciam, ſi

intrinſecam voluntatis diſpoſitionem ſpectes; quia hæc voluntas Dei ſupponit præſcientiam conditionatam, quia Deus nouit certiſſimè quid quouis momento voluntas ſit liberè electura, ſi hæc vel illa ſuaſio aut affectio menti iniecta fuerit. Hæc autem prẹſcientia pendet obiectiuè ab eo quod liberè volũtas, tali ſuaſione propoſita, eſſet electura: vnde nec illa voluntas eſt omnino abſoluta, ſed implicitè eſt conditionata, ſupponens conditionem (videlicet ſi velim cooperari) etſi certò præuiſam. Extra hos modos neceſſitas ſuppoſitionis libero arbitrio repugnare videtur.

Reſponſio ſecunda alterius ſententia.

De ſenſu Compoſito & Diuiſo.

Secunda reſponſio eſt, Ex ſupradictis ſolùm ſequi voluntatem ne- 19
ceſſariò velle in ſenſu compoſito: cum quo ſtat vt poſſit non velle in ſenſu diuiſo. explicant exemplis allatis in prima reſponſione: nàm hæ reſponſiones non differunt niſi modo loquendi. Reſpondeo igitur ſicut anteà, hanc reſponſionem non ſatisfacere, Primò, quia hæretici non aliam neceſſitatem inducunt, quàm in tali ſenſu compoſito. In ſenſu enim compoſito hîc nihil eſt aliud, quàm ſi decretum diuinum & motio diuina componatur cum voluntate; id eſt, ſi voluntati adſit. & ſenſus diuiſus, ſi abſit & tollatur. at quid mirum, ſi motione illa ſublata, voluntas poſſit non velle? Secundò, non eſt in poteſtate voluntatis, vt motio prædeterminans adſit & componatur cum voluntate; & cùm adeſt, non eſt in poteſtate impedire eius efficaciam; ergo neque impedire eius effectum, qui eſt ipſa volitio. ſicut dum aliquis in me cauſat impulſum, non eſt in poteſtate mea impedire motum inde ſequentem, quia non eſt in poteſtate mea illius impulſus efficaciam impedire.

Quando neceſſitas in ſenſu compoſito non tollat libertatem.

Tertiò, vt neceſſitas quæ eſt in ſenſu compoſito, non tollat libertatem, requiritur vt id quod componitur cum mea voluntate, ſit in poteſtate voluntatis, vt ſunt actus voluntatis; vel aliquo modo pendeat ab eo quod eſt in poteſtate voluntatis, vel aliquid ſupponat quod à tali pendet, ſicut dictum eſt de ſuppoſitione, tunc enim locum habet diſtinctio illa ſenſus compoſiti & diuiſi. v.gr. qui currit, neceſſariò mouetur, non abſolutè, ſed in ſenſu compoſito; quia impoſſibile eſt vt non moueatur, quamdiu curſus cum illo componitur, ſeu illi ineſt: abſolutè tamen & in ſenſu diuiſo liberè mouetur, quia in poteſtate ipſius eſt, curſum inhibere. ſic prẹſcitus neceſſariò damnabitur nõ abſolutè, ſed in ſenſu compoſito (hoc enim eſt particula diminuens) quia fieri nequit vt non damnetur, compoſita cum eo illa præſcientia; eſt enim neceſſaria connexio inter præſcientiam & rem præſcitam. abſolutè tamen poteſt non damnari, quia in eius poteſtate eſt aliquid facere, quod ſi fecerit,

cerit, ſequetur talem præſcientiam numquam fuiſſe, & ipſum numquam fuiſſe præſcitum. non quòd poſtquam præſcientia ſemel eſt poſita, poſſit non eſſe; ſed quia ſi obiectum non fuerit poſitum, (vt poteſt non poni) ſequetur præſcientiam illam numquam fuiſſe. nam obiectum eſſe in aliqua temporis differentia, prius eſt ratione, quàm eſſe eius præſcientiam: vt ex Patribus apertè colligitur, dum dicunt, *ideò rem præſciri futuram quia futura eſt, non contrà.* Addo, quando aliquid dicitur ſolùm neceſſariò fieri ex ſuppoſitione vel in ſenſu compoſito, quod abſolutè liberè fit, ſolùm ſignificari neceſſariam connexionem inter ſuppoſitionem vel rem quæ componitur cum voluntate, & inter actum voluntatis (v. g. inter præſcientiam diuinam & opus præſcitum) cùm inter voluntatem & opus nulla talis connexio ſit. Atqui dum quis habet impreſſionem determinantem ad velle, nō ſolùm eſt neceſſaria connexio inter impreſſionem illam & volitionem, ſed etiam inter potentiam voluntatis & volitionem; nam potentia ad illam ab alio determinatur: item inter potentiam voluntatis, & illam impreſſionem; nam hęc connexio non eſt in poteſtate voluntatis, vt ſit vel non ſit. eſt ergo hîc abſoluta neceſſitas. abſolutam voco, cui voluntas non poteſt reſiſtere.

Quid ſignificetur, dum dicitur aliquid neceſſariò fieri ex ſuppoſitione, vel in ſenſu compoſito.

Tertia ſolutio eſt, Cùm Deus ſit infinitæ virtutis & potentiæ, non ſolùm fit quidquid vult, ſed etiam eo modo fit quo vult illud fieri. quare cùm actiones humanas non ſolùm velit fieri, ſed etiam liberè fieri, neceſſe eſt vt liberè fiant. Confirmatur ex D. Thoma q. 19. ar. 8. vbi docet *ab efficacia diuinæ voluntatis procedere, quòd aliqua neceſſaria, alia contingenter eueniant.*

Tertia reſponſio.

Reſpondeo, omnia quidem quæ Deus abſolutè vult fieri, eo modo fieri quo vult ea fieri; ſed non vult omnes actiones humanas fieri, vt oſtenſum eſt, ac proinde non vult omnes liberè fieri, alioquin apertè eſſet auctor peccati. Ad confirm. Prouenit quidem ex efficacia diuinæ voluntatis, quòd aliqua neceſſaria, aliqua contingenter fiant; non quaſi Deus omnes illos effectus in particulari fieri voluerit, & ſua efficacia illorum ortui talem modum fiendi imprimat, aut imprimere poſſit, etiam tunc cùm cauſas ad illos mouet & prædeterminat (id enim contradictionem implicat, vt infrà cap. 5. oſtendetur) ſed quia ſua virtute infinita condidit cauſas neceſſarias & liberas, ex quibus effectus neceſſarij & liberi prouenire poſſent, non ſolùm qui reipſa proueniunt, ſed etiam innumeri alij. Non enim cauſas liberas inſtituit vt illas ſolas aut omnes actiones ederent, quæ reipſa fiunt; ſed etiam vt multas alias ederent, quæ numquam fient: & à multis ſe

Refutatur.

Quomodo efficacia diuinæ voluntatis ſit cauſa contingentiæ.

continerent, quæ fient; vt ex Scripturis conſtat. Hæc eſt mens diui Thomæ loco citato, de qua plura infrà cap. 14.

Si Deus vellet inducere fatum, non poſſet id melius & efficacius quàm hoc modo.

Denique ſupradictas ſolutiones non ſatisfacere ex eo colligi po- 21
teſt, quòd Deus ſi de induſtria abſolutam neceſſitatem omnium actuum humanorum inducere vellet, non poſſet id commodiùs & efficaciùs facere, quàm prędefiniendo, primò omnes actiones cũ ſuis circumſtantiis, ſecundò omnes determinationes ſeu impreſſiones ad illas actiones, tertiò ſuis temporibus & momentis ſingulas impreſſiones immittendo, quibus præſentibus voluntas non poſſit reſiſtere, nec earum effectum impedire. Et tamen hîc non eſſet vlla neceſſitas actuum, niſi ex ſuppoſitione & in ſenſu compoſito; iuxta ſupradictam ſententiam. Simili modo ſi quis callidè vellet hominibus fatum aliquod perſuadere, non video qua ratione illud meliùs facerę poſſit, quàm dicendo Deum omnes actiones hominum ab æterno non ſolùm præuidiſſe, ſed præordinaſſe & decreuiſſe abſoluto decreto vt fierent cum talibus circumſtantiis; & momentis definitis voluntates eorum ad eas mouere, impellere, & prædeterminare, cuius motioni nemo poſſit reſiſtere. Hinc enim mens humana ſtatim clare ſibi videtur colligere, actiones ipſas vitari non poſſe.

Alia incommoda.

Præter incommoda ſupradicta, multa alia contra illam ſenten- 22
tiam obiici poſſent, quorum aliqua ſolùm attingam. Primò, quòd
I. ſuperuacanea ſit huiuſmodi prædeterminatio in cauſis naturalibus, vt quæ omnino ſint completæ & naturâ ſuâ determinatæ ad ſuos effectus. calor enim ignis per eſſentiam ſuam determinatus eſt ad producendum calorem ſibi ſimilem applicato patiente. quid ergo opus eſt alia determinatione? Confirmatur, quia vel Deus poteſt res ita complere, vt ad ſuas functiones naturales non egeant alio principio creato extrinſecus impreſſo, quo compleantur, & quo determinentur; vel non poteſt. Si poteſt, cur non fecit? cur reliquit eas imperfectas, & deſtitutas illo complemento determinante, ſine quo ſunt inualidæ & inutiles ad omne opus? Si non poteſt, quæ eſt ratio implicatæ contradictionis? cur perfectionem & vigorem illum, quem dat in modum paſſionis tranſeuntis, non poteſt conferre per formam ſtabilem? Accedit quòd nullus philoſophorum, qui naturas & vires rerum naturalium ſunt perſcrutati, huiuſmodi impreſſionem præuiam & determinantem agnoſcat: nec alicui vmquam in mentem venit. quod ſignum eſt, illam ad complendas vires rerum, & ad earum functiones, non eſſe neceſſariam.

II. Secundò, illa impreſſio, quã ipſi requirunt, eſt aliqua cauſa creata:

complet

complet enim virtutem actiuam agentis veluti vltima eius actualitas in actu primo. ergo ſi omnis cauſa creata debet determinari ad actionem à prima cauſa, ipſa quoque determinari debebit ad ſuam actionem, ſuumque effectum producendum; opus ergo erit alia impreſſione, qua prior illa determinetur. ſimiliter opus erit tertia, quarta, & ſic procedetur in infinitum. quòd ſi non eſt opus ſecunda impreſſione, qua prima determinetur, neque etiam prima opus erit; quippe cùm res per naturam ſuam & vires inſitas ſatis ſit ad actionem determinata. *Impreſſio determinans egebit alia determinatione.*

Dicet fortè aliquis, Illa impreſſio nihil eſt aliud quàm vſus paſſiuus quo Deus vtitur re creata, eamque applicat ad actionem, & ita nō eget alia determinatione. Contrà, quid eſt ille vſus paſſiuus? non enim eſt motus localis (cùm nō ſit neceſſe rem loco moueri vt agat) neque eſt alius modus aliquis ſeu formalitas, ſicut figura, aut ſeſſio, aut relatio; quia nudi modi non ſunt actiui. neceſſe eſt ergo eſſe qualitatem impreſſam non permanenter, ſed in modum paſſionis fluentis. atqui qualitas fluens vt agat non minùs eget determinari à cauſa prima quàm permanens; imò magis, quia minùs firma eſt, & continuè aliquid de ſua entitate amittens, & numquam ſuum eſſe totum ſimul habens. Confirmatur, quia hæc determinatio, non eſt ſolùm actio, ſed eſt principium operatiuum, exiſtens in potentia & habens proprium influxum in effectum, vt ipſi expreſsè docent de determinatione voluntatis. (hanc enim dicunt eſſe *auxilium phyſicum*, & habere *phyſicam efficientiam in effectum)* ergo non minùs debet determinari à cauſa prima ad agendum, quàm quæuis alia cauſa creata. *Modi non ſunt actiui.*

III. *Egebit diuino concurſu.*

Tertiò, cauſa prima non ſolùm debet mouere cauſam ſecundam, vim illi determinantem imprimendo, ſed multo magis vnà cum ipſa influere in effectum. ergo præter hanc prædeterminationem quam imprimit cauſæ ſecundæ, debet poni concurſus & influxus in effectum. atqui hic concurſus vnà cum concurſu cauſæ ſecundæ abundè ſufficit ad producēdum effectum: nam cauſa ſecunda, eſt cauſa in ſuo ordine completa. ergo non eſt opus illa determinatione. Quòd autem requiratur influxus cauſæ primæ in effectum, eſt communis ſententia Doctorum, excepto Durando. Nulla enim res creata poteſt aliquid efficere ſine concurſu & cooperatione primæ caſuæ. Quare ſi præter hunc concurſum in effectum requiritur illa impreſſio in cauſam, qua ipſa determinetur ad agendum, conſequens eſt ad omnem actionem cauſæ ſecundæ requiri quatuor influxus Dei. Primus eſt, quo influit in cauſam ſecundam, v. gr. in calorem ignis illam impreſ-

ſionem, qua calor ille completur & determinatur ad agendum. Secundus eſt, quo immediatè concurrit & cooperatur calori influendo ſimul in effectum, qui v. g. producitur in aqua. Tertius eſt, quo illa impreſſio producta in calore ignis influit in eumdem effectum. hæc enim quoque tribuitur primæ cauſæ illam impreſſionem immittẽti. Quartus eſt, quo Deus immediatè illi impreſſioni cooperatur. Cum enim hæc impreſſio ſit quædam vis creata, qua completur cauſa ſecunda, & habeat influxum in effectum, vt principium operationis, poſtulat peculiarem Dei concurſum, ſicut omnis vis creata, ſiue ſtabilis ea ſit, ſiue fluens. Calor enim & lux, ſiue permanens ſit, ſiue in fluxu, vt agat, neceſſariò requirit concurſum Dei. Quatuor itaque erunt noui influxus primæ cauſæ in omni actione: quod eſt inauditũ.

Dices illam prædeterminationem non eſſe aliquam vim creatam, quæ ſit principium operationis, & ſimul cum voluntate influat in opus, ſed eſſe ipſam operationem, qua Deus immediatè veluti creat ipſum opus bonum in nobis, & ita non inducitur tanta multitudo influxuum. Hanc ſententiam tenent quidam, quia videtur cõformis S. Scripturæ, quæ dicit opera bona eſſe dona Dei, nos creatos in operibus bonis, Deum creare cor mundum in homine; & ſimilia. eamque apertè inſinuat auctor cap. 27. cùm ait, ita vocatione Dei gigni conſenſum voluntatis, ſicuti res naturales conſtituuntur in eſſe per imperium Dei, ſeu per creationem. Sed contrà: Primò, quia iſta ſententia non ſatis congruit cum aliis, quæ iſte auctor & alij eiuſdem mentis de iſta motione prædeterminante tradunt; vt quòd ſit impreſſio & influxus immediatus non in effectum, ſed in cauſam ſecundam, & quòd cauſam ſecundam determinet, compleat, vegetet ad agendum, & illam iuuet, & cum illa in effectum influat. Si enim eſt ipſa operatio, ſeu productio & veluti creatio ipſius effectus, qua ipſe immediatè à Deo in voluntate quaſi creatur; ergo non eſt influxus in cauſam immediatè, ſed in effectum ad quem intrinſecè terminatur. Omnis enim creatio & productio eſt influxus immediatus in opus quod producitur: ſic cõcurſum Dei, quo concurrit cum cauſa, ſecunda dicimus eſſe influxum immediatum in effectum, nõ in cauſam. Vnde vlteriùs ſequitur quòd non compleat, nec vegetet cauſam ſecundam ad producendum effectum, nec cum illa in effectum influat. Productio enim effectus non complet cauſam ad agendum, nec ei vigorem tribuit. vnde imperium diuinũ, quod eſt principium & cauſa iſtius productionis, potiùs deberet dici auxilium adiuuans & cooperans, quàm illa productio. Deinde, ſi ipſa productio operis à

Deo

Deo eſt gratia prædeterminans, cùm hæc ſit omnino prior natura, quàm influxus voluntatis in opus, ſeu in conſenſum, illa quoque productio prior natura erit: ac proinde priùs natura opus erit productum & veluti creatum in voluntate, quàm ipſa voluntas ad illud influat. quare in illo priori voluntas ſe merè paſſiuè habebit: nam ſolùm ſuſcipiet & non influet; cùm independenter ab eius influxu actiuo ſit in ipſa à Deo veluti creatum. Vnde etiamſi quis hoc modo velit gratiam prædeterminantem explicare, non euadet difficultates & incommoda præcipua. Denique, cùm duæ ſint ſententiæ eorum qui ponunt gratiam prædeterminantem (quidam enim ponunt illam vt principium effectiuum operis, & dicunt eſſe influxum & impreſſionem in cauſam ſecundam, qua ipſa cauſa compleatur, determinetur, & vigoretur ad influendum in opus; vt paſſim auctor docet in iſto tractatu: alij verò vt productionem & veluti creationem operis, & dicunt eſſe immediatum influxum in opus) & iſtæ ſententiæ ſint omnino diuerſæ, non poſſunt miſceri, nec altera alteram poteſt iuuare. Quòd ſi quis vtramque coniungere ſimul velit (vt videtur iſte auctor) ne ille nimis liberalis, vel prodigus potiùs gratiæ prædeterminantis videri queat. Quomodo autem opera bona dicantur eſſe dona Dei, & nos dicamur creari in operibus bonis, infrà fusè explicabitur.

Quartò, Cùm cauſa ſecunda agit in multa ſubiecta, vel vna determinatio ſufficit, vel ad ſingulos effectus requiruntur ſingulæ. neutrum probabiliter dici poſſe videtur. Si enim vna ſufficit (v. g. ad tam innumerabiles effectus quos ſol ſingulis propè momentis producit, tot res aſſiduè illuſtrando, calefaciendo & viuificando) cur non ſufficit ipſa lucis ſolaris natura & vis inſita? non enim illa confuſa & indiſcreta determinatio ſoli impreſſa, magis eum determinat ad me calefaciendum, quàm ipſa lucis natura. Deinde per illam cõfuſam & generalem determinationem, non magis determinatur ſol ad calefaciendum me, quàm alium; quod tamen repugnat actuali determinationi, qua cauſa ad effectus indiuiduos determinari debet, vtpote hîc & nunc producendos, iuxta illorum ſententiam. Si verò ad ſingulos effectus ſingulæ requiruntur, erunt ergo innumerabiles & realiter diſtinctæ determinationes in ſole, quæ ſingulis pęnè momentis mutabuntur, & quibus ſol aſſiduè alterabitur: & in poteſtate noſtra erit, ſolem aſſiduè alterare, applicando corpora in quę agat, vel ea ſubtrahendo. quæ omnia videntur incredibilia.

An innumera determinationes ſint neceſſariæ.

24 Denique hæc ſententia videtur aduerſari communi doctrinæ Scholaſticorum, vt infrà oſtendetur. & quamuis Scotus in 1. d. 39.

Videri contra communem doctrinã Patrum & Scholaſticorum.

putet

putet Deum omnia quæ fiunt ab æterno prædefiniuiſſe, eaque in ſuæ voluntatis definitione & determinatione prænoſſe; tamen ſæpè docet liberum arbitrium non prædeterminari. qua in re ſatis declarat, quantum abhorreat à prędeterminationibus, cùm maluerit ἀσύςατα ponere, quàm eas admittere. Eſt etiam contra communem ſententiam Patrum, qui vt oſtenderent diuinam prouidentiam non adferre neceſſitatem actibus humanis, dicere ſolent, non ideò actiones humanas eſſe futuras, quòd ſint præſcitę à Deo; ſed contrà, ideò à Deo præſciri, quia futuræ ſunt. Origenes lib. 7. in epiſt. ad Roman. Explicans illud, Quos præſciuit: *Non propterea* (inquit) *erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat. nam etſi fingamus, Deum non prænoſcere aliquid; futurum ſine dubio erat, vt ita, puta Iudas, proditor fieret*, &c.

Euſebius lib. 6. Præpar. Euang. cap. 9. ex Origen. in Geneſim; *Primum igitur*, inquit, *aggrediamur, quod Gentium ſapientes in magnos intruſit errores. cùm enim præſcire Deum vniuerſa minimè negarent; neceſſariò nos agere, quidquid agimus, crediderunt.* & infrà: *Aduerſus quos dicendum, Deum omnia ab æterno videre, antecedentia, conſequentia, cauſas rerum & effectus; nec tamen omnium eſſe cauſam.* & infrà: *Sic Deus cùm vniuſcuiuſque voluntatem prauideat; hunc perperàm, illum rectè acturum non ignorat. non ergo præcognitio futurorum cauſa eſt; nec enim vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit aut mouet. Sed è contrario (dicam enim, etiamſi abſurdum multis forſan videri queat) id quod futurum eſt, cauſa eſt, vt Deus illud euenturum prauideat. non ergo ideò fit, quia præſcitur; ſed quia futurum erat, præſcitur.* & alia multa ibidem habet in hanc ſententiam.

Hieronymus in cap. 26. Ieremiæ in principio: *Non quia Deus ſcit futurum aliquid, idcircò futurum eſt; ſed quia futurum eſt, nouit Deus, quia præſcius futurorum.*

Chryſoſtomus hom. 60. in Matth. paulò poſt initium; *Non quia ventura ſcandala prædixit, ideò euenient; ſed quoniam omnino ventura erant, idcircò prædixit.* & infrà: *Quia ſua ſponte incurabiles futuros proſpiciebat, ideò ventura prædixit.*

Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 11. *Quoniam ita nonnulli ſponte facturi erant, idcircò præſcius Spiritus ſanctus futura prædixit.*

Auctor qq. ad Orthodoxos, quæ tribuuntur Iuſtino mart. qu. 58. *Nec eſt prænotio cauſa eius quod futurum erat; ſed quod futurum erat cauſa eſt prænotionis. non enim prænotionem ſequitur res futura, ſed rem futuram prænotio: nec vllo pacto qui prænoſcit cauſa eſt rei futuræ.*

Dama-

Damaſcenus Dialogo contra Manichæos pagina 562. *Præuidens Deus ea quæ à nobis ſponte futura erant; videlicet quæ in noſtra ſunt poteſtate, virtutem dico & vitium; prædeſtinat ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate.* & paulo inferiùs: *Præſcientia Dei vera eſt, & aliter, quàm ipſa habet, res fieri nequit* (hoc enim ſignificat vox ἀπαράβατος, *non immutabilis*, vt vertit interpres) *ſed ipſa non eſt cauſa, cur quod futurum eſt, omnino fiat; ſed quia hoc vel illud facturi ſumus, ideò prænoſcit. prænoſcit autem multa, quæ ipſi non placent, ſed horum cauſa non eſt.*

Hæc ratio Patrum primò fuiſſet friuola, ſi actus omnes humani ſunt prædefiniti. Facilè enim Ethnici inſtare potuiſſent: Etſi non ideò res futuræ ſint quia præſcitæ; tamen futuræ ſunt, quia efficaciter prę-ordinatæ à diuina voluntate. ergo neceſſariò eueniunt, cùm voluntas diuina à nobis impediri nequeat. ſic enim Caluinus eludit hanc Patrum ſententiam lib. 3. Inſtitut. cap. 23. §. 6. *Si hominum*, inquit, *euenta, Deus præuideret dumtaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret ac ordinaret, non abs re ageretur quæſtio, ecquid ad eorum neceſſitatem valeat prouidentia: ſed cùm nō alia ratione præuideat quæ futura ſunt, niſi quia ita vt fierent decreuit; fruſtrà de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potiùs & nutu omnia euenire.* hæc ille. Deinde ratio illorum eſſet falſa; ſi enim omnia ſunt decreta in particulari ante præſcientiam, non ideò ſcit Deus illa futura quia ſunt futura, ſed quia ſunt decreta. Ineptè enim dixeris Deum ab æterno præſciuiſſe futuros Angelos, quia futuri erant; cùm cauſam cur futuri eſſent, ipſe apud ſe haberet, ſuum decretum. Rurſus, ſi omnia ſunt decreta, falſum eſt ea non ideò eſſe futura, quia præſcita; nam præſcientia erit practica reſpectu ipſorum. omitto alia teſtimonia. Neque verum eſt quod quidam reſpondent, Patres ſolùm loqui de actionibus malis; nā Origenes, Euſebius, Damaſcenus & Hieronymus expreſsè etiam de bonis agunt. Ex his videtur ſatis euerſum primum fundamentum gratiæ prædeterminantis.

CAPVT IV.

Adducuntur & ſoluuntur præcipua quædam argumenta, quibus prædictum fundamentum probari ſolet.

Primum argumentum.

PRimum eſt. *In corporalibus*, inquiunt, *non ſolùm forma requiritur quæ eſt principium motus ſeu actionis; ſed etiam eſt neceſſarius motus primi mouentis, quod in ordine corporalium eſt corpus cæleſte. Vnde quamuis calor ignis ſit perfectus, numquam tamen calefaciet, niſi à corpore cæleſti moueatur. Conſtat autem quòd ſicut omnes motus corporales ad motum cæleſtis corporis reducuntur, ſicut in primum mouens corporale, ſic vniuerſi motus tam corporales quàm ſpiritales in primum mouens ſimpliciter reducantur neceſſe eſt. & ideò quantumcumque natura aliqua ſiue corporea ſiue ſpiritalis perfecta proponatur, in ſuum actum prodire non poteſt, niſi à Deo moueatur. Hinc eſt quòd Iſaias dixit: Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. & Chriſtus Dominus ait: Sine me nihil poteſtis facere. & Apoſtolus inclamat: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* Ita auctor illius tract. cap. 6. Confirmantur hęc omnia ex illo axiomate toties repetito; Quia cauſa prima, prius influit in effectum quàm ſecunda. 1

Reſponſio ad primum argumentum.

Quomodo motus corporum pendeat à primo mobili.

Reſpondeo, omnes motus corporum dici quadam ratione pendere à motu primi mobilis & in eum reduci; non quaſi primum mobile quoduis corpus ad omnes ſuas actiones debeat incitare, aut aliquid præuium ad ſingulas edendas imprimere, vt argumentum ſupponit. id enim omni fundamento caret. Quid enim per motum primi mobilis imprimitur igni, vt calefaciat aquam; aut aquæ, vt extinguat ignem; aut magneti, vt attrahat ferrum? non enim imprimitur illis motus localis, quia immota agunt: nec etiam qualitas aliqua determinans ſingula ad ſuas actiones; tum quia motus primi mobilis (cùm ſit motus localis qui nihil eſt aliud quàm Vbi fluens, teſte Scoto in 2. d. 14. in fine) non eſt per ſe productiuus alicuius qualitatis; tum quia hæc qualitas deberet eſſe infinitè multiplex, & ſingulis pænè momentis alia & alia, pro varietate actionum ad quas impelleret; tum quia hæc qualitas, cùm ſit corporalis, rurſus per aliam qualitatem moueri deberet: tum quia omnia mouentur à prima cauſa, vt ipſi volunt; quid ergo opus eſt motione corporis cæleſtis? Denique, ſi motus cælorum repentè ſiſteretur, quis credat eodem momento omnia inferiora redditum iri immota, obſtipa, ſine viribus, ſine efficacia, 2

adeò

adeò vt nec ignis ſit calefacturus manum admotam, vt in argumento dicitur? quòd ſi id verum eſt, omnia viuentia reddentur immortalia; quia mori non poſſunt, ſi non poteſt eſſe actio elementorum. Adde eſſe articulum damnatum (à facultate Theologica Pariſienſi) quòd ignis ceſſante motu cæli non combureret ſtupam appoſitam, vt inquit Durand. in 2. d. 15. qu. 5. n 11. Aliter ergo iſtud dictum eſt explicandum, ſi illud ſaluare velimus: nempe omnes motus corporum inferiorum pendere à motu primi mobilis, non per ſe, aut ob aliquam intrinſecam dependentiam, ſed per accidens, ratione corporum quæ illis motibus adducuntur & abducuntur: quia per motum primi mobilis adducũtur aſtra & planetæ: ab his autem circumlatis, pendet mixtio elementorum, & ortus interituſque mixtorum; quorum motus & actiones pendent à forma cuiuſque & ſuo modo à generante. quamuis reuerà hæc non tam pendent à motu primi mobilis, quàm à motibus propriis planetarum. nam etiamſi motus primi mobilis ſiſteretur, ſi tamen planetæ ſuis motibus mouerentur, non ceſſaret omnis motus in inferioribus. Si tamen omnia cæleſtia quieſcerent, omnis motus & actio fortaſſe tandem ceſſaret in inferioribus; non repentè, ſed ſenſim. nam ſenſim omnia diſſoluerentur in eleméta ex quibus conſtant. Facta autem hac reſolutione, ſola eſſent elementa: quæ etiam quieſcerent, quia ſingula rediiſſent ad ſua loca, nec aliquid eſſet, quod ea concitaret, aut miſceret.

Quomodo intelligi poſſit, omnẽ motum inferiorum corporũ pendere à primo motu.

Dixi *fortaſſe*, quia probabilius videtur contrarium propter vim ſolis & aſtrorum, quorum actio nullo modo pendet à motu locali, vt docet Scotus in 2. d. 14. in fine, & Durand. ſuprà, & alij multi. non enim motus cælorum eſt, vt aſtra poſſint agere, ſed vt eorum actio aptè per mundum diſtribuatur. vnde puto, vt omnis alteratio & motus ceſſet in inferioribus, non ſufficere vt conuerſio aſtrorum ceſſet, ſed requiri vt Deus concurſum ſuum ad alterationem neceſſarium ſubtrahat. Illud autem pronuntiatum, *Id quod eſt primum in quoque genere, eſt cauſa ceterorum*, intelligendum eſt de eo quod eſſentialiter primum eſt, ſeu quod reſpectu ceterorum neceſſariò ſupponitur; vt rectè Scotus ſuprà. motus autem primi mobilis non eſt hoc modo primus, ſed ſolùm ratione eminentię. Ex his patet, vel fundamentum iſtius comparationis verum non eſſe; vel ex illo, eo ſenſu quo verum eſt, non ſequi, Deum debere omnes cauſas ad omnes ſuas actiones incitare. quia primum mobile non incitat omnia corpora ad omnes actiones corporales; ſed ſolùm dicitur cauſa vniuerſalis omnium motuum corporalium, quatenus per motum aſtrorum eſt cauſa

Vt omnis alteratio ceſſet in inferioribus, non ſufficit quies cælorum.

Primum in quouis genere quomodo eſt cauſa ceterorum.

 mixtio-

mixtionis elementorum & ortus mixtorum; & conſequenter motus eorum, quia res naturales dicuntur moueri à generante, à quo virtutem motiuã acceperunt. Hoc modo fateor omnes motus totius creaturæ pendere à Deo, quia pendent ab eo tamquam à cauſa vniuerſali, quæ omnibus creaturis omnem vim agendi & mouẽdi impreſſit. hinc tamen non ſequitur omnes motus ab ipſo proficiſci, tamquam à cauſa per ſuum decretum determinata, quę cauſas ſecundas per ſuam impreſſionem determinet, vt auctor intendit. alioquin non intelligo, quo modo verum non erit illud Melanchthonis & aliorũ hæreticorum, *Deum non ſolùm permittere creaturis vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere.* item, *Deum omnia facere, non permiſſiuè, ſed potenter. Ineptum eſſe gloſſema, Deum mala permittere, non etiam facere.* & alia huiuſmodi, de quibus cap. 3.

Quomodo diuina voluntas dicatur cauſa omnium motionum corporis & ſpiritus.

Quomodo autem omnis motio ſit à prima cauſa, optimè explica- 3
tur à D. Auguſtino ſententia 58. apud Proſperum: *Diuina*, inquit, *voluntas eſt prima & ſuprema cauſa omnium corporaliũ ſpiritualiumq́; motionum. nihil enim ſit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, ſecundùm ineſtimabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſáque republica.* Vnde patet multa permitti tantùm, etiam quæ bona ſunt, vt afflictiones pro peccatis. Si putaſſet D. Auguſtinus omnia eſſe à Deo prædefinita, & Deum ad omnia mouere, cauſaſq́; determinare, nõ dixiſſet, *Iubeatur aut permittatur:* ſed *Iubeatur* tantùm. Nam per iuſſionem ſignificat prædefinitionem, & voluntatem efficacem, qua vult aliquid fieri: quo modo dicit Propheta, *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.* Sic verbo, iuſſu, & imperio Dei dicuntur omnia ex nihilo prodiiſſe, & in eſſe conſeruari.

Ad confirm. ex Script.

Ad confirmationem ex Scripturis: Si ideò à Domino dictum eſt, *Sine me nihil poteſtis facere,* quia ſine motione primæ cauſæ nihil poſſumus; poterat ſimiliter dicere, *Sine me non poteſtis comedere, bibere, ambulare, loqui, imò ſine me non poteſtis vllam actionem malã peragere:* quia ſine motione primę cauſæ (ipſorum ſententiâ) nihil poſſumus. Pari modo ſi ob hanc motionem dictũ eſt ab Apoſtolo, *Deus eſt qui operatur velle & perficere:* nihil ibi peculiare dixit; nam idem poterat dicere de actibus indifferentibus, imò de actibus malis, nempe Deum operari velle & perficere opus malum. quia vt cauſa prima ad illud non minùs mouet quàm ad bonum, vtpote motione prædeterminãte. vnde manifeſtum eſt, non ob motionem cauſæ primę hæc dici, ſed

ſed ob aliam quamdam ſpecialem motionem in ſtatu lapſo neceſſariam. Sine igitur Chriſto nihil poſſumus: quia niſi ipſi per fidem & charitatem tamquam palmites viti inſiti & connexi fuerimus, & in ipſo manſerimus (vt ibidem Dominus ait,) non poſſumus fructum vitæ æternæ proferre. hinc tamen non ſequitur nos ad ſingula opera egere peculiari motione. *Deus* autem *operatur velle & perficere* per ſanctas inſpirationes, illuminationes, affectiones, oſtẽdendo bonum, ad illud alliciendo & trahendo, abſque tamen vlla impreſſione, quæ voluntatem prædeterminet, vt infrà cap. 11. magis explicabitur.

Locus autem Iſaiæ 26. non rectè hîc citatur ab auctore. non enim dicitur *in nobis*, ſed *nobis*. Totus verſiculus ſic habet, *Domine da pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Ita ad verbum ex Hebræo Septuaginta verterunt ad ſenſum, πάντα ἀπέδωκας ἡμῖν, id eſt, *omnia reddidiſti nobis.* Triplex ſenſus adfertur à Patribus. Primus eſt, Reddidiſti nobis merita ſupplicia, itaque tãdem da pacem; prę̃ſta miſericordiam. ita Hieronymus, Procopius, & multi recẽtiores. Huc inclinat verſio noſtra, hoc ſenſu; Quod opera noſtra merebantur, nobis feciſti. q. d. mercedem operum noſtrorum nobis dediſti. nam merces operum interdum opera vocantur in Scripturis. Apocal. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos*, id eſt, merces operum. Secundus eſt, *Da nobis pacem*, id eſt, Spiritum ſanctum, vel Chriſtum; & omnia ſimul reddidiſti, id eſt, reddideris, dederis omne bonum. Ita Cyrillus exponit lib. 10. in Ioan. cap. 7. & Procopius in Comment. huius loci. Tertius eſt, *Da nobis pacem* immortalitatis & coronam iuſtitiæ, quia omnia quæ promiſiſti, reddidiſti nobis & impleſti. Ita Auguſtinus in Pſal. 71. in principio, & Hieronymus in hunc locum. Ex his patet hunc locum nihil ad rem facere: niſi quis cũ paraphraſi Chaldæa & quibuſdam recentioribus intelligat de operibus ſalutis. Sed tunc eo modo intelligendum, quo illud Apoſtoli, *Deus eſt qui operatur velle*, &c.

4 Ad alteram confirmationẽ: Hoc pronuntiatum, *Cauſa prima priùs influit in effectum quàm cauſa ſecunda*, agit de influxu in effectum, non in cauſam ſecundam. quare cùm etiam influat in cauſam ſecundam (vt ipſi affirmant) habemus duos influxus cauſæ primæ priores natura, quàm ſit influxus cauſæ ſecundę. prior, in cauſam ſecundam, quo ipſa determinetur ad opus; alter in opus ipſum. Sed prior ille iam ſatis refutatus eſt. Alter verò qui eſt in effectum, non poteſt eſſe naturâ prior quàm influxus cauſæ ſecundæ, propriè loquendo. Primò, quia alioquin omnis effectus, omniſque volitio, ineuitabiliter

Cauſa prima priùs influit.

Influxus cauſæ primæ in effectum non poteſt eſſe prior natura quàm cauſa ſecundæ.

proueniret à prima cauſa; quod etſi auctores contrariæ ſententiæ facilè admittant (vt patet ex verbis eorum c. 2. n. 8. citatis) tamen nullo modo concedendum putamus. hoc ſequi patet: nam priùs naturâ eſſet producta omnis volitio quàm cauſa creata ad eam concurreret; imò in eo inſtanti voluntas ſe haberet merè paſſiuè. Quod autē priùs naturâ eſſet producta, probatur; quia ſi influxus cauſæ primæ in effectum, eſt prior naturâ, quam influxus cauſæ ſecūdæ; ergo etiam priùs naturâ eſt terminus eius intrinſecus, id eſt, ipſa res illo influxu producta, quàm terminus intrinſecus productus per influxū voluntatis humanę. atqui res producta per influxū Dei in actu volitionis, nō poteſt eſſe aliud quàm volitio producta (ſicut res producta per influxum Dei in lumen, quando cum ſole cōcurrit ad luminis productionem, non poteſt eſſe aliud quàm ipſum lumen: hoc enim eſt terminus intrinſecus iſtius actionis & efficientiæ) ergo volitio tota eſt producta priùs naturâ, quàm voluntas ad illam effectiuè concurrat. & conſequenter in illo priori habebit ſe merè paſſiuè. Quomodo ergo eſt in poteſtate voluntatis impedire, vt volitio illa in ipſa non exiſtat, cùm tota exiſtat priùs naturâ, quàm voluntas concurrat? quomodo non eſt vera ſentētia Lutheri, *voluntatem ſe habere merè paſſiuè*? Si dicas eam non ſe habere paſſiuè, quia in eo ſē inſtanti temporis (etſi poſterius naturâ) concurrit. Reſpondeo id ſatis non eſſe, tum quia opus non eſt illo concurſu, cum iam abſque illo tota volitio ſit producta: tum quia illa volitio poterit perſeuerare in voluntate, etiamſi volūtas ad eam non concurrat (ſicut enim poteſt tota abſque concurſu voluntatis produci; ita etiam producta conſeruari abſque eodem concurſu) tum denique quia ille concurſus voluntatis ſolùm per accidens ſe ad illam volitionem habebit; cum ſine dependentia ab illo, ipſa volitio iam ſit producta. His adde, cauſam primā & ſecundam influere in effectum communem cum mutua dependentia, ac proinde omnino ſimul natura, & neutra priùs altera. Antecedens patet, quia etſi Deus non dependeat à cauſa ſecunda abſolutè; tamen in hoc modo operandi aliqua ratione poteſt dici depēdere ab ea, quatenus per talem influxum non poteſt producere effectum, abſque concurſu cauſæ ſecundæ: nec talis influxus poteſt exiſtere in rerum natura, niſi ſimul exiſtat concurſus cauſæ ſecundæ. ſimiliter, & multo magis, concurſus cauſæ ſecundæ pendet à concurſu cauſæ primæ: quia etſi cauſa prima in ſuo ordine ſit cauſa totalis, & cauſa ſecunda in ſuo tamen neutra eſt totalis omnino, ſed habent ſe vt cauſæ partiales conſtituentes vnam integram cauſam ſimul influentem. nam vbi eſt mutua dependentia, non

Voluntas ſe haberet merè paſſiuè.

Influunt cū mutua dependentia.

poteſt eſſe prius & poſterius natura. Ita Iulius Sirenius lib. 8. de fato cap. 21. de quo plura infrà c. 10. n. 11. & ſequentibus.

5 Ob hæc & alia dicendum eſt, cauſam primam non propriè influere priùs in effectum quàm cauſam ſecundam, ſed hoc tantùm ſenſu, quòd influat influxu magis vniuerſali, qui ſecúdùm ſe prior eſt, quàm influxus cauſæ ſecundæ, qui eſt particularis. influxus enim cauſæ primæ, per ſe primò tendit ad *eſſe*, vt docet D. Thomas in 2. d. 1. quęſt. 1. art. 4 & alibi. *Eſſe* autem eſt vniuerſaliſſimus effectus. vniuerſale verò dicitur prius naturâ particulari, quia ab eo non conuertitur eſſendi conſequentia, vt inquit Ariſtoteles in Categoriis. poteſt enim ratio vniuerſalis ſaluari pereunte quouis particulari. Itaque cauſa prima priùs influit in effectum, quia per ſe primò attingit rationem entis, quæ prima eſt ſecundùm ſe, ſicut gradus vniuerſalis gradu particulari prior eſt: cauſa verò ſecunda, etſi attingat ſuo influxu rationem entis in illo effectu exiſtentem, non tamen attingit illam per ſe primò, ſed aliquam rationem particularem. Ignis enim per ſe primò gignit ignem, leo leonem, calor calorem. vnde influxum per ſe determinatum ad talem ſpeciem præbent. Deus verò concurrens vt prima cauſa & vniuerſalis præbet concurſum per ſe primò vniuerſalem, qui modificatur à concurſu cauſæ ſecundę; ſicut ratio entis modificatur à rationibus inferioribus. ſicut enim ſe habent gradus entium ſeu rationum formalium, ita ſe habent gradus influxuum. nam influxus iſti non ſunt aliud quàm res ipſa, vt eſt in fieri, ſeu vt à cauſa vniuerſali, & particulari procedens. & quamuis concurſus cauſæ primæ per ſe primò ſolùm tendat in eſſe, non tamen inde ſequitur quin concurrat etiam ad rationes particulares. nam ratio entis in omni gradu inferiori intimè includitur, &, vt ſic dicam, imbibitur. Ex hac itaque prioritate non rectè colligitur prioritas cauſæ efficientis. nam gradus vniuerſalis contractus, in vna eademque re exiſtens, non eſt prior gradu particulari niſi ratione. id autem quod prius eſt vt cauſa efficiens (quo modo volunt eſſe priorem influxum primę cauſę in opus quàm influxum cauſæ ſecundæ) eſt prius reipſa, & independens ab eo quo prius eſt, ita vt per abſolutam Dei potentiam poſſit eſſe ſine illo. Hęc de primo argumento.

Quo ſenſu cauſa prima influit prius.

Influxus cauſæ primæ attingit omnes rationes formales.

6 Argumentum ſecundum. *Deus eſt prima cauſa liberi arbitrij & effectuum liberorum, ergo Deus priùs cauſalitate concurrit in genere cauſæ efficientis, quàm liberum arbitrium illi ſubordinatum. ergo priùs natura: nam cùm incipiat priùs in genere cauſæ efficientis, neceſſariò oportet dicere quòd incipiat priùs natura; quoniã inter ea quæ ordinata ſunt,*

Secundum argumentũ.

Deum cauſare conſenſum priùs naturâ quàm voluntas concurrat.

ſunt, neceſſariò debet eſſe ordo. ergo cùm Deus & liberum arbitrium concurrant efficienter ad actum liberum; & Deus concurrat vt motor primus & cauſa primi liberi conſenſus, ſequitur quòd ordine quodam cauſant illum conſenſum, & conſequenter Deus priùs natura & priùs cauſalitate concurrit. Ita quidam auctor 1. p. q. 23. art. 3.

Reſpondetur.

Reſpon. Iam ſatis oſtenſum eſt, Deum non incipere priùs naturâ producere ipſum actum voluntatis, quàm voluntas concurrat; ſed omnino ſimul, ita vt cum mutua dependentia concurrant. alioquin voluntas non ſolùm non erit libera in illo actu, ſed etiam ſe merè paſſiuè habebit. Eſt quidem ordo inter cauſam primam & ſecũdam; nõ quòd cauſa prima priùs naturâ debeat influere in effectum, quàm cauſa ſecunda (hoc enim repugnat rationi cauſæ per cõcurſum cum alia cauſantis) ſed ob alias rationes. Primò, quia eſſentia & vis cauſæ ſecundę formata & impreſſa eſt à cauſa prima. Secundò, quia ab eadem aſſiduo influxu conſeruatur. Tertiò, quia nullo modo poteſt cauſa ſecunda aliquid ſine prima cooperante: cùm prima poſſit abſolutè omnia ſine ſecũda; quamuis non per nudum influxum, quem præbet concurrendo. Quartò, quia concurſus cauſæ primæ, per ſe primò eſt vniuerſalis, concurſus cauſæ ſecundæ particularis. Hæc eſt eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam.

Subordinatio & dependentia eſſentialis cauſæ ſecundæ à prima.

Tertium argumentum.

Argumentum tertium. *Eſt generalis regula Theologorum, quòd ad illa omnia ſe extendit diuina præordinatio & æterna prædefinitio, ad quæ ſe extendit cauſalitas & efficientia Dei. ſed cauſalitas & efficientia primi agentis, quod eſt Deus, ad omnia ſe extendit, & ad omnes actus liberos & contingentes; & non ſolùm ad omnia quantum ad principia ſpeciei, ſed etiam quantum ad principia indiuiduantia. ergo omnia ſubiiciuntur diuinæ præordinationi, etiam in particulari quantum ad ſingulas etiam circumſtantias.* Ita idem auctor 1. p. q. 19. ar. 8. 7

Deum omnia præordinaſſe in particulari etiã quoad ſingulas circumſtantias.

Reſpon. Maior non eſt vera, ſi loquamur de præordinatione qua rem illá voluerit & decreuerit fieri, de qua & hîc diſputamus, & auctor ille loquitur. Falſum enim putamus, omnia illa eſſe prȩordinata & prædefinita vt fiant, ad quæ quoquo modo ſe cauſalitas Dei extendit. extendit enim ſe cauſalitas & efficientia Dei, quam habet vt cauſa vniuerſalis omnibus creaturis cooperans, ad actum odij Dei, & ad alios omnes actus peccatorum, quos negamus à Deo fuiſſe præordinatos vt fierent. alioquin Deum faciemus auctorem peccatorum: vt cap. 3. oſtenſum eſt. Nulla igitur eſt talis regula Catholicorum Theologorum, quamuis non negem à Lutheranis & Caluiniſtis eam facilè admittendam.

Argu-

8 Argumentum quartum. Si Deus non prædefiniret omnia in particulari, non haberet perfectam omnium prouidentiam. nam perfecta prouidentia non ſolùm extēdit ſe ad omnia in confuſo, ſed etiam in particulari ſecundùm omnes circumſtantias. Confirmatur, *quia ſi Deus non prædefiniret ante omnem præuiſionem rerum effectus omnes futuros, etiam liberos* (inquit ille auctor ſuprà ar.8.) *tunc reſpectu Dei quodammodò daretur caſus & fortuna, & aliqua euenirent præter eius intentionem. Neque ſufficit reſpondere quòd non daretur caſus & fortuna, quia Deus cerneret in propria menſura æternitatis huiuſmodi euentus liberos: nam caſus & fortuna in effectibus non ſumitur reſpectu præuiſionis, ſed reſpectu prædefinitionis & præordinationis. Id enim quod non eſt prædefinitum aut intentum aut præordinatum, dicitur eſſe à fortuna & caſu, reſpectu eius qui de ea re non prædefiniuit neque præordinauit.*

Niſi Deus omnia intenderit vt ſic fiant, fore in ipſo caſum & fortunam.

Reſpon. negando, Deum non habiturum perfectiſſimam prouidentiam. perfectiſſima enim prouidentia non requirit, vt ſingulæ actiones in particulari cum omnibus circumſtantiis abſolutè præordinentur & ſubditis præſcribantur: quia nimis anguſta, nimiſque circa res pleraſque indifferentes, nulliuſque momenti ad Dei gloriam, vel bonum creaturarum, ſollicita eſt talis prouidentia. Et ſanè ſi ipſe omnia ex ſolo ſuo ingenio & naturali bonitate abſolutè prædefinire voluiſſet, non niſi optima in ſuo quoque ordine & perfectiſſima preordinaſſet. ſicut fecit in prima creatione, vbi omnia ab ipſo præordinata fuere in ſuis ordinibus perfectiſſima. Habet igitur Deus perfectiſſimam omnium prouidentiam, non quia perfectiſſimo modo vult omnia aut procurat vt exiſtant (vt argumentum ſupponit) ſed Primò, quia omnibus rebus conuenientiſſima media ad ſuos fines, & ſufficientes vires ad ſuas functiones prouidit; & inſuper creaturæ rationali vim prouidentiæ inſeruit, qua ipſa ſibi prouidere, ſuique & rerum inferiorum curam gerere, & ex infinitis actionibus eligere & facere poſſet quas vellet. hoc enim longè pulchrius eſt, quàm ſi ipſe certas tantùm quaſdam actiones illi præordinaſſet & præſcripſiſſet vt illas ſolas faceret, ad illas ſolas mouendo vel concurſum offerendo. Secundò, quia vnumquemque pro ſuo captu & prout conditio rerum fert ad bonum excitat, & à malo auertit. Tertiò, quia nihil fit in mundo ab vlla creatura, quin Deus circa illud habeat hos actus. Primò, præſcit illud per præſcientiam conditionatam, nempe ex iſta diſpoſitione cauſarum illud futurum, ſi permittatur, &c. Secundò, decernit vel deſiderat vt fiat, vel certè decernit permittere fieri. Ter-

Qua perfectiſſima prouidentia.

Quos actus prouidentia habeat Deus circa res ſingulas.

tiò, vult præbere concurſum. Quartò, præuidet illud præſcientia abſoluta. Quintò, habet circa illud actum complacentiæ vel diſplicentię. Sextò, ordinat illud ad ſuā gloriam. ſi enim eſt actus bonus, ſtatuit remunerare; ſi malus, punire. Hinc patet quo modo omnia ſub eius prouidentiam cadant in particulari: hinc tamen nemo colligat omnia per eius prouidentiam fieri. Ea enim quæ ipſe non intendit nec cupit fieri, nec media dedit eo fine vt iſta vel iſtis ſimilia fierent, non fiunt per eius prouidentiam; quia Deus per media quæ contulit, talia fieri nō cupit. Talia ſunt omnia opera praua interna vel externa: hæc tamen non fiunt ſine eius prouidentia; quia vt fiant requiritur vt Deus velit permittere, & præbere concurſum; quæ volitiones in eius prouidentia includuntur. hoc ſenſu, omnia dicuntur cadere ſub diuinam prouidentiam.

Multa fieri præter intentionem Dei.

Ad confirmationem: Omnino concedendum eſt multa fieri præter intentionē Dei. intendit enim Deus per ſuas inſpirationes peccatores conuertere: dum ergo obdurant corda ſua & ſpernūt conſilium Dei, agunt præter intentionem Dei. quomodo enim iuxta ſanam doctrinam dici poteſt Deus intendiſſe, vt ſuas inſpirationes reiicerent, aut vt peccatores omnia illa facerent, quæ faciunt? Nónne Scriptura paſſim docet, Deum odiſſe iniquitatem, odiſſe opera impiorum, nolle mortem peccatoris, & ſimilia? quomodo ergo hæc non eueniunt præter eius intentionem? Vnde mirum eſt auctorem illum hoc inferre tamquam abſurdum, dum ſic argumentatur: *Si Deus non prædefiniret ante omnem præuiſionem rerum effectus omnes futuros, etiam liberos, aliqua præter eius intentionē euenirent.* Potiùs ſic ratiocinādum erat: *Multa fiunt præter intentionem & voluntatem Dei. ergo voluntas Dei non prædefiniuit omnia vt fiant.* quidquid enim fit contra præceptum diuinum, fit præter intentionem Dei. non enim Deus aliud præcipit homini vt faciat, aliud intendit vt faciat. abſit. ſimiliter quod prohibet ne fiat, non intendit vt fiat. abſit. Hinc tamen non ſequitur aliquid fieri contra voluntatem Dei, qua abſolutè & efficaciter vult aliquid fieri aut non fieri; quam voluntatem beneplaciti vocamus; ſed huiuſmodi voluntatem non habet regulariter circa actus liberi arbitrij: vt docet Damaſcenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 30. & lib. contra Manichæos pag. 562. & colligitur euidenter ex Patribus ſuprà cap. 3. nu. 24. citatis. Similiter non ſequitur, Deo eſſe aliquid fortuitum, aut caſuale. falſum enim eſt, omne id quod non eſt præordinatum & intentum, caſu vel fortuitò dici euenire, reſpectu eius, qui illud non præordinauit. alioquin peccata vel erunt Deo fortuita,

vel

vel erunt ab ipſo præordinata & intenta: quorum vtrumque ſacrilegum eſt fateri. Confirm. quia nemo dicit ſibi fortuitò eueniſſe, quod præſciuit & poterat vitare; & multo minùs ſi cùm eſſet in eius poteſtate impedire, de induſtria permiſit. quæ enim caſu vel fortuna nobis accidunt, non præuidemus, nec poſſumus vitare. vnde veteres ponebant caſum & fortunam eſſe cauſas occultas, vt Ariſtoteles ait lib. 2. Phyſicorum cap. 4.

10 Argumentum quintum. *Si Deus non prædeterminaret efficienter & phyſicè liberum arbitrium, ſed ſolùm moraliter, nõ cognoſceret Deus effectus liberos in determinatione & decreto ſuæ voluntatis, ſed ſolùm in noſtro arbitrio coniecturaliter, quia non prædeterminatur phyſicè, ſed ſolùm moraliter mouetur. ſolùm ergo eos cognoſceret, quia in æternitate continentur, ſicut alia omnia.* Ita auctor ille quæſt. 23. art. 3. & iſte Tract. cap. 20. *Quintum argumẽtum.*

Reſpondeo non eſſe neceſſe vt Deus omnia præſciat ex decreto ſuę volũtatis. neq; inde ſequitur *quòd ſolùm coniecturaliter actus voluntatis præſciet*; quia non præſciet illos tantùm ex diſpoſitione præuia voluntatis, ſed ex ipſa illorum exiſtentia determinata in voluntate. id eſt, cognoſcet illos actus quia erunt, vt Patres docent. tanta enim eſt vis cognoſcendi diuinæ mentis, vt extendat ſe ad omne id quod vel abſolutè futurum eſt, vel poſita aliqua hypotheſi futurum eſſet: quia extendit ſe ad omne verum. Et ſanè ſi Deus illos actus certò præſcit tamquam præſentes in æternitate (vt auctor fatetur) quid opus eſt vt cognoſcat in decreto ſuæ voluntatis? non enim neceſſe eſt vt pluribus modis illos præſciat. Vnde D. Thomas explicans quomodo Deus futura contingentia præſciat, numquam recurrit ad determinationem voluntatis diuinæ, neque vſquam hunc modum poſuit (quod tamen feciſſet haud dubiè, ſi probabilem putaſſet; quia eſt facillimus & planiſſimus) ſed totum refert ad coëxiſtentiam æternitatis, qui modus eſt admodum obſcurus, & paſſim oppugnatur, niſi benignè explicetur. Sanè incredibile eſt D. Thomam hanc rationem adeò facilem & obuiam fuiſſe prætermiſſurum, ſi eam veriſimilem putaſſet. *Reſponſio.*

11 Argumentum ſextum. *Deus & homo cùm conueniunt ad eumdem effectum efficiendum, vel conueniunt à caſu & fortuitò, vel ſimul concurrunt per ſe & quaſi ex naturali quadam coniunctione. Primum dici non poteſt; nam aliàs Dei concurſus eſſet per accidens. Si per ſe conueniunt & ex certa ſcientia & cognitione; tunc vel cauſa ſecunda excitat primam vt ſecum cooperetur; & hoc non; quia aliàs priùs naturâ intel-* *Sextum argumentum.*

 lige-

ligeretur operatio & vſus cauſæ ſecundæ quàm concurſus Dei; ac proin de priùs intelligeretur effectus quàm cauſa prima agens. ergo dicendum eſt priùs intelligi cauſam primam mouentem efficaciter cauſam ſecundam ad hoc vt operetur. ergo priùs omnino intelligitur volitio & motio efficax Dei phyſicè præmouens. ita idem auctor ſuprà.

Reſpon. 1. Reſpondeo Primò, Si hoc argumentum aliquid probat, conuincit etiam effectum cauſę primę eſſe priùs naturâ productum, quàm cauſa ſecunda intelligatur agens. ſicque voluntas non ſolùm non poterit vllam volitionem impedire ne exiſtat (non enim poteſt impedire effectum primæ cauſę, qui intelligitur in ipſa productus priùs naturâ quàm ipſa operetur) ſed etiam ſe habebit merè paſſiuè, vt oſtenſum in reſponſione ad primum argumentum. Hoc enim euidenter ſequi ex prædicto argumento patet. nam ſi ex eo quòd cauſa ſecunda ponitur excitare primam vt ſecum operetur, ſequitur priùs naturâ intelligi operationem & effectum cauſæ ſecundæ, quàm cauſa prima agat; vt in argumento dicitur: ergo ſimiliter ex eo quòd cauſa prima ponitur excitare & efficaciter mouere ſecundam, effectus cauſæ primæ intelligetur priùs naturâ exiſtens, quàm cauſa ſecunda agat. Loquor autem non tantùm de effectu quo cauſa prima determinat cauſam ſecundam, ſed etiam de effectu communi ad quem concurrit; quia in hunc priùs naturâ influit cauſa prima, quàm cauſa ſecunda, vt ipſi ſæpè docent. Secundò, conuincit ferream quamdam & ineuitabilem omnium actuum neceſſitatem. quia motio cauſæ primæ determinans voluntatem ad ſingulos actus, intelligitur priùs naturâ exiſtens in voluntate, quàm voluntas poſſit operari; ac proinde nec motio illa, nec effectus eius, poſſunt vllo modo impediri. euidens enim eſt, non eſſe vllo modo in poteſtate voluntatis, quod omnem eius operationem anteuertit. atqui motio illa & effectus eius anteuertunt operationem & influxum voluntatis: ergo, &c.

Effectus primæ cauſæ erit priùs naturâ productus, quàm cauſa ſecunda agat.

Reſpondeo Secundò, Deum & voluntatem humanam ad eumdem effectum producendum conuenire, non fortuitò, ſed ex propoſito & certa ſcientia Dei: & etiam veluti ex naturali quadam connexione potentiæ diuinæ cum creatura. quæ res cùm difficilis ſit, & vnde potiſſimùm caligo in hac quæſtione oritur, fuſiùs explicanda eſt. nam ideò potiſſimùm introductæ ſunt à ſuis auctoribus illæ abſolutę prædefinitiones, & his connexę prædeterminationes, quia non poterant alioquin concipere, qua ratione iſti concurſus poſſint connecti & cohærere. 12

Ex propoſito cooperatur. Dico igitur, *Deum ex propoſito*, & non fortuitò, cooperari libero arbi-

arbitrio; quia ex Dei propoſito & ordinatione prouenit, vt voluntas creata concurſum Dei ad omnem actum omni tempore paratum habeat. non enim ſufficiebat Cauſis creatis vires inſeruiſſe, ſed oportebat, vt etiam ſuam cooperationem & concurſum ipſis paratum exhiberet, vt quælibet ſecundùm proprium naturæ ſuæ modum operari poſſet. hoc autem fecit ſua voluntate libera, applicando ſingulis ſuam potentiam executiuam, qua immediatè omnia foris operatur; vt quoties aliqua cauſa operari voluerit, vel in illa periſtaſi rerum fuerit, vt ſecundùm ordinem naturæ operari ſit neceſſe, adiuuet & cooperetur.

Addo etiam *ex naturali connexione*: quia poſita hac applicatione, potentia diuina ita manet coniuncta & connexa cauſæ creatæ, vt hac operante, illa neceſſariò cooperetur, & veluti ſimul trahatur ad cooperandum. ſicut intellectu eliciente intellectionem, ſpecies intelligibilis ſimul trahitur ad influendum in eamdem intellectionem. Neque id aliquam in Deo imperfectionem inducit. quia hæc neceſſitas non prouenit ex aliqua imbecillitate aut ſubiectione, quaſi non poſſit creaturæ reſiſtere, aut cooperationem ſuam abſolutè inhibere, ſed ex decreto libero diuinæ voluntatis, quo vult ſe benignè ad modulum creaturæ demittere, & potentiæ ſuæ cooperationem illi attemperare. Sicut enim poſito decreto diuinæ voluntatis, quo decernit aliquid abſolutè fieri, v.gr. vt fiat hic mundus, hoc aſtrum, hæc anima, potentia ipſius manet determinata ad illud, abſolutè & independenter ab alterius conſenſu faciendum; ita poſito decreto quo decernit aliquid ſub conditione ab alio pendente, manet potentia eius determinata ad illud operandum, poſita conditione. Vnde ſi decreuit cooperari creaturæ, quoties ipſa voluerit; operante creatura, diuina potentia quadam neceſſitate veluti trahetur ad cooperandum: trahetur inquam non vi creaturę, ſed vi decreti diuini. Vnde patet, non oportere, vt cauſa creata aliquid agat, aut vt Deum excitet ad cõcurrendum propriè loquendo: vt exemplis declarari poteſt. Hoc ipſo enim quo potentia intellectiua producit intellectionem, ſimul naturâ concurrit ſpecies intelligibilis (vel ſecundùm quoſdam, ipſum obiectũ, præſertim ſi ſit intellectio intuitiua, non abſtractiua) & habitus ſcientiæ; & tamen intellectus, nihil circa illam ſpeciem, obiectum, aut habitum agit. Hoc ipſo quo potentia voluntatis producit actum ſupernaturalem dilectionis, influendo in illum, eo ipſo ſimul influit habitus ſupernaturalis charitatis: & multorum ſententiâ, actus intellectus concurrit effectiuè ad omnẽ actum voluntatis, immediatè influendo

Ex connexione naturali.

Cauſa creata nihil agit circa Deum, vt illum excitet ad cooperandum.

Declaratur exemplis.

in illum; & tamen voluntas, in cuius poteſtate eſt ſuus actus, nihil agit circa intellectum. Simili modo cogitandum eſt diuinam potentiam, veluti habitum quemdam, omnibus rebus intime inſidentem & connexum, ſimul in omni operatione cooperari; vel potiùs ad omnem cauſam creatam, ſe habere, ſicut eſſentia animæ ad ſuas potentias (ſi tamen realiter ab illis diſtinguitur) ſemotis imperfectionibus; cùm ipſe ſit omnium eſſe, omnium vita & vigor, omnia ſemper actu formans & conſeruans: vt Dionyſius cap. 5. & 6. de diuinis nominibus docet.

Dices Primò, Deus non ſolùm exhibet creaturę ſuum concurſum in genere vt agat quod voluerit, ſed etiam in particulari ad hanc vel illam actionem, hoc & illo momento. Atqui id quod facit in tempore, prædefiniuit ab æterno. ergo ab æterno prædefiniuit hunc concurſum, hoc momento dandum; & illum, illo; & ſic de ceteris omnibus. ergo ratio, quòd homo operetur hîc & nunc, hoc aut illud, eſt, quia Deus ab æterno prædefiniuit dare concurſum hîc & nunc, ad hoc opus. & ita Deus determinabit cauſam ſecundam per ſuú concurſum. 13

Omnes concurſus prædefiniti, & quo modo.

Reſpondeo negando totam ſecundam conſequentiam, quia etſi omnes concurſus, quos Deus dat in tempore, ſint prædefiniti ab ęterno: non tamen ſunt prædefiniti abſolutè, ante pręuiſionem determinationis cauſæ ſecundę, ſed ſolùm ſub conditione, & ex hypotheſi, ſi cauſa ſecunda ſe ad hanc vel illam actionem determinauerit. poſtulat enim ratio cooperationis, vt non prædefiniatur abſolutè, ſed ſolùm ex hypotheſi, videlicet ſi ponenda ſit operatio cauſæ quæ cooperatione alterius eget. Hac autem operatione poſitâ, illa prædefinitio conditionata, tranſit in abſolutam; fitque abſolutè efficax in actu ſecundo: nam ex illa ſequitur concurſus. Sicut cùm quis donat aliquid ſub certa conditione, poſita iſta conditione donatio fit abſoluta, & efficax in actu ſecundo, producitque ſuum effectum vi ſua, nec opus eſt illam ſub forma actus abſoluti repetere. Idem dicendum de omni conſenſu, & volitione conditionata. Simili modo prædefinitio illa conditionata, qua Deus prædefiniuit concurſum poſita conditione, nempe determinatione voluntatis, fit abſoluta & efficax, producitque concurſum: nec opus eſt alio actu, quo ille concurſus ſit abſolutè prædefinitus.

Dices Secundò, Si Deus ſolùm ſub illa conditione prædefiniuit ſuum concurſum; ſequuntur duo incommoda. Alterum eſt, non aliter prædefiniri & offerri concurſum ad actiones reipſa futuras, quàm ad poſſibiles, quod videtur inconueniens. Nam ſic, id quod Deus 14

num-

numquam facturus eſt, eodem modo eſſet prædefinitum, atque id quod ipſe facturus eſt. Alterum eſt, nihil eſſe quod Deum excitet ad illum concurſum reipſa conferendum, quãdo illud momentum, quo conditio ponenda eſt, aduenerit. non enim præuideri poteſt illa conditio antequam detur concurſus; nam ſine concurſu Dei, non poteſt illa conditio poni. voluntas enim creata non poteſt ſe determinare, nec inchoare ſuam actionem, niſi iam habeat concurſum; in qua inchoatione ſita eſt illa conditio. quo modo ergo poteſt fieri, vt Deus, in conferendo concurſu, expectet illam conditionem, cùm illa conditio, ſine Dei concurſu, poni non poſſit? Confirmatur, quia id quod requiritur velut conditio vt alterum ſit vel fiat, concipitur vt naturâ prius. atqui inchoatio actionis, non eſt prior naturâ, quàm concurſus Dei. ergo concurſus Dei non poteſt eſſe prædefinitus, ſub hac conditione, ſed abſolutè prædefinitus eſt.

Prior reſponſio.

Ad prius incommodum reſponderi poteſt primò, negando illud ſequi. etſi enim prædefiniat concurſum ſuum ſub conditione, aliter tamen prædefinit concurſum, quem reipſa in tempore hîc & nunc confert in actu ſecũdo, aliter quem ſolùm offert in actu primo. quod ſic declaratur: Præſcit Deus per præſcientiam conditionatam ante omnem prædefinitionem liberam ſuæ voluntatis, quibus momentis, & ad quas actiones liberum arbitrium hominis ſe determinabit, ſi concurſum ad omnem actionem preparatum, & quaſi in ſua poteſtate poſitum habuerit. qua præſcientia poſita, facilè poteſt ab æterno, pro illis actionibus & momentis particulares concurſus prædefinire, abſolutè volendo, vt tunc exiſtant; & in tempore ex vi huius decreti eos influxui noſtro in opus coniungere; ita vt nec præueniant nec ſequantur momento temporis, vel ordine cauſalitatis influxum noſtrum; ſed omnino ſimul incipiant, perſeuerent & deſinant. hoc tamen modo, non prædefiniuit ſuos concurſus, ad actiones quas liberum arbitrium facere quidem poteſt, nũquam tamen facturũ eſt.

An Deus aliter cõcurſum ſuum offerat ad actiones futuras quã ad poſſibiles.

Hinc facilè reſpondetur ad alterum incommodum: etſi enim concurſus ille qui in tempore datur, prædefinitus ſit ſub conditione determinationis cauſæ creatæ; tamen quia hæc determinatio eſt preuiſa ex hypotheſi, certo momento futura, facilè Deus potuit in illud momentum, & ad illam actionem, ſui concurſus prædefinitionem dirigere. vnde potentia diuina manet ex vi huius prædefinitionis determinata, vt illo momento adueniente concurſum illum præbeat: & ita non eget alia excitatione; ſicut nec in aliis decretis abſolutis, certo momento exequendis.

Verùm

Verùm etſi hic modus prædefiniendi ſit poſſibilis, non tamen eſt 1
neceſſarius, neque ſatisfit argumento: nam ex hac ipſa reſponſione, ſi quis bene aduertat, ſequitur, vt Deus concurſum ſuum iſto vel illo momento, ad hanc vel illam actionem præbeat, nõ eſſe neceſſarium vt pręcedat aliqua particularis prędefinitio, quò concurſus ille in particulari prædefiniatur, aut etiam vt præcedat illa præſcientia conditionata, per ſe loquendo. Si enim ex eo quòd Deus ſuum concurſum ad quamuis actionem exhibet libero arbitrio in actu primo, ponendo illum in eius poteſtate, ſcire poteſt ad quam actionem ſe determinabit; ergo liberum arbitrium poteſt ſe determinare abſque huiuſmodi præſcientia & prædefinitione abſoluta præcedente. nam prius ratione eſt, liberum arbitrium ſe determinare & cõcurſum diuinum ei dari hoc momento temporis, quàm Deum præſcire illud ita futurum. ideò enim præſcit abſolutè, quia abſolutè futurum eſt; & ideò ex hypotheſi præſcit, quia illud idem ex hypotheſi futurum eſſet, vt patet ex teſtimoniis Patrum ſuprà allatis. Omitto alias rationes, ob quas hic modus abſolutæ prædefinitionis minùs mihi probatur.

Itaque concurſus Dei ex natura rei non poſtulat vt ſupponatur ei præſcientia actionis, aut abſoluta prædefinitio quæ vel circa actionem vel circa ipſum concurſum verſetur, vt quidam imaginantur. Nam etſi in Deo non eſſet præſcientia conditionata; nihilominùs poſſet ſuum concurſum dare illis temporibus & momentis, quibus modò dat, & ad eaſdem actiones. Ratio eſt, quia abſque huiuſmodi præſcientia & prædefinitione poteſt illum ponere in poteſtate hominis, ita vt homo poſſit illo vti ad quaſlibet actiones. Vt enim Deus ponat concurſum ſuum in poteſtate hominis ad quaſuis actiones, ſufficit primò, vt cognoſcat per ſimplicem intelligentiam omnes actiones quas ſingulis momentis facere poteſt, & omnes concurſus his congruentes, ſiue illi ex parte Dei ad ſingulas ſpecies actionum ſint diſtincti, ſiue non: ſecundò, vt ex illa cognitione applicet potentiam ſuam ad quemuis iſtorum cõcurſuum conferendum, ſi liberum arbitrium ſe ad aliquam illarum actionum determinauerit. Tunc enim ex vi huius applicationis per voluntatem diuinam factę, manebit potentia diuina abſque alia prædefinitione, aut præſcientia præuia determinata ad efficiendũ quouis momento concurſum actioni liberi arbitrij congruentem. Quod vt meliùs intelligatur, quatuor ſunt conſideranda, intellectus diuinus, voluntas diuina, potentia executiua, qua immediatè operatur exteriùs, quam puto ratione diſtingui ab intellectu & voluntate, & cauſa creata.

Deus ponit concurſum ſuum in poteſtate hominis.

Quo modo id fiat.

Primò,

Primò, Intellectus diuinus diſtinctè concipit & cognoſcit omnes operationes, quas cauſa creata quouis momento facere poteſt, ſi concurſum præparatum habuerit; concipit etiam omnes concurſus his actionibus accommodatos.

Secundò, Voluntas diuina prædefinit & decernit vt cauſa creata omnes illos concurſus ad omnes illas operationes paratos & expeditos in actu primo habeat, vt ſi ipſa hoc momento ſe ad hanc operationem determinet, habeat hunc concurſum; ſi ad illam, iſtum; ſi ad aliam, alium; & ſic de ceteris.

Tertiò, Potētia Dei executiua ex vi huius decreti, manet determinata veluti cauſa naturalis, ad quemuis illorum concurſuum cauſandum, quem quæuis operatio requirit, ſi cauſa creata ſe ad illam determinauerit. ſicut habitus voluntatis naturaliter eſt determinatus ad præbendum illum concurſum, quem operatio, ad quam voluntas ſe applicuerit, poſtulabit. Vnde potentia diuina ſe habet inſtar cauſæ naturalis, concurrentis cum cauſa libera. ſicut enim cauſa naturalis, quę cōcurrit cum libera, eſt determinata ad cauſandum concurſum cōgruentem operationi ad quā libera ſe flectere voluerit; ita potentia diuina eſt determinata ad prębendū concurſum congruentem operationi voluntatis creatę. ſolùm eſt diſcrimen, quòd hæc determinatio proueniat ex vi decreti diuini, illa ex conditione naturæ.

Quartò, Cauſa creata, v. g. voluntas humana, his poſitis, habet in ſua poteſtate quamuis illarum operationum, & conſequenter quemuis illorum concurſuum, qui ſingulis operationibus ex hypotheſi eſt prædefinitus. ſi enim determinauerit ſe v.g. hoc momento ad actum amoris Dei, potentia diuina, veluti naturali neceſſitate, cauſabit concurſum, quem voluntas diuina pro hoc actu prædefiniuit: ſi ad actum odij, cauſabit concurſum pro hoc actu prædefinitum. & ſic de ceteris. nec opus eſt ad hoc alia prædefinitione diuinę voluntatis.

16 Ex his reſponderi poteſt ſupradictis incommodis. Ad primum, Non eſſe incommodum, etſi concurſus reipſa futuri dicantur non eſſe aliter à Deo prædefiniti, ante præuiſione determinationis cauſæ ſecundæ, quàm qui reipſa numquam ſunt futuri: quia prædefinitio concurſus, facta ſub hac conditione, ſi liberum arbitrium ſe determinauerit, ſufficit, vt quilibet, poſita illa conditione, exiſtat in actu ſecundo, vt oſtenſum eſt. Tunc enim illa prædefinitio conditionata tranſit in abſolutam, fitque efficax: & Deus vult hîc & nunc abſolutè concurſum ad hanc actionem præbere. Vnde etſi ante determinationem cauſę ſecundę pręuiſam concurſus reipſa futurus, *Reſpon. ad primum incommodum.*

turus, non ſit aliter prædefinitus, quàm is qui non eſt re ipſa futurus: tamen abſolutè loquendo eſt aliter prædefinitus. nam poſita determinatione cauſę ſecundæ, quæ reipſa ab æterno præſcitur futura, eſt prædefinitus abſolutè; quo modo is qui non eſt futurus, non poteſt eſſe prædefinitus. Sanè nulla ratio cogit nos fateri omnes concurſus diuinos eſſe abſoluto decreto in particulari prædefinitos ante præuiſionem determinationis cauſę ſecundę. Sufficit dicamus illos eſſe abſolutè prædefinitos poſita illa determinatione, ſicut diximus de actionibus ipſis, ad quas dantur illi concurſus. Alioquin ſequentur eadem incommoda, quæ ex abſoluta prædefinitione actionum deduximus. Accedit quòd ratio concurſus & cooperationis cum altero liberè operante id poſtulet. Sicut enim cùm Deus ſe ſoloque ſuo arbitrio aliquid facturus eſt, illa operatio, qua id facturus eſt, debet eſſe prędefinita abſolutè & independēter ab arbitrio & nutu creaturę: ita cùm aliquid facturus eſt ad arbitrium & nutum creaturę per modum cooperantis dumtaxat & adiuuantis, cooperatio illa non debet eſſe abſolutè decreta in particulari ante præuiſionem determinationis creaturę; quia ſupponit alterius influxum cui coniungatur. Fatendum tamen eſt Deum certiſſimè præſcire ad quam actionem voluntas creata ſe ſit determinatura, & quem concurſum habitura, ex hypotheſi illa generali, ſi concurſum meum in eius poteſtate poſuero. Etſi enim talis præſcientia non ſit neceſſaria ad concurſum in particulari præbendum, vt oſtenſum eſt; tamen eſt neceſſaria ad rationem perfectæ prouidentię, quæ poſtulat, vt Deus, quauis hypotheſi facta, pręſciat quid ſit euenturum, nimirum vt norit an expediat concurſum conferre, an denegare, actionem permittere, an impedire, an procurare. Ex his etiam patet, quo modo Deus concurrat ex certa ſcientia. Pręcedit enim pręſcientia conditionata tum concurſus tum actionis, vt dictum eſt: neque hæc ſola præcedit, ſed etiam abſoluta. nam ſuppoſita præſcientia conditionata, in decreto ſuo permiſſiuo ab æterno abſolutè nouit actionem & concurſum futurum: vnde cùm in tempore confert, id facit ex certa notitia vtriuſque.

Non opus eſt excitatione. Ad alterum incommodum reſpondetur, non eſſe opus vt aliquid ſit, quod Deum excitet ad dandum concurſum in actu ſecundo. Ratio eſt, quia quando plures cauſæ ad idem opus indiuiduum concurrunt, quarum vna liberè, alię neceſſariò operantur; illæ quę neceſſariò influunt, naturâ ſuâ ſunt determinatæ ad præbendum influxum congruentem, ſi ea quę liberè operatur, ſuum influxum ad opus contulerit. illæ enim expectant hanc, vt quaſi inchoët actionem, vt tunc

ſimul

ſimul concurrant. ſic habitus voluntatis & auxilium præueniens, naturâ ſuâ ſunt determinata ad prębendum influxum in actum voluntatis, ſolumque expectant vt potentia voluntatis ſuum influxum in actum conferat. Itaque cùm potentia diuina, ſuppoſita prædefinitione illa conditionata diuinæ voluntatis, maneat quaſi naturaliter determinata & inclinata ad præbendum concurſum quouis momento, quem actio creaturæ poſtulauerit; hoc ipſo quo creatura ſe ad aliquam actionem ex ſua indifferenti poteſtate determinat, illa cōcurſum congruentem præbet. vnde nihil expectat, niſi, vt ſicut ipſa ex parte ſua determinata eſt ad præbendum concurſum pro qualibet actione, ita quoque liberum arbitrium creatum, ſe ad aliquam illarum determinet.

Hinc tamen non ſequitur creaturæ determinationem eſſe priorem naturâ, quàm ſit concurſus Dei: quia non omnis conditio requiſita vt aliquid fiat, eſt illo prior naturâ; datur enim conditio concomitans, quæ eſt ſimul naturâ. ſic materia vt ſuam cauſalitatem ad effectum conferat, expectat, vt agens formam imprimat; & tamen non priùs naturâ agens formam imprimit, quàm materia illam ſuſtentet, aut ſeipſam in effectum expendat. Simili modo, etiamſi Deus, vt ſuum concurſum conferat, expectat concurſum liberi arbitrij; tamen concurſus liberi arbitrij non eſt prior naturâ, quàm concurſus Dei. Idem cernitur in concurſu habitus & apprehenſionis obiecti cum volūtate. Hinc patet ad confirmationem. Nec obſtat, quòd dicamus, liberum arbitrium inchoare ſuam actionē; quia non inchoat ſine concurſu Dei, ſed per hoc tantùm ſignificatur, ipſum propriè eſſe cauſam quòd actus hîc & nunc in hac vel illa ſpecie fiat. vt infrà cap. 10 magis explicabitur. Hæc paulo fuſiùs declarauerim ob rei difficultatem. *Determinatio creaturæ non eſt prior cōcurſu Dei.*

17 Argumentum ſeptimum. *Deus prædefiniuit quot eſſent futuræ animæ rationales, quæ liberè fiunt in congreſſibus humanis: imò cùm huiuſmodi generationes multis modis impediri poſſint per actus noſtros, videtur quòd omnes iſti actus neceſſario ſint prædefiniti in particulari.* Idem 1. p. q. 22. a. 4. *Omnes actus humanarum coniunctionū eſſe in particulari prædefinitos.*

Reſpondeo primò, Si hæc vera ſunt, ergo Deus prædeſtinauit tot inceſtus, tot ſacrilegos concubitus, tot virginum corruptelas, tot adulteria, ex quibus tot homines ab initio mundi ſunt procreati. quod nefas eſt dicere, vt patet ex ſupradictis cap. 3. n. 4. & 5.

Reſpondeo ſecundò, Non prædefiniuit Deus omnes animas futuras cum omnibus circumſtantiis, ante præuiſionem cauſarum ſecun-

darum applicantium ſe ad generationem. Vnde non fuit neceſſe omnes generationes in particulari veluti in eodem ſigno rationis prædefinire. nihil enim eſt, quod ad hoc affirmandum cogat; & ratio prouidentiæ id minimè requirit. Sic etiam non prædefiniuit ſupplicia impiorum in particulari, ante præuiſionem peccatorum. neque paſſionem Chriſti Domini in particulari prædeſtinauit ante præuiſionem malitiæ Iudaicæ. Qui contrarium affirmant, non video quomodo non faciant Deum auctorem peccatorum.

Argumentum octauum, Concurſus Dei cum creaturis, ſeu influxus Dei in effectum creaturę (v. gr. in actum odij) non diſtinguitur realiter ab illo actu: nihil enim eſt aliud niſi productio actus odij, & conſequenter nihil eſt aliud quàm ipſe actus odij conſideratus vt manat & pendet à Deo. atqui Deus prædefiniuit & vult ſuum concurſum quem largitur ad effectus omnium creaturarum: ergo vult ipſos effectus. Confirmatur, quia illi effectus ſunt aliquod bonum; omne autem bonum eſt obiectum voluntatis diuinæ. Colligitur hoc argumentum ex eodem auctore 1. p. qu. 22. ar. 4. 18

Reſponſio. Reſpondeo, Quidam Doctores admittunt Deum velle & prędefiniſſe actum peccati ad quem concurrit, nõ abſoluta voluntate, ſed ex hypotheſi, ſi creatura illum velit, ſicut ſuprà diximus de concurſu. Ratio eſt; quia putant concurſum, quem Deus præbet, eſſe particularem & determinatum ex parte Dei, ſeu vt à Deo procedit ad ſpeciem actus. Dicunt enim ſe non poſſe intelligere quomodo Deus det concurſum generalem vel indeterminatum, cùm omnis actio, & omnis actionis terminus intrinſecus debeat eſſe determinatus ad certã ſpeciem & rationem indiuiduam. Sed re vera non video, qua ratione id dici poſſit, ſi propriè velimus loqui. quia Deus propriè non ſolùm voluntate abſoluta, ſed etiam conditionata, nihil mali velle poteſt. hoc enim eſſet propriè alteri in malum conſentire, & ampliùs quàm ſimpliciter conſentire: vt ſi Superior dicat, Si vis furari, ego volo te furari; ſi vis odiſſe, ſi vis occidere, volo vt odio habeas, volo vt occidas; quid hoc eſſet aliud quàm approbare & cõfirmare in malo? præſertim ſi idcircò ad tale opus determinatum auxilium pręberet, quod ad nihil boni ſeruire poteſt, ſicut Deum putant præbere. Itaque Deus nulla conditione poſita, ſiue tu velis, ſiue non velis, vult vt tibi peccati opus inſit, ſed ſolùm permittit & tolerat, conſeruando naturas rerum, & non ſubtrahendo ſuum concurſum, etiamſi videat te illo abuſurum. Et fortè mens illorum Doctorum à noſtra ſententia non diſcrepat, niſi modo loquendi. Vide Franciſcum Lichetum

In 2.d.36 & 37.§. Ad ſolutionem, & Marſilium in 1.qu.45. a.2.

Quod ad concurſum attinet, etſi non poſſit in rerum natura exiſtere niſi determinatus, facile tamen eſt intelligere & explicare quomodo ſecundùm ſe, & ex parte Dei ſit indeterminatus, vt ſtatim oſtendam. Itaq; vt reſpondeamus ad argumentum; neganda eſt conſequentia. etſi enim ſuũ concurſum dare velit, non tamen idcirco vult ipſos effectus in particulari. Ratio eſt: quia concurſus Dei, quatenus cõſideratur præcisè vt à Deo procedẽs, eſt generalis, & indeterminatus ad hãc vel illam ſpeciem actus; neque dat illũ eo fine vt talis ſpecies actus (v. gr. odium Dei) eliciatur. vnde ex eo quòd velit talem concurſum dare, non ſequitur illum velle illam ſpeciem actus, quem voluntas cum illo concurſu elicit. nam quòd talis ſpecies actus producatur, non prouenit ex ratione concurſus Dei, quaſi ille per ſe ad illam ſpeciem tendat; ſed ex concurſu voluntatis humanæ, quæ generalem Dei concurſum, ſuo concurſu modificat & contrahit ad hanc ſpeciem actus, vt rectè docet Caietan. 1.p.q.14.a.13. & q.19. a.8. & Conradus 1.2.qu.79. a.1. & alij. Sicut concurſus ſolis ad productionem rerum, qui ex ſe ſeu vt à ſole prouenit generalis eſt, modificatur & determinatur à concurſu variorum ſeminum ad varias rerum ſpecies: & concurſus intellectus ex ſe generalis, determinatur à concurſu ſpecierum intelligibilium ad productionem diuerſarum intellectionum. Idem patet in concurſu voluntatis imaginatricis, & ſenſuum exteriorum. Concurſus enim potentiarum iſtarum ſecundùm ſe, & vt procedit ab ipſis potentiis, eſt indeterminatus & indifferens ad quamuis ſpeciem actus ipſius potentiæ, & hac ratione vniuerſalis dici poteſt in illo genere: determinatur autem ad certam ſpeciem actus à concurſu obiecti, vel ſpeciei intelligibilis. Ex quibus exemplis patet non eſſe adeò intellectu difficile quomodo concurſus Dei dicatur generalis & indeterminatus. Non enim volumus dicere illum exiſtere in rerum natura indeterminatum abſolutè, & carentem omni determinatione ad certam ſpeciem (id enim eſt impoſſibile) ſed tantùm non habere illam determinationem ſecundùm ſe vt prouenit à Deo, ſed ſolùm vt coaleſcit in vnum cum concurſu cauſæ ſecundæ, qui per ſe eſt determinatus.

Ad confirm. Etſi in omnibus actibus prauis ſit aliquod bonum, quod ſecundùm ſe & præcisè conſideratum, poſſit eſſe obiectũ complacentiæ; non tamen poteſt eſſe abſolutè volitum ſeu decretum vt fiat, propter malitiam intimè connexam. Itaque Deus illud abſolutè odit, & non vult; etſi entitas illius præcisè conſiderata, qua res aut *Actus peccatorum abſolutè Deo diſplicẽt, etſi ſecundùm quid placere poſſint.*

actus vitalis illi placere poſſit. Sicut mel venenatum placet homini ſecundùm quid (id eſt, qua parte dulce) ſed quia illi dulcedini coniunctum venenum, quod ab eo ſeparari nequit; abſolutè illud odit & execratur.

Capvt v.

Secunda refutatio gratiæ prędeterminantis, ex euerſione alterius fundamenti, quod eſt de natura liberi arbitrij.

Alteru fundamentum.

Alterum fundamentum, quo nituntur ij qui tenent ſententiam 1 illam de gratia prædeterminante, eſt: Non requiri ad rationem liberi arbitrij, vt non determinetur priùs naturâ quàm agat; neque vt poſitis omnibus quæ requirútur in inſtanti operationis, poſſit non agere; ſed ſufficere vt ratio maneat indifferens, id eſt, vt medium eligendum ad finem iudicetur per intellectum non habere neceſſariam connexionem cum fine. Ita docet auctor cap. 3. *Operæpretium*, ait, *eſt, quid ſit liberum arbitrium explicare. eſt enim hæc res ingens dicendorum contra aduerſarios fundamentum; ex cuius praua intelligentia fortè in meridiana luce impegerunt & corruerunt. Eſt igitur liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis*, &c. & infrà: *Firmiter itaque huic inſiſtendum eſt fundamento, quòd vt actus voluntatis ſit liber, neceſſarium eſt quòd medium eligendum ad finem iudicetur per intellectum non habere neceſſariam connexionem cum fine, ſed eſſe indifferens, & ad finem ordinandum. quod iudicium practicum eſt, & cum electione voluntatis neceſſariò coniungitur tamquam radix efficax actualis libertatis*. Deinde concludit: *Quamdiu igitur indifferentia iudicij non tollitur, eſſe libertatem indubiè fatendum eſt*. Idem habetur cap. 27. in reſponſ. ad primum: *Dum voluntas auxilio efficaci realiter mouetur, poteſt abſolutè aſſentire & diſſentire. remanet enim indifferentia iudicij, quæ eſt radix libertatis.*

Quamdiu eſt iudicij indifferentia, eſſe libertatem.

Idem docet quidam Doctor in 1. p. q. 23. art. 3. *Aduerte*, inquit, *quòd quidquid antecedit vel ſuperuenit actui voluntatis, ſi id non tollit iudicium illud quod eſt neceſſarium circa media reſpectu finis ad libertatem, non deſtruet neque auferet libertatem operationis. Vnde obſerua, quòd cùm dicimus, libertatem voluntatis oriri ex iudicio intellectus, tunc indifferentiam neceſſariam conſtituimus in obiecto iudicato, & non eſt opus vt conſtituamus indifferentiam in actu intellectus, aut in intellectu.*

Non requiri indifferentiã in intellectu, ſed ſolùm in obiecto iudicato.

lectu. cùm ergo gratia præmouens non perturbet neque liget iudicium rationis, vt iudicare poſsit indifferentiam obiecti, ſed potiùs illuminet, non derogat libertati.

Ex his patet, hos auctores ſentire, nullam prædeterminationem aut motionem præuenientem impedire libertatem, ſi ea non perturbet neque liget iudicium rationis, quin poſſit iudicare indifferentiam obiecti. quo fundamento poſito, facilè oſtendunt, gratiam prædeterminantem non repugnare libertati.

2 Oſtendendum igitur nobis eſt, hoc fundamentum à veritate alienum eſſe; & ad libertatem actus, non ſolùm requiri indifferentiam rationis ſed etiam voluntatis, ac proinde omnem determinationem voluntati immiſſam, quæ non eſt in ipſius poteſtate, impedire libertatem: Probatur Primò, quia hæretici huius temporis, qui tollunt veram libertatem in actibus bonis & malis, & dicunt nos neceſſariò peccare, & neceſſariò bonum operari; facilè admittent libertatem, ſi nihil aliud ad eam requiratur. admittunt enim non perturbari iudicium rationis, per gratiæ efficaciam, vel diuinam prouidentiam omnia in nobis operantem, neque tolli iudicij aut obiecti iudicati indifferentiam. qui enim vult dare eleemoſynam vel furari, facilè videt id quod vult non eſſe neceſſarium ad finem; & tamen illud ita vult, ipſorum ſententia, vt non poſſit non velle quando voluntas à Deo ad hoc impellitur. At ſecundùm doctrinam Eccleſiæ, ampliùs requiritur ad libertatem, quàm quod ab hæreticis conceditur: alioquin non eſſet niſi diſcrepantia in nomine, Eccleſiâ vocante *libertatem*, illud idem, quod hæretici vocant *neceſsitatem.*

Requiri indifferentiam voluntatis.

Prima probatio.

Hæretici admittunt talem libertatem.

3 Secundò, certum eſt motus gratiæ præuenientis & tentationum impulſus non eſſe liberos (non enim in noſtra poteſtate eſt, vt hæc in nobis non excitentur) atque experientiâ conſtat, hæc ſæpè in nobis excitari & perſeuerare, manente iudicio rationis indifferente circa illud obiectum: poteſt enim ratio in illo conſiderare rationem cur poſſit appeti & non appeti: ergo hæc iudicij indifferẽtia non ſufficit.

Secunda probatio.

Motus præuenientes.

Dices, illos motus non prouenire immediatè ex illa rationis indifferentia, ſed ex apprehenſione quadam intellectus vel phantaſiæ ad vnum determinata; vnde mirum non eſt ſi non ſint liberi.

Reſpond. Etiam operationes voluntatis (iuxta alteram ſentẽtiam) non ſequuntur immediatè ex indifferentia iudicij, ſed ex iudicio practico ad vnum determinato, vel potiùs ex determinatione diuinitus impreſſa; ac proinde hac in re eſt paritas. Vnde ſi illi motus non ſunt liberi, eò quòd ſequantur immediatè ex iudicio determinato & ex volun-

voluntatis applicatione diuinitus facta; neque etiam operationes voluntatis liberę erunt, quia immediatè ſequuntur ex iudicio practico, & ex intrinſeca determinatione potentiæ voluntatis.

Tertia probatio.

Tertiò, Hæc indifferentia iudicij in altera ſententia, non videtur 4
quidquam iuuare ad libertatem actuum voluntatis. nam præter illud iudicium quo iudicas medium eſſe indifferens, *requiritur actus intellectus, videlicet efficax imperium, quo intellectus imperet voluntati, vt acceptet obiectum propoſitum: qui actus efficaciter rapit voluntatem; ita vt illo ſtante in intellectu, nulla reſtet libertas in voluntate ad contradicendum.* vt docet Medina 1.2.q.9.ar.1. & inſinuat auctor tractatus, licet obſcurè, ſuperioribus verbis, cùm ait: *Quod iudicium* (nempe quo medium iudicatur ordinandum ad finem) *practicum eſt, & cum electione voluntatis neceſſariò coniungitur tamquam radix efficax actualis libertatis.* hæc enim verba non poſſunt intelligi de iudicio quo medium iudicatur indifferens, hoc enim non eſt practicum, neque efficax actus voluntatis; ſed intelligenda ſunt neceſſariò de iudicio vltimo practico vel imperio, quod eſt radix efficax actus: nempe quia cum illo ſtare non poteſt, vt voluntas non velit, vt ipſi docent. Quòd ſi ad ſingulos actus voluntatis requiritur tale iudicium vel imperium, quod ſecundùm ſe eſt efficax actus, & quo ſtante voluntas non poteſt contradicere; quid obſecro ad libertatem voluntatis in agendo facit, quod præcedat iudicium de indifferentia medij? etſi enim intellectus iudicet medium eſſe indifferens, tamen hîc & nunc iudicat eſſe eligendũ; & illo iudicio poſito, volũtas determinatur ad electionem, nec eſt in eius poteſtate contradicere: vnde illud iudicium de indifferentia medij, eſt impertinens planè ad libertatem voluntatis, cùm voluntas ab eo non dirigatur. Vtrùm autem reuerà tale iudicium vel imperium intellectus requiratur, quo ſtante voluntas non poſſit contradicere, infrà n. 15. in ſolutione argumentorum dicetur.

Iudicium de indifferentia medij videtur impertinens ad libertatem.

Quarta probatio.

Quartò, Actus dicitur formaliter liber ex ordine ad potentiam per 5
quam elicitur, & in qua recipitur: ergo vt actus voluntatis dicantur liberi, non ſufficit manere indifferentiam quamdam in ratione; ſed maximè requiritur vt voluntas maneat indifferens, & non determinetur ad actum. Quid enim ad libertatem actus voluntatis iuuat rationem manere indifferentem, ſi voluntas impreſſione diuina determinetur ad actum? non enim à ratione elicitur actus ille, ſed à voluntate. oportet ergo vt voluntas indeterminata maneat ab omni præueniente impulſu.

Actus dicitur liber à potentia à qua effectiuè procedit.

Quintò,

Quinta probatio.

6 Quintò, Auctores iſti, hanc indifferentiam intellectus ſolùm conſtituunt circa media, quæ iudicantur non habere neceſſariam cum fine connexionem. atqui etiam circa media neceſſariò connexa cum fine, & circa ipſum finem vltimum non ſolùm in particulari, ſed etiam in genere habemus volitiones liberas, vt experientia docet: cogitato enim Deo & ſummo bono, poſſum nolle, hîc & nunc illud velle, illud amare: ergo illa indifferentia rationis, non ſolùm non ſufficit ad libertatem, ſed etiam eſt minimè neceſſaria.

Sexta probatio.

7 Sextò, Probatur ex communi ſententia Doctorum, qui docet omnem determinationem præuenientem repugnare libero arbitrio. vnde patet non ſufficere indifferentiam rationis, ſi ipſa potentia voluntatis determinetur ad vnum. Henricus quodlib. 9. qu. 5. *Cùm voluntas ſit libera & domina ſuorum actuum, impoſſibile eſt vt ab alio procedat ad actum volendi. hoc enim repugnat voluntati. nam non minùs ageretur voluntas, quàm appetitus ſenſitiuus. Vnde ſi Deo agente* (priùs naturâ) *fieret de non volente volens, non eſſet ille actus liber nec laudabilis: nam actio libera debet eſſe in poteſtate agentis, ita vt ab alio non moueatur; licet aliquo aſſiſtente & cooperante, vt Spiritu ſancto, vel per ſe & immediatè, vel per aliqua dona ſua, vel vtroque modo.* Hîc clarè reiicitur omnis motio prædeterminans, & concurſus cauſæ primæ ponitur non præuenire, ſed comitari tantùm; aliàs euerſum iri libertatem.

Henricus.

Non poteſt ab alio in actum reduci.

Durandus in 2. d. 24. qu. 2. nu. 12. *Libertas arbitrij eſt qua quis poteſt in aliquem actum vel eius oppoſitum contrariè vel contradictoriè, & ſic libertas excludit omnem neceſſariam habitudinem.* infero, ergo omnem determinationem præuenientem, quia hæc habet neceſſariam habitudinem ad effectum.

Durandus.

Excludit omnem neceſſariam habitudinem.

Scotus in 1. d. 39. inter cetera ſic ſcribit: *Actus primus* (nempe voluntas humana habens ſe per modum actus primi, ſeu principij ſufficienter præparati ad eliciendum actum ſecundum) *conſideratus in illo inſtanti in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo* (nempe volitione) *ita ponit illum in eſſe, tamquam effectum ſuum contingentem, vt quatenus eſt prior naturâ, poſſit æquè ponere aliud oppoſitum in eſſe.* Idem in 3. d. 18. loquens de actu meritorio: *Voluntas in primo inſtanti, vt prior naturâ ſuo actu, ita contingenter elicit actum, ac ſi per diem præceſſiſſet actum.* Hîc manifeſtè requirit, vt ſemper voluntas conſiderata vt prior naturâ ſuo actu, ſit ad illum indeterminata, ſicut erat antequam illum eliceret. Vnde determinatio qua determinatur priùs naturâ quàm eliciat actum, eſt contra rationem libertatis, iuxta

Scotus.

In omni inſtanti naturæ priori eſt indeterminata.

Scotum. Idem docet in 2. d. 39. q. 2. & in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum.

Marſilius.

Marſilius in 2. qu. 16. ar. 4. *De natura agentis liberi eſt, vt omni-* 8
bus eodem modo habentibus poßit in oppoſita. atqui poſita determinatione præueniente, non poteſt in oppoſita. ergo hæc repugnat naturæ agentis liberi. *Item, vt poßit ſe determinare ad acceptationem & refutationem.* & infrà: *Cauſa determinans voluntatem ad volitionem liberam, non eſt aliud quàm ipſa voluntas per ſuam libertatem.* Hîc excluditur omnis determinatio aliunde immiſſa. Idem agitur toto illo articulo.

Seipſam determinat.

Occam.

Guilielmus Occam quodlib. 1. q. 16. *Libertas eſt poteſtas qua poſſum eumdem effectum cauſare & non cauſare; nulla diuerſitate circa ipſam potentiam facta.* & infrà: *Omnibus requiſitis ad actum volendi, poteſt voluntas actum volendi elicere & non elicere, ſine omni actione extrinſeca, ſolùm propter ſuam libertatem.* Idem docet in 1. d. 48. qu. vnica. Gabriel eadem diſtinct. conc. 3. *Libertas potentiæ actiuæ ſtat in hoc, quòd ſine omni variatione adueniente ſibi vel alteri, & per non ceſſationem vel abſentiam alterius cauſæ, poteſt producere aliquem affectum pro certo inſtanti, & pro alio à productione ceſſare: vel quia omnibus eodem modo ſe habentibus, habet facultatem producendi & non producendi, priùs tamen quàm producat.* Idem habet in 2. d. 25. art. 3. dub. 3. & 4. Vbi aduertendum eſt, hos duos Doctores non ſentire, voluntatem non eſſe liberam reſpectu actus quem elicit, aut pro eo inſtanti in quo elicit (vt multi recentiores illis imponunt) expreſsè enim contrarium dicunt; ſed tantùm docere libertatẽ voluntatis non conſiſtere in eo quòd voluntas pro eodem inſtanti quo elicit actum, poſſit non elicere, ita vt ſimul ſtent, elicere & non elicere; aut in eo quòd habeat potentiam ad oppoſita ſimul in ſe habenda, ſed in eo quòd poſſit agere & non agere ſucceſſiuè: ſic vt eo inſtanti quo agit, habeat potentiam vt immediatè poſt hoc inſtans ceſſet ab agendo, poſſitque non agere; & dum non agit, poſſit immediatè pòſt incipere agere, nulla facta variatione circa aliquid eorum quæ ſunt prærequiſita ad agendum. quæ ſententia veriſſima eſt, loquendo de libertate creaturæ, de qua ipſi agunt: nec repugnat ſententiæ aliorum Doctorum; etſi modus explicandi ſit diuerſus.

Poſitis omnibus requiſitis poteſt elicere & non elicere.

Gabriel.

Quomodo intelligenda ſententia Occami & Gabrielis.

Idem Occam in 2. qu. 5. *Deus non attingit effectum priùs quàm cauſa ſecunda, niſi quia perfectiùs, & illuminatiùs, & independentiùs.* Idem habet Scotus in 2. d. 37. Gabriel ibidem, & Caietan. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8.

Deus non attingit effectũ prius quàm cauſa ſecunda.

Gregor. in 2. d. 35. qu. 1. ar. 3. *Deus ſequitur determinationem vo-* 9

lunta-

luntatis, non quòd determinatio voluntatis ſit aliqua entitas diſtincta à voluntate & eius actu, quæ primò fiat à voluntate (ſicut imaginari videtur argumentum) nec etiam intelligendum quòd priùs naturâ voluntas agat actum illum, quàm Deus, propriè loquendo de priori naturâ: quoniam ſequeretur quòd poſſet illum agere, Deo non cooperante. Sed ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis, quoniam ideò Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit; & non ideò quia Deus agit, voluntas agit. & ideò magis propriè dicitur coagere voluntati, quàm voluntas dicatur coagere Deo. Hîc apertiſſimè excluditur omnis determinatio præueniens; & voluntas ſeipſam dicitur determinare.

Deus ſequitur quodammodò determinationem voluntatis.

Voluntas non agit priùs naturâ quàm Deus.

Dionyſius Ciſtercienſis in 2. d. 25. ar. 2. propoſ. 2. *Nulla cauſa libertate cõtingentiæ libera, eſt neceſſitas antecedens reſpectu ſui effectus. Probatur, quia quacumque diſpoſitione præuia ad effectum liberum cuiuſcumq; cauſæ liberæ poſita, ſtat illum effectũ non produci. quia ex hoc ſolo dicitur aliqua cauſa libera libertate cõtradictionis, quia poſitis omnibus cauſaliter præuiis & requiſitis ad effectũ poteſt agere & non agere.* Et art. 3. concl. 4. *Nullus actus voluntatis ita neceſſariò productus, vt non ſit in poteſtate producentis, omnibus neceſſariis præuiè poſitis, ipſum non producere: nullus,* inquam, *talis actus eſt liber, libertate requiſita ad merendum vel demerendum: quia nullus meretur vel demeretur in eo quod vitare non poteſt.* Et infrà: *Non enim ex hoc voluntas dicitur agere liberè, quòd omnia requiſita ad eius agere, ſubſint eius poteſtati; ſed ideò, quia omnibus neceſſariis antecedenter ad ſuum agere poſitis, in poteſtate voluntatis eſt, agere vel non agere, ſponte & non coactè.* Hîc rurſus excluditur omnis prædeterminatio.

Quauis diſpoſitione præuia poſita, ſtat actũ non produci.

Omnibus antecedenter neceſſariis poſitis, poteſt agere & non agere.

10 Herueus in 2. d. 25. qu. 2. *Habere,* inquit, *dominium ſui actus, eſt habere in poteſtate determinatum ſuum actum ad hoc vel ad illud, aut poſſe ſe determinare ad exeundum in actum vel non exeundum.*

Voluntas poteſt ſe determinare.

Capreolus in 2. d. 25. ar. 3. ad 4. Scoti, dicit *voluntatem ſecundùm ſe eſſe indeterminatam, & ſeipſam poſſe determinare ad exercitium actus.*

Paulus Soncinas lib. 9. metaph. q. 17. oſtendit multis rationibus, *potentiam liberam pro eodem inſtanti eſſe in potentia contradictionis; & eodem inſtanti quo vult, ſi conſideretur vt prior natura ſuo velle, poſſe non velle.* Item, *nihil eſſe in voluntate, dum elicit velle, quod ſit neceſſariò determinatum ad velle; alioquin,* inquit, *ipſum velle, non eſſet contingenter à voluntate, ſed neceſſariò.*

Potentia libera pro eodẽ inſtanti eſt in potentia contradictionis.

Silueſter Prieras in Capreolum in 2. d. 25. *Concluditur,* inquit,

Poteſt ſe determinare.

quòd actus voluntatis elicitus vel imperatus, eſt à cauſa indeterminata, quæ ſeipſam poteſt determinare.

Caietanus in 1. p. q. 14. ar. 13. reſpondens ad primum argumentum Scoti, docet hanc propoſitionem, *Cauſa ſecunda mouet ſeu agit in quantum mota à cauſa prima, non poſſe intelligi de motione quæ propriè ſit præuia actioni cauſæ ſecundæ, quia ſic tolleretur contingentia ſeu libertas, ſed de motione cooperante intrinſecè ad actionem cauſæ ſecundæ.* Deinde ſoluens argumentum ſecundum, dicit *cauſam primam non reſpicere effectum cauſæ ſecundæ priùs, quaſi in aliquo inſtanti naturæ effectus attingatur à cauſa prima, & in alio à ſecũda; ſed dici priùs reſpicere, quia independentiùs & immediatiùs immediatione virtutis attingit effectum, quàm ſecunda, eodem tamen inſtanti naturæ effectum ab vtraque attingi.* Vnde patet, Caietanum reiicere omnem determinationem qua cauſa prima determinet ſecundam præmouendo; idque ex mente diui Thomæ, quem ibi explicat & defendit contra Scotum.

Cauſa prima non mouet ſecundã motione præuia, ſecundùm Caietanum.

Franciſcus Cumel in primam partem D. Thomæ qu. 14. art. 13. diſp. 3. *Cùm voluntas ſuapte naturâ ſit cauſa libera, in cuius poteſtate eſt velle aut nolle, aut continere omnino actum & nihil velle; in quocumque temporis momento & puncto exiſtat, in eo priori eiuſdem puncti (in quo cum fundamento in re concipitur voluntas vt naturæ ordine antecedens ſuum actum) in facultate ipſius eſt vel nihil omnino agere, vel volitionem aut nolitionem eligere prout maluerit. quo fit vt ad quodcumque temporis momentum deueniat, voluntas priùs naturâ, quàm ſe determinet pro innata ſua libertate, ad aliquid prædictorum poteſtatem habeat, non quidem ad volendum & non volendum vnum idemq́; obiectum ſimul in eodem puncto temporis; ſed facultatem habet pro illo priori, vt indifferenter velit aut nolit, vel vt ab omni actu pro illo inſtanti ceſſet. Hæc eſt ſententia D. Thomæ, quam etiam ſequitur Scotus in 1. d. 39. vbi tractat, quomodo voluntas libera ſit, etiam in eodem inſtanti, in quo actum elicit.* Hæc ille (quæ ferè ad verbum deſumpta ex Molina) vbi apertè reiicitur illa determinatio præueniens, & voluntas ponitur ſeipſam determinare pro innata ſua libertate. Vtrùm autem hæc σύμφωνα ſint iis quæ idem ſcribit q. 19. a. 8. & q. 23. ar. 3. penes auctorem eſto, vt & alia μώρια eiuſdem. Omitto alios recentiores cõplures, qui contra hæreticos ſcripſerunt, vt Driedonem, Tapperum, Cunerum, Cardinalem Bellarminum, Gregorium à Valentia, Stapletonum, &c. Eamdem ſententiam docet D. Bonauentura in 2. d. 25. qu. 2. & d. 37. qu. 1. ad vlt. dicit, *Deum non præuenire*

Voluntas pro innata ſua libertate ſe determinat ad quod vult

uenire voluntatem per ſuam operationem, niſi excitando per gratiam præuenientem: præter hanc excitationem nullam eſſe præuentionem, ſed ſolùm cooperationem, quæ non præueniat.

11 Ex his patet, communem Doctorum ſententiam eſſe, omnem determinationem præuenientem, qua voluntas ad actum determinetur priùs naturâ quàm agat, repugnare libertati, ita vt cum ea conſiſtere nequeat. Id autem ſignificant variis modis. Primò, dum dicunt actum non fore liberum vel laudabilem, ſi voluntas à Deo ad illum moueatur; nempe motione prædeterminante. Secundò, voluntatem liberam, vt eſt prior ſuo actu, ſemper poſſe in oppoſitum. Tertiò, libertatem excludere omnem neceſſariam habitudinem. Quartò, effectum liberum ſemper eſſe contingentem & contingenter pendere à ſua cauſa. per hoc enim ſignificatur, quòd cauſa eodem modo ſe habente ex parte ſua, poſſit effectus non ſequi. Quintò, de natura liberi agentis eſſe, vt poſſit in oppoſita, omnibus prærequiſitis eodem modo ſe habentibus; vel nulla facta variatione circa ea quæ præuia ſunt ad actum. Sextò, voluntatem ſeipſam determinare. Septimò, ipſam eſſe dominam ſuorum actuum. per hoc enim ſignificatur ipſam non eſſe aſtrictam aut determinatam ad ſuos actus, nec ab alio debere moueri ſeu prædeterminari; ſed ipſam ſe ex ſua indifferenti poteſtate poſſe mouere. Nihil horum poteſt eſſe verum, ſi voluntas debet ad omnes ſuos actus determinari à Deo, etiamſi ratio indifferens maneat. *Anacephalæoſis prædictorum teſtimoniorum.*

12 Neque credibile eſt ab hac communi ſententia Doctorum diſcrepare D. Thomam. numquam enim dicit, voluntatem priùs naturâ debere determinari à Deo. neque quiſquam antiquiorũ Thomiſtarum id ei tribuit, & ipſe ſatis clarè contrarium inſinuat: nam paſſim docet *voluntatem ideò dici liberam, quia eſt domina ſuorum actuum, & quia habet poteſtatem ad actus oppoſitos.* quod non poteſt eſſe verum ſi determinetur ad alteram partẽ, & illa determinatio non ſit in eius poteſtate. neque enim erit domina ante determinationem, quia (illorum ſententiâ) ante determinationem non poteſt agere: neque quando iam erit determinata, quia tunc non poteſt non agere. Vide 1. 2. qu. 1. ar. 1. & qu. 10. ar. 4. vbi expreſsè dicit, *voluntatem non determinari ad vnum, ita vt neceſſariò ad illud moueatur, ſed ita vt motus eius ſemper ſit contingens.* atqui (illorum ſententiâ) poſita determinatione, mouetur voluntas neceſſariò, ita vt ipſa non poſſit illum motum impedire. Item, motus voluntatis non eſt contingens, quia quod ſemper & neceſſariò ſequitur, non ſequitur contingenter. Patet *Idem ſentire D. Thomam.*

igitur ſententiam illam non eſſe ex mente diui Thomæ. Videatur idem 1. 2. qu. 112. art. 2. & 113. art. 3. & 5. in 2. ſententiarum d. 24. q. 1. ar. 1. ad. 1. de veritate q. 22. ar. 6. in corpore, & alibi. Quæ ex ipſo obiici poſſunt, inf. cap. 14. explicabuntur.

Ex his perſpicuum eſt, nos ex praua intelligentia liberi arbitrij non 13
impegiſſe in luce meridiana, nec corruiſſe; cum nullus Doctorum ab hac ſententia diſcrepet: nec poſſit vel vnus alicuius notæ adferri, qui doceat ſufficere indifferentiam iudicij, aut vt iudicium nõ perturbetur, etiamſi ipſa potentia voluntatis ad actum ſuũ prædeterminetur.

Septima probatio. *Potentia libera.*

Septima probatio His accedit, quòd potẽtia libera, paſſim à Theologis & Philoſophis ſic definiri ſoleat: *Potẽtia libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari & non operari*. quæ definitio non poteſt ſubſiſtere, ſi ad operandum requiritur aliqua determinatio præueniens: hæc enim erit vnum ex requiſitis. atqui hac poſita, falſum eſt potentiam poſſe non operari. eâ autem non poſitâ, falſum eſt potentiam poſſe operari.

Reſponſio prima.

Ad hoc argumentum reſpondet auctor cap. 27. ad tertium argumentum dupliciter. Prima reſponſio eſt: *Illud auxilium determinans, eſſe quidem vnum ex requiſitis, prius naturâ non tempore, quàm voluntas bonum operari poßit; eo tamen poſito, poſſe voluntatem non operari in ſenſu diuiſo.*

Refutatio.

Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia hoc nihil eſt aliud dicere, quàm voluntatem poſſe non operari, ſi id quod requiritur ad operandum abſit. & ita ſenſus illius definitionis erit, Potentia libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari; & ſi abſit aliquid ex requiſitis, poteſt non operari. Talem potentiam liberam facilè admittent hæretici: quia omnes potentiæ neceſſariò operantes, ſic liberæ erunt. poſitis enim omnibus requiſitis ad operandum, poſſunt non operari, ſi ſepares vel diuidas ab eis aliquid requiſitorum. Cur ergo omnes potentiæ non ſunt liberæ in operando, cùm definitio libertatis eis conueniat? Sunt enim potentiæ, quæ poſitis omnibus præuiis requiſitis ad operandum, poſſunt non operari in ſenſu diuiſo. Imò impoſſibile erit eſſe aut fieri aliquam vim actiuam per potentiam Dei abſolutam, quæ libera non ſit: quia nulla fieri poteſt, quin poſitis omnibus præuiis requiſitis ad agendum, poſſit non agere in ſenſu diuiſo, hoc eſt, ſi ab ea aliquid requiſitorum ſepares. Rurſus omnis quoque potentia paſſiua libera erit; quia poſitis omnibus requiſitis antecedenter ad patiendum, ſeu recipiendum, poteſt illud non recipere in ſenſu diuiſo. Liberè itaque materia formas recipiet, & patiens omnes impreſſiones agentis: nec vllum receptiuum fieri

fieri poterit, quod liberum non ſit. Omitto quòd prædicti Doctores expreſsè dicunt potentiam liberam poſitis omnibus requiſitis ad agendum poſſe non agere, nulla facta mutatione circa ea quæ ſunt præuia, & omnibus præuiis eodem modo ſe habentibus. Itaque manifeſtè excludunt illam fictionem ſenſus diuiſi, & loquuntur in ſenſu compoſito.

14 Secunda reſponſio quam adhibet auctor, eſt: quòd quando dicitur, *Vnum è requiſitis ad operandum eſſe auxilium efficiens & phyſicum, non debet intelligi dum actu eſt, ſed antequam ſit, dum eſt homini præſentaneum ex voluntate Dei*. *Vnde*, inquit, *illa definitio venit intelligenda, de requiſitis ante inſtans operationis, non autem in ipſo inſtanti quo voluntas operatur: tunc enim ſi ponatur auxilium efficax, iam facit ſenſum compoſitum.* Sed neque hæc ſatisfacit: Primò, quia ante primum inſtans quo illud auxilium phyſicè prædeterminãs eſt, falſum eſt dicere, poſita eſſe omnia præuiè requiſita ad operandum: nam illud auxilium requiritur præuiè in actu ſecundo. Deinde falſum eſt dicere, quòd homo poſſit tunc operari; quia non poteſt operari ſine illo auxilio in actu ſecundo habito. Nec refert quòd ſit homini præparatum ex voluntate Dei, quia non eſt preparatum, niſi pro certo inſtanti temporis, nec eſt in poteſtate hominis illud anticipare vel antè habere, vt ſuprà oſtenſum eſt, & ipſi fatentur: preuenit enim libertatẽ noſtram. Quid ergo iuuat hæc præparatio ad hoc, vt homo poſſit operari ante illud inſtans? Secundò, quia iuxta hanc expoſitionem, nullum dabitur inſtans temporis in quo potentia libera habeat immediatè poteſtatem ad vtrumlibet (id eſt, ad eliciendum actum & non eliciendum) quod tamen omnes ſupradicti auctores requirunt, & illa definitio apertè indicat eſſe neceſſarium. nam ante inſtans quo imprimitur illa determinatio, non poteſt agere: eo autem inſtanti quo imprimitur, & toto tempore quo continuatur à Deo, non poteſt non agere, vt ipſi ſæpè fatentur: poſtquam autem deſijt, rurſus non poteſt agere. vnde fiet vt hac ex parte nulla ſit diſtinctio inter cauſam liberam & neceſſariam, vt paulò antè oſtenſum eſt.

Reſponſio ſecunda.

Refutatur.

Auxilium determinans eſt ex præuiis ad cõſenſum.

Nullo eodem momento erit potentia ad vtrumlibet.

15 Dices, Si ponatur iudicium rationis, actu determinans voluntatem ad vnum, nequit voluntas ferri in contrarium: & tamen tunc voluntas manet libera: ergo etiamſi ponatur auxilium efficax determinans voluntatem, nihilominùs manebit libera. Ita argumentatur auctor loco citato, cap. 27.

An iudiciũ determinet voluntatem.

Reſpondeo Primò, Si verum eſt, iudicium rationis determinare voluntatem ad vnum (vt quidam volunt) ita vt ſtãte illo iudicio non

poſſit

poſſit voluntas ferri in contrarium; tunc neceſſe eſt dicere illud iudicium eſſe omnino in poteſtate voluntatis, vt ſit vel non ſit, vt continuetur vel abrumpatur: alioquin omnino tolleretur libertas. non enim actus voluntatis eſſet liber in ſeipſo: Primò, quia procederet à cauſa determinata. voluntas enim poſito illo iudicio practico eſſet ad illum actum determinata, idque priùs naturâ quàm eum eliceret: ſicut amor beatificus, non eſt in ſeipſo liber; quia poſita viſione, voluntas eſt ad illum amorem determinata. Secundò, quia voluntas, poſitis omnibus præuijs ad illum actum requiſitis, non haberet in ſua poteſtate illum non elicere. hoc enim iudicium vnum eſt ex requiſitis. Neque etiam eſſet liber in ſua cauſa, nempe in illo iudicio; quia ſupponitur illud iudicium nó eſſe in poteſtate voluntatis. Quòd ſi ponatur illud iudicium eſſe in poteſtate voluntatis; tunc actus voluntatis erunt aliquo modo liberi, nempe quatenus volũtas habet in ſua poteſtate cauſam illorum actuum; faciendo vt intellectus ſic vel ſic iudicet, hoc vel illud conſideret. At verò auxilium illud prædeterminans, non eſt in poteſtate voluntatis (vt ipſi fatentur) vnde eſt magna diſparitas.

Actus non eſſet liber in ſeipſo.

Nec etiam in ſua cauſa.

Reſpondeo Secundò, omnino verius eſſe, nullum tale iudicium practicum requiri, imò videri euertere libertatem. Primò, quia cùm iudicium intellectus non ſit per ſe liberum, ſcilicet vt procedit ab intellectu; neceſſe eſt, ſi eſt liberum, vt id habeat, quatenus pendet ab aliquo actu libero voluntatis. hic autem actus voluntatis ſupponet aliud iudicium practicum determinans, & ſic non erit etiam in ſe liber, ſed neceſſarius. Si dicas hunc ſecundũ actum voluntatis eſſe liberum in alio iudicio, à quo dependet; rurſus quæretur de illo iudicio: ſicque vel erit progreſſio in infinitum; vel ſiſtetur in aliquo iudicio, imperióve non libero, quod tandem Medina 1.2. q 9. art. 1. concedit. Sed hinc apertè ſequi videtur, omnes volitiones eſſe abſolutè neceſſarias, non liberas; quia omnes neceſſariò ſequentur ex aliquo actu illius non libero.

Iudicium practicũ non determinat voluntatem.

Erit progreſſio in infinitum, vel omnes actus erunt non liberi.

Dices, iſtud iudicium eſſe liberum, quia poteſt à voluntate poni & tolli. contrà, Si voluntas poteſt illud iudicium ponere & tollere, poteſt habere aliquem actum circa illud per quem illud ponat & tollat, vt patet in ſimili. quando enim quis vult ponere vel tollere aliquas cogitationes, non poteſt illud facere, niſi actu volendi & nolendi. atqui hic actus, rurſus requiret iudicium determinans à quo procedat; & ſic redibit eadem difficultas.

Secundò probatur, Actus intellectus non mouet voluntatem niſi

propo-

proponendo obiectum; habet enim ſe tantummodò vt applicatio obiecti immediatè mouentis. Vnde non poteſt magis mouere aut determinare voluntatem quàm obiectum: atqui nullum obiectum vi ſua poteſt voluntatem determinare, quantumuis perfectè proponatur, præter illud in quo tota boni plenitudo cernitur: ergo neque vllus actus intellectus poteſt voluntatem determinare, ſic vt voluntas non poſſit illud nolle, vel ſaltem non velle, hîc & nunc non amplectendo.

Actus intellectus non mouet niſi proponendo obiectum.

16 Tertiò, quia alioquin indifferentia iudicij nihil faciet ad libertatem voluntatis, & fruſtrà ponetur radix libertatis. Si enim iudicium requiritur ita aſtrictum & definitum, vt voluntas non poſſit velle oppoſitum, vel ſuſpendere ſuam electionem, quid iuuat ad libertatem iſtius actus, rationis indifferentia?

Vbi aduertendum eſt, indifferentiam ſeu amplitudinem intellectus, eſſe radicem libertatis in voluntate: non quia poteſt conſiderare medium eſſe indifferens ad finem; ſed quia quouis obiecto propoſito, poteſt in eo conſiderare rationes, cur illud poſſit appeti, & cur poſſit reijci, vel ſaltem hîc & nunc non appeti. Poteſt enim in eo conſiderare aliquam rationem boni honeſti, aut delectabilis, aut vtilis, quæ ſufficit vt voluntas poſſit illud appetere: eodem tempore poteſt in eo conſiderare aliquos defectus vel incommoda in illo proſequendo, vel ſaltem hîc & nunc non eſſe eius appetitionem neceſſariam. quæ conſideratio ſufficit, vt poſſit illud nolle, vel hic & nunc non velle, & nolle circa illud hîc & nũc occupari. Ex eo igitur, quòd conſiderat in eo aliquam rationem boni, poteſt voluntas illud appetere; ex eo verò quòd ſimul conſiderat aliquem defectum vel incommodum coniunctum, vel quòd hîc & nunc non ſit neceſſarium appetere, poteſt eodem momento non appetere. Hæ enim conſiderationes, propter amplitudinem intellectus, ſimul ſunt in intellectu, vel diſtinctè vel confusè; & inde prouenit, vt voluntas eodem inſtanti quo vult obiectum propter eius bonitatem oſtenſam, poſſit illud nolle, propter defectum, vel incommoda oſtenſa, nulla facta variatione in intellectu.

Quomodo indifferentia intellectus ſit radix libertatis.

17 Sed, inquiunt, vt voluntas velit, intellectus debet iudicare obiectum omnibus conſideratis eſſe appetendum; quo iudicio poſito, voluntas non poteſt non acceptare. Reſpondeo, illud dupliciter poſſe intelligi. Primò, vt intellectus iudicet neceſſarium eſſe id appetere; & tale iudicium non requiritur. non enim intellectus iudicat eſſe neceſſarium vt appetas id quod eſt peccatum, &c. Secundò, bo-

An debeat iudicare hoc omnibus conſideratis eſſe appetendum.

num eſſe id appetere;bonum,inquam, vel honeſtum vel vtile vel delectabile. & tale iudicium ſæpè quidem requiritur, non tamen determinat voluntatem : nam cum eo ſtare poteſt aliud iudicium, videlicet, hoc non eſſe neceſſarium; quod iudicium ſufficit, vt poſſis non appetere. Dixi *ſæpè requiri*, non *ſemper* : quia vt velim aliquid, non eſt neceſſe, vt iudicium reflectatur ſuper actum volendi, conſiderando an ſit expediens an non; ſed ſatis eſt vt conſideret obiectum ſibi ob aliquam rationem eſſe conueniens : tunc enim poteſt illud appetere.

Concluſio. Ex his ſatis manet refutatum illud fundamentum ſecundum, *non repugnare libertati prædeterminationem voluntatis, ſi ratio maneat indifferens & minimè perturbetur.* Oſtenſum enim eſt, de ratione libertatis eſſe, vt potentia quatenus eſt prior naturâ ſuo actu, maneat indeterminata, & vt ipſa ex ſua indifferenti poteſtate eliciat actum. Item de ratione actus liberi eſſe, vt procedat à potentia in omni inſtanti priori & temporis & naturæ indeterminata; item vt procedat à potentia, quæ illum ſic producit, vt nulla facta variatione circa prævia productioni, poſſit non producere. 18

Quarta determinatio. Ex dictis etiam conſtat, à Doctoribus alterius ſententię non vnam ſed triplicem prædeterminationem ad quodlibet opus in voluntate conſtitui. Prima eſt influxus cauſæ primæ in voluntatem, quo ipſa accipit vires efficaces, & determinatur ad producendum actum internum. hîc enim diſtinguitur re ab actu producto, quia eſt principium effectiuum eius. Secunda eſt influxus cauſæ primæ in actum, qui influxus eſt prior naturâ (ipſorum ſententiâ) quàm influxus voluntatis in eumdem actum. per hunc voluntatem determinari, ita vt non poſſit actum impedire, oſtenſum eſt ſuprà cap. 4. num. 4. 5. 6. Tertia eſt ex iudicio practico, vel imperio; quo poſito, voluntas, aiunt, non poteſt contradicere. de quo dictum hoc capite num. 15. His addi poteſt quarta determinatio, quam interdum videntur ponere, propter debilitatem arbitrij ex peccato originali contractam. alia enim eſt motio requiſita ratione ſubiectionis ſub cauſa prima, alia ratione debilitatis contractæ per peccatum originale. Sed de hac infrà cap. 9. ſub finem. 19

Caput VI.

Refutatio tertia gratiæ prædeterminantis ex Scripturis.

ETſi euerſis fundamentis huius ſententiæ ſatis intelligi poſſit quo loco ſit habenda; tamen vt plenior ſit hæc diſputatio, adducam aliquot teſtimonia ex Scripturis, Conciliis,& Patribus, quæ huic ſententiæ non parum videntur refragari.

1 Primus locus ſit Deuteronomij 30. *Mandatum quod ego pracipio tibi hodie, non ſupra te, neque procul poſitum, vel in cælo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrûm valet ad cælum aſcendere, vt referat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus.* At quomodo hæc vera ſunt ſi ad ſingula opera mandata requiritur quædam impulſio phyſicè prędeterminans diuinitus immiſſa, quam habere non eſt in poteſtate hominis, quæ non datur niſi certis momentis, pro quibus eſt à Deo parata? nam *ſupra te* eſt hæc impulſio (id eſt, non eſt in tua poteſtate) tamquam in cælo poſita; neque obtineri à te poteſt, ſi Deus eam tibi ante omnem præuiſionem operum non præparauit. quare etiam ſupra te eſt impletio cuiuſuis mandati tamquam in cælo poſita. non enim magis potes implere quoduis mandatum ſine illa impulſione, ſeu præmotione, quàm ſine reuelatione prophetare, aut ſine dono miraculorum miracula facere: neque magis eſt in tua poteſtate habere illam impulſionem, quàm habere donum prophetiæ vel miraculorum. vtrumque enim pendet ex ſolo decreto diuino ante omnem præuiſionem operum facto, vt illi docent. Deut. 30. *Impletio mandatorũ non eſt ſupra nos, ſed eſt in noſtra poteſtate.*

2 Secundus locus Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilÿ ſui,*&c. At quomodo *reliquit in manu conſilÿ ſui* eum, quem ad ſingula opera pro ſuo arbitratu impellit & determinat, & qui de ſingulis eius operibus decreuit antequam præuidit quid eſſet facturus? Item quomodo dicitur homini: *Appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris extende manum tuam*, ſi Deus ipſe iam antè decreuit ad quid extendere eam debeat, & voluntatem tuam ad hoc determinabit? Denique quomodo dicitur: *Ante hominem, vita & mors; bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: ſi Deus iam abſolutè ſtatuit, vt hoc ei placeat, & voluntatem ad hoc determinabit? Quomodo poſſum ſincerè dicere, elige quod volueris, ſi iam antè ſtatui quid tibi eligendum ſit, & voluntatẽ tuam ſtatui ad hoc impellere, nulla habita ratione, quid tu ex te, tibique Eccli. 15. *Reliquit hominem in manu conſilÿ ſui.*

 reli-

relictus, electurus eſſes? Quod enim planè apud nos ſtatuimus vt fiat, quodque abſolutè & efficaciter decreuimus procurare, non relinquimus alterius arbitrio, nec dicimus vt ipſe eligat quod placuerit. Cur non idem cenſendum de Deo, cuius voluntas omnipotens, cuius decreto efficaci & abſoluto nullo modo reſiſti poteſt?

Deus dat omnia neceſſaria ad ſalutem ex parte ſua.

Tertius locus Iſaiæ 5. *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non* 3
feci; an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Hîc Dominus apertè indicat, ſe ex parte ſua dediſſe populo omne auxilium neceſſarium vt facerent bona opera: & tamen non dedit illis illud auxilium prædeterminans. ergo auxilium prędeterminans non eſt neceſſarium ad bona opera. Confirmatur, quia alioqui reſpondere potuiſſent Iudæi Deum non feciſſe omnia quæ ex parte eius erant neceſſaria; quia non dedit illud auxilium prædeterminans, quod erat neceſſarium ad benè operandum. neque paratus fuit dare, quia hoc auxilium non eſt præparatum ex præuiſione operum, ſed ante omnem præuiſionem; quare cùm ante præuiſionem non præparauerit, euidens videtur non fuiſſe paratũ dare. nihil enim erat expectandum ex parte noſtra, quo poſito vellet dare. Reſpondent aliqui, Deus daret auxilium efficax, ſi benè vterentur ſufficienti. Contrà, Primò: hoc non conſiſtit cum illa ſententia, qua dicunt hæc auxilia decreta ante præuiſionem operum. Secundò: quia non poſſunt homines vti auxilio ſufficienti, ſine vlla prædeterminatione, quæ ipſis non fuit decreta & præparata. Verùm de hoc plura infrà capite nono, num. 1. Denique quomodo expectauit Deus vt facerent vuas, cùm ipſe antè non decreuerit vt facerent vuas, imò decreuerit vt facerent labruſcas, nempe materialem actum peccati; & ad hoc motionẽ phyſicè prædeterminantẽ eis præparauerit? Item quomodo expectauit vt facerent vuas, cùm ſciret illos ſine auxilio determinante non magis facere poſſe quàm ſine alis volare, & ſe nullum tale auxilium decreuiſſe? Nemo expectat vt facias, quod certo nouit te facere non poſſe ſine ſua ope, quam non ſtatuit tibi ferre. Hinc refellitur reſponſio quorumdam qui dicunt Dominum ibi loqui de auxiliis externis collatis per legem & cærimonias, per prædicationem Prophetarum, & ſeparationem à gentilibus, per varia beneficia temporalia: ſolis enim auxiliis externis non poterant vel ipſi vuas bonorum operum proferre, vel Dominus illas expectare.

Vſus auxilij ſufficientis.

Quartus locus Ezechielis 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam* 4
ab omnibus iniquitatibus veſtris; proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum: & quare morie-

moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis dicit Dominus: reuertimini & viuite. His diuiniſſimis verbis apertè indicatur, Primò, non requiri ad conuerſionem aliquod auxilium prædeterminans, quod non ſit in poteſtate hominis habere. Ridiculè enim diceretur homini in tenebris poſito, Reſpice; ſi non eſſet in eius poteſtate habere lumen. Similiter ridiculè videretur dici & illuſoriè, *Conuertimini, agite pœnitentiam,* ſi nec habent auxilium præuium ad hoc neceſſarium, nec in poteſtate illorum eſt illud acquirere. Reſpondebunt enim, quomodo nos ad conuerſionem hortaris, cùm ad eam requiratur impulſus prædeterminans, quem non habemus, nec ſtatuiſti nobis dare, nec poſſumus aliquid facere vt eum comparemus. Si dicas, Orate, & dabitur vobis, occurrent, Nō poſſumus orare, niſi etiam ad hoc det nobis impulſum prædeterminatem. nec iuuat quod quidam reſpondent poſſe Deum dare hunc impulſum: quia hoc oſtendit quidem in Dei eſſe poteſtate illos conuertere; non autem eſſe in illorum poteſtate, vt ſe ad Deum conuertant: ac proinde videri illuſoriè illos ad conuerſionem prouocari. quod cùm abſurdum ſit, conſequens eſt talem prædeterminantem impulſum non requiri. Secundò, peccatores ſaltem fideles habere in ſua poteſtate per Dei benignitatem immediatè vel mediàtè omne auxilium neceſſarium ad conuerſionem: alioqui non poſſet illis præcipi vt conuertantur, vt proiiciant ſuas præuaricationes. Tertiò, Deum non decreuiſſe vt homo faciat aliquod opus materiale, cui connexa eſt malitia; vel alicuius damnationem ante præuiſionem peccatorum. *Fideles habent omne auxilium neceſſarium.*

5 Quintus locus Matthæi 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes quæ facta ſunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Hîc apertè Dominus docet Tyrios & Sidonios cum iiſdem auxiliis & externis & internis acturos fuiſſe pœnitentiam, cum quibus ciues Corozaim & Bethſaidæ manſerunt obdurati. Vnde patet ad conuerſionem non requiri auxilium aliquod prædeterminans; tale enim viri Corozaim non habuerunt; ſi enim habuiſſent, non potuiſſent non conuerti. *Cum eodem auxilio quo hic non conuertitur, ille conuerteretur.*

Dices, hinc ſolùm ſequi viros Corozaim & Bethſaidæ fuiſſe deteriores Tyriis & Sydoniis: quia ſua malitia impedierunt, ne Deus daret illis auxilium determinans; hoc autem non feciſſent Tyrij & Sidonij. Sed contrà, Primò: hoc non conſiſtit cum alia ſententia illorum, quâ dicunt hoc auxilium ante omnem præuiſionem determinationis cauſæ ſecundæ eſſe decretum. Si enim poſſum impedire ne mihi Deus illud auxilium conferat, ergo non decreuit mihi illud *Reſponſio illorum.*

abſolutè dare, niſi ſuppoſita præuiſione, qua præuidit me non impediturum. Secundò, vnde prouenit quòd hic impediat, ille non impediat; niſi quòd alter benè vtatur minoribus donis, alter non benè vtatur? Atqui quòd hic benè vtatur minoribus donis, prouenit ex eo quòd Deus decreuerit vt benè vteretur, & ob id eum ad hoc determinet (vt ipſi docent) quòd autem alius non benè vtatur, prouenit ex eo quòd non habuerit auxilium determinans. Poterunt ergo ſe excuſare viri Corozaim & dicere; Mirum non eſt ſi non ſimus conuerſi: quia caruimus auxilio neceſſario ad conuerſionem, nempe motione determinante. Quòd ſi dicatur eos eſſe in culpa quod caruerint, eò quòd impediuerint ne Deus daret illis hoc auxilium; reſpondebunt id aliter fieri non potuiſſe, eò quòd etiam caruerint auxilio neceſſario quo determinarentur ad vſum minorum donorum: quo auxilio ſi quis caret, neceſſariò deficiet, & non benè vtetur; imò non poteſt rectè vti. De Tyriis verò dicent mirum non eſſe, ſi fuiſſent conuertendi viſis ſignis Domini; quia Dominus daturus illis fuiſſet auxilium determinans ad conuerſionem. Si dicas ideò Dominum illis daturum fuiſſe tale auxilium ad conuerſionem, eò quòd ipſi non fuiſſent impedituri, malè vtendo donis minoribus; reſpondebunt (vt antè dictum eſt) mirum id non eſſe, quia Dominus dediſſet illis auxilium determinans ad vſum minorum donorum; quo poſito non poterant illis malè vti: & ita hæc tota diſtinctio refertur in ſolum Dei decretum, quo his voluit dare auxilium determinans, illis noluit. Tertiò, quia Dominus apertè indicat virtutes ibi factas cum internis auxiliis coniunctis fuiſſe ſufficientes ad agendam pœnitentiam, ſine nouo auxilio quod non ſit in eorum poteſtate. Vnde D. Auguſtinus c. 14. de bono perſeuerantiæ ex hoc loco colligit, *quoſdam habere in ipſo ingenio naturaliter diuinum munus intelligentiæ quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant:* quod nullo modo verum eſſet, ſi non poſſint moueri ad fidem, niſi Deus ad hoc phyſicè eos determinet.

Vſus minorũ auxiliorum.

Sextus locus Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Si neceſſarium eſſet auxilium determinans, reſpondere potuiſſent ciues Ieruſalem; Quomodo voluiſti nos congregare, cùm ante omnem præuiſionem operum ſtatueris nobis non dare auxilium ad hoc neceſſarium, nempe quod mentes noſtras ad conuerſionem & minorum donorum vſum inflecteret, & determinaret? vnde mirum non eſt quòd noluerimus, quia ſine tali auxilio velle non poteramus. hoc autem vt nobis daretur 6

Nihil auxilij deeſt homini præſertim fideli ex parte Dei.

retur non erat in noſtra poteſtate. ſolum enim illis datur quibus ab æterno pro tuo beneplacito præparaſti.

7 Septimus locus Apocalyp. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit intrabo ad eum.* Hîc manifeſtè ſupponitur, eos ad quorum cor pulſat Deus, habere auxilium quod neceſſarium eſt ad immediatè aperiendũ, id eſt, ad conſentiendum in id ad quod proximè excitantur. cur enim pulſaret ſi non poſſent aperire? quomodo diceret, *Si quis mihi aperuerit*, ſi ipſemet deberet aperire, per quemdam impulſum, qui non eſt in eorum poteſtate? Si enim qui intus eſt non poteſt aperire oſtium niſi tu foris illud impellas, non rectè ei dixeris, Si aperias intrabo, cùm ipſe aperire nequeat ſine tuo impulſu; & tu illum impulſum non ſtatueris facere. Vnde meritò reſpondebitur tibi, Impelle tu priùs & tunc aperiam: nam niſi prior impulſum feceris, aperire non potero. Vnde patet reſponſionem quorumdam non valere, *Si aperueris*, id eſt, Si ego fecero vt aperias. Inuitat enim & allicit hominem vt ipſemet per gratiam acceptã aperiat. Omitto multa alia teſtimonia, vt Pſalmo 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Prouerbiorum 1. *Vocaui, & renuiſtis.* Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ad Romanos 2. *Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* His enim & ſimilibus locis ſignificatur, eos cum eadem gratia, cum qua non ſunt obſecuti Deo, potuiſſe obſequi, præſtando illud ad quod immediatè excitabantur, & mouebantur, abſque vlla noua gratia præueniente, quæ non ſit in eorum poteſtate; & contrà, cum eadem gratia, per quam aliqui obſequuntur vocationi diuinæ, potuiſſe illos non obſequi, reſiſtendo gratiæ, vocationi, & impulſui. Vnde patet non requiri gratiam aliquam phyſicè prædeterminantem.

Ad cuius oſtium cordis pulſat Deus, habet auxiliũ quo poſſit aperire.

CAPVT VII.

Refutatio quarta ex Conciliis.

1 PRimò, ex Concilio Arauſicano can. 25. *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmũ gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.* Hîc Conciliũ docet, per Chriſti gratiam in poteſtate iuſtorũ eſſe omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria; falſum ergo eſt ad ſingula opera bona requiri motio-

Omnes iuſti poſſunt perſeuerare.

motionem præuenientem ex ſe efficacem, quam habere non ſit in eorum poteſtate. quomodo enim eſt in eorum poteſtate, ea implere quæ ad eorum ſalutem pertinent, ſi ad ſingula opera bona debent per quemdam diuinum impulſum determinari, qui impulſus non eſt niſi certis quibuſdam pro Dei beneplacito prædeſtinatus?

Secundò, Concilium Tridentinum ſeſſione ſexta, capite decimo- 2
tertio: *Nemo ſibi aliquid abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimã ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi illi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit bonum opus perficiet, operans velle & perficere*. at ſi requiritur ad ſingulos actus auxilium illud ex ſe efficax, quod non niſi paucis ex diuina ordinatione eſt præparatum, quomodo *omnes poſſunt & debent firmiſſimam ſpem in Dei auxilio reponere*, cùm omnino ſint incerti, an Deus illis illud auxilium prærordinauerit? non enim poſſum firmam ſpem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum ſit ignoro. fatuus eſſet dux militiæ qui firmã ſpem poneret in auxilio & ſuppetijs incertis. Rurſum, quomodo poſſumus *deeſſe gratiæ Dei*, ſi nobis pręparatum ſit auxilium per ſe efficax; & quomodo poſſumus non deeſſe, ſi tale auxilium paratum nobis nõ eſt? Denique, quomodo dicitur quòd *Deus operabitur velle, & perficere*, niſi gratiæ ipſius deſimus; cùm ipſe per auxilium determinans facere debeat ne deſimus? Sanè non capio quomodo aliquid horum iuxta hanc ſententiam aptè dici aut explicari poſſit: iuxta noſtram verò omnia ſunt facilia. debemus enim in auxilio eius firmiſſimam ſpem ponere, quia certi ſumus nihil nobis ad ſalutem neceſſarium ex parte eius defuturum. vnde ſi non deſimus ipſius gratiæ (id eſt, ſi nos ea faciamus quæ poſſumus & debemus) certiſſimè ſalui erimus; quæ res homini eſt ſummo ſolatio. Hinc patet, Primò, cum eodem auxilio, quo gratiæ non deſumus ea vtendo, poſſe nos illi deeſſe non vtendo; & cum qua illi deſumus non vtendo, poſſe nos non deeſſe vtendo. Secundò patet, Deum operari in nobis velle & perficere, ex parte ſua quidem dum dat auxilium ad hoc oportunum: abſolutè autem & ſimpliciter dum illi auxilio non deſumus, ſequendo quò nos inuitat & impellit; tunc enim Deus per illud auxilium, tamquam per ſemen quoddam ſacrum, operatur nobiſcum & in nobis immediatè ipſa bona opera, vt infrà pluribus declarabitur.

Quomodo in auxilio diuino firmiſſima ſpes collocanda.

Deeſſe gratiæ.

Operari velle.

Tertiò, idem Concilium eadem ſeſſione capite vndecimo: *Nemo* 3
temeraria illa & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vtatur, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum impoſſibilia eſſe: nam Deus impoſſibilia nõ iubet; ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, &

Præcepta Dei obſeruatu poſſibilia.

petere

petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis. at ſi præter cetera auxilia requiritur ad ſingula opera motio quædam determinans, quam habere non ſit in poteſtate, vtpote quam Deus pro paucis prædeſtinauit; plurimi profectò ſunt, quibus præcepta Dei ſunt impoſſibilia: non enim ſine hac motione poſſibilia ſunt, quam ipſi habere nō poſſunt; non enim mihi magis poſſibilis eſt pręcepti obſeruatio, quàm illa Dei præmotio, quæ neceſſaria eſt ad præcepti obſeruationem. Quare cùm hæc motio nō ſit in mea poteſtate, neque etiam obſeruatio præcepti in mea poteſtate erit. nec refert quòd Deus poſſit illam dare (vt quidam reſpondent) quia ſi non decreuit dare, ego non poſſum habere. Vnde hoc non facit vt mihi præcepti obſeruatio ſit poſſibilis, ſed vt Deo poſſibile ſit mihi illam poteſtatem dare.

Erūt impoſſibilia plurimis, nempe omnibus qui ea non ſeruant.

4 Quartò ibidem dicit Concilium: *Deus ſua gratia iuſtificatos non deſerit, niſi ab illis priùs deſeratur*. At ſi nemo in hac imbecillitate habet auxilium neceſſarium, niſi ſit ita efficax vt voluntatem prędeterminet, nec in poteſtate eius eſt tale auxilium habere; quomodo non plurimi ſunt, qui deſeruntur à Deo, antequam ipſum deſerant? *Deſerere* enim eſt ſubtrahere, ſeu non dare auxilium neceſſarium: at plurimi ſunt iuſti, quibus tale auxilium in tentationibus non datur, idque abſque vlla illorum culpa. priùs eſt enim auxilium non dari, quàm hominem cadere; ideò enim cadit quia auxilium neceſſarium ad reſiſtendum non habet. Confirmatur ex ijs quæ ſcribit quidam Doctor illius ſententiæ, in primam partem, quæſtione 14. articulo 13. *Secundò dico*, inquit, *quòd voluntas mea infallibiliter deficiet circa vnamquamque materiam virtutis, niſi efficaciter determinetur à diuina voluntate ad benè operandum. quocircà ex eo quòd Deus cognoſcit ſuam voluntatem non determinaſſè voluntatem creatam ad benè operandum in materia, verbi gratia, temperantiæ, cognoſcit euidenter quòd voluntas creata peccabit & deficiet in materia illius virtutis*. Hæc ille. Si Deus ex eo cognoſcit me peccaturum, hoc vel illo momento, tali peccato, quia cognoſcit ſe non ſtatuiſſe voluntatem meam in contrarium determinare; ergo ſtatuit me deſerere, & nō largiri auxilium neceſſarium ad vitandum peccatum, antequam præuidebat me peccaturum. quid enim eſt aliud deſerere quàm opem neceſſariam in tentatione denegare?

Deus neminē deſerit antequam deſeratur.

Deſerere quid.

5 Quintò, idem Concilium eadem ſeſſ. 6. capite 5. dicit, tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, hominem eamdem inſpirationem quam recipit (ei conſentiendo) poſſe abijcere diſſentiendo.

Eadem inſpiratio, cui & per quā conſentit, poteſt abiici.

Vnde ſequitur, ad conſenſum, ſeu ad recipiendam Spiritus ſancti inſpirationem, non requiri aliquam motionem determinantem; hæc enim reijci nequit, vt ipſi fatentur. neque dici poteſt, per *inſpirationem* non intelligi omnem gratiam neceſſariam ad conſenſum, & illam prædeterminantem motionem non eſſe inſpirationem, vt quidam volunt: tum quia omnis gratia præueniens vocatur *inſpiratio*; tum quia *inſpiratio* propriè dicitur auxilium illud vltimũ, per quod voluntas conſentit, iuxta illorum ſententiam: ita enim auctor ille ſcribit capite 27. *Inſpiratio eſt diuinæ voluntatis motio, qua liberum hominis arbitrium impellit, vt in bona opera conſurgat:* tum quia Concilium ibi intendit refellere doctrinam hęreticorum, qui docent eam inſpirationem cum qua quis conſentit non poſſe reijci. Vnde ſic ait Canone 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam gratiam iuſtificationis ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil agere, mereq; paſſiuè ſe habere; anathema ſit.* Hîc duæ hæreſes damnantur, altera Lutheri, qui docebat voluntatem hominis nõ cooperari Deo in opere conuerſionis, ſed habere ſe merè paſſiuè, vt videre eſt apud Ruardum articulo 7. Altera Caluini qui docebat voluntatem quidem cooperari, ſed ita moueri à Deo vt non poſſet diſſentire: ita enim habet lib. 2. Inſtitutionum cap. 3. §. 10. editionis anni 92. *Ac voluntatem mouet non qualiter multis ſæculis traditum eſt ac creditum, vt noſtræ poſteà ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.* & infrà: *Citra controuerſiam elicitur ex verbis Ioannis, ſic efficaciter diuinitus gubernari piorum corda, vt inflexibili effectu ſequantur. nam medium motum quem ſophiſtæ imaginantur, cui obſequi vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus, vbi aſſeritur efficax ad perſeuerandum conſtantia.* Hæc autem Caluini hæreſis damnatur, cùm Concilium Tridentinum dicit anathema ei, qui dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire ſi velit. at quid aliud dicunt, qui affirmant ad conuerſionem opus eſſe quadam motione præueniente, qua poſita non poteſt homo diſſentire?

Hæreſis Lutheri & Caluini.

Reſponſio illorum.

Eliſio.

6 Reſpondent non poſſe quidem diſſentire in ſenſu compoſito, poſſe tamen diſſentire in ſenſu diuiſo. Sed hæc reſponſio (vt ſuprà cap. 3. num. 15. & 19. oſtenſum eſt) non ſufficit. quod confirmo, Primò, *quia in ſenſu compoſito nihil aliud eſt, quàm ſi motio illa adſit vel ſtante illa motione:* atqui Caluinus nihil aliud aſſerebat, quàm voluntatem non

poſſe

poſſe diſſentire ſtante illa motione (in hoc enim conſiſtit efficacia motionis, quòd illa præſente non poſſis diſſentire) & tamen Concilium intendit ipſius ſententiam damnare. Quòd autem Caluinus nihil aliud voluerit, & locutus ſit in ſenſu compoſito, perſpicuum eſt ex verbis citatis. Primò, cùm negat in noſtra poteſtate eſſe motioni efficaci refragari. nemo enim dicitur refragari motioni niſi exiſtenti, & actu impellenti, ſicut nemo dicitur reſiſtere tractui, niſi tractus ille ſit: cùm deſijt, non ampliùs ei reſiſtitur, quia non ampliùs vrget. Secundò, cùm ait illam doctrinam multis ſæculis traditam & creditam: vbi apertè fatetur noſtram ſententiam non eſſe nouam, ſed antiquorum Patrum, vt Chryſoſtomi (quem ibi citat) & aliorum: nec reprehendit eos, quòd docuerint in ſenſu diuiſo, hoc eſt, ceſſante motione Dei, hominem poſſe diſſentire (non erat adeò fungus Caluinus vt hoc improbaret) loquitur ergo in ſenſu compoſito, & in eo ſenſu eos reprehẽdit: quod etiam apertè indicant illa verba, *motioni refragari*, quæ aliter quàm in ſenſu compoſito intelligi nequeunt. Tertiò, cùm reijcit motum medium, cui poſſimus obtemperare, vel refragari: vbi manifeſtè loquitur de motu qui compoſitus & perſeuerans in voluntate, poſſit reijci. Ex quibus perſpicuum euadit, Caluinum, cùm docet motioni efficaci non poſſe reſiſti, loqui in ſenſu compoſito; neque negare quin poſſimus diſſentire in ſenſu diuiſo: & tamen damnatur à Concilio Tridentino. *Caluinum loqui in ſenſu compoſito.*

Secundò confirmatur. Nam ipſum quoque Cõcilium in ſua damnatione loquitur in ſenſu compoſito, cùm ait: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire, anathema ſit.* Quid enim aliud eſt *motum & excitatum non poteſt diſſentire*, niſi præſente & durante illa motione & excitatione? Quod etiam ex eo patet, quia cùm initio Canonis ait: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti*: loquitur in ſenſu compoſito, vt per ſe patet. *Cooperari enim Deo* non habet locum niſi præſens ſit operatio Dei, qua per excitationem in nobis operatur, vt aſſentiamur. *Cooperari* enim dicit reſpectum ad aliquem operantem. ergo etiam id quod ſequitur *neque poſſe diſſentire*, accipiendum in ſenſu compoſito; alioquin ineptiſſimè mutaretur forma loquendi, & lector deciperetur. Quod etiam ex eo colligitur, quia non poteſt liberum arbitrium diſſentire Deo excitanti & vocanti, niſi adhuc ſit excitatio & vocatio. Si enim ceſſauit excitatio & vocatio, & tunc ſolùm poteſt diſſentire, non diſſentiret, nec repugnaret excitãti & vocanti: ſicut enim vbi nulla eſt Dei operatio, non *Concilium in ſenſu compoſito loqui.*

datur Deo cooperari; ita vbi nulla eſt excitatio, non poteſt Deo excitanti repugnari. Idem confirmatur ex capite quinto eiuſdem ſeſſionis, vbi dicitur *hominem ita cooperari gratiæ præuenienti, & diuinæ inſpirationi; vt etiam poſſit illam abiicere.* At *poſſe abiicere* ſupponit eius præſentiam,& conſequenter ſenſum compoſitum. ex quibus videtur perſpicuum, Concilium damnare eos, qui dicunt liberum arbitrium motum & excitatum, ita ad conſenſum determinari, vt in ſenſu compoſito non poſſit diſſentire:& qui dicunt cum eadem gratia præueniente cum qua poteſt conſentire, non poſſe diſſentire. Tertiò confirmatur, quia nullus vmquam dixit voluntatem motam à Deo non poſſe diſſentire, poſtquam motio illa deſierit; fatuum enim hoc eſt, & nullam ſpeciem veritatis aut rationis præ ſe fert. Itaque nullis hîc hæreticis anathema diceretur; nulla veritas,de qua oriri poſſet dubitatio,definiretur. Miratus ſæpè ſum aliquem virum doctum in animum inducere poſſe hanc eſſe Concilij mẽtem. Sed fortè non aduertunt quantum incommodi illa expoſitio contineat.

Alia reſponſio. Alia expoſitio eſt quorumdam aliorum, qui videntes diſtinctionem illam de ſenſu compoſito & diuiſo hîc non rectè applicari, nec vllo modo ſatisfacere verbis Concilij, aliam euaſionem excogitarũt. Reſpondent igitur liberum arbitrium non ſolùm continere voluntatem, ſed etiam intellectum. itaque dum Concilium dicit *liberum arbitrium poſſe gratiæ diuinæ aſſentiri, & diſſentire*,ſenſum eſſe, intellectum aſſentire gratiæ vocanti & præparanti, quatenus ipſa eſt illuminatrix & ſuaſoria: voluntatem autem nondum inclinatam poſſe hâc ſuaſoriam illuminationem reſpuere. Sed neque hęc ſatisfaciunt, error enim contra quem Concilium agit, non eſt, intellectum non poſſe diſſentire gratiæ ſuadenti, ſed voluntatem non poſſe diſſentire. hæc enim per liberum arbitrium intelligitur, quando dicit Concilium liberum arbitrium motum & excitatum poſſe diſſentire. agitur enim de flexibilitate voluntatis quam hæretici negant poſita motione Dei. Deinde verum non eſt, Concilium loqui de voluntate nondum inclinata: quia apertè loquitur de voluntate mota & excitata. motio autem & excitatio illa, eſt inclinatio voluntatis ad conſenſum & conuerſionem. neque quamlibet motionem aut inclinationẽ intelligit,ſed ſufficientem vt voluntas Deo poſſit cooperari,& ſuadenti Deo aſſentiri & cõuerti. Definit enim liberum arbitrium motum & excitatũ poſſe cooperari aſſentiendo Deo; ita vt ſeſe diſponat ad obtinẽdam iuſtificationis gratiam, nimirum diſpoſitione vltima,quam immediatè ſequitur ipſa iuſtificatio. Loquitur ergo de voluntate

non

non ſolùm inclinata, ſed ita inclinata, vt immediatè poſſit conuerti. Denique hac ipſa inclinatione poſita, & compoſita cum ipſa voluntate, docet voluntatem poſſe diſſentire, & refragari illi inclinationi, & non conuerti. Itaque directè intendit excludere omnem motionem præuiam voluntatis, quæ illam ita potenter trahat in conſenſum, vt ei non poſſit illa refragari; vt hæretici volebant. Addo, Si nihil aliud Concilium volebat quàm voluntatem nondum inclinatam poſſe diſſentire ſuaſioni intellectus, quem hîc damnat? quis vmquam contrarium affirmauit? Quis hæreticorum docuit ſuaſionem quamlibet intellectus voluntati nondum inclinatæ adferre neceſſitatem conſenſus, & ita voluntatem non poſſe diſſentire: Sanè nemini hoc venit in mentem. non enim ſuaſionem intellectus dicunt neceſſitatem adferre voluntati, ſed efficacem Dei motionem, quæ mouet non intellectum ſed voluntatem, vt patet ex verbis Caluini ſuprà allatis, cùm ait: *Voluntatem mouet Deus non qualiter*, &c. hoc eſt quod damnat hîc Concilium. Definitio igitur Concilij eſt, volũtatem motam & excitatam cooperari Deo, dum actu conſentit in id, ad quod per motionem illam inclinatur; ita tamen vt tota illa motione & excitatione poſita, poſſit verè & propriè diſſentire nolendo id acceptare ad quod inclinatur: hoc enim negabant hæretici. Ex his apparet motionem prædeterminantem cum decreto Concilij non videri conſiſtere.

CAPVT VIII.

Refutatio quinta ex Patribus, præſertim Auguſtino, ex Scholaſticis, & recentioribus.

1 QVintò, contra hanc ſententiam obiici poteſt, quòd Patres & recentiores Doctores, cùm de libero arbitrio agunt, & quomodo bonum operari valeat explicant, non videntur vllam motionem prædeterminantem agnoſcere; ſed mediam dumtaxat, cui obſequi vel reſiſtere liberum ſit, vt etiam Caluinus lib. 2. cap. 2. §. 4. & cap. 3. §. 10. fatetur. Docent enim bona opera ita per Dei auxilium & gratiam eſſe in hominis poteſtate, vt pro libito ſuo poſſit ea facere vel omittere, & voluntatem hominis habere vim indifferentem qua ſe poſſit in vtramuis partem flectere.

2 Irenæus lib. 4. cap. 71. fusè probat *hominem eſſe ſuæ poteſtatis, & ſui conſilij, & arbitrij in bonis operibus faciendis, & omittendis.* Item *Homo ſuæ poteſtatis.*

obedientiam Dei, & amiſſionem boni eſſe in hominis poteſtate. At quomodo poteſt id eſſe verum ſi requiritur motio determinans, quę non ſit in hominis poteſtate, & cui non poſſit reſiſti? Dicit autem hominem *eſſe ſuæ poteſtatis*, quia poteſt ſeipſum flectere & determinare ad ſuas functiones prout voluerit: in qua indifferenti poteſtate conſiſtit ratio liberi arbitrij. Vnde ab omnibus Græcis Patribus (quâ linguâ ſcripſiſſe Irenæus videtur) liberum arbitrium vocatur τὸ αὐτεξούσιον, quaſi dicas ἑαυτοῦ ἔχον ἐξουσίαν, id eſt, ſui poteſtatem habens; ſcilicet ad ſe flectendum & determinandum in vtramuis partem. quòd ſi motione determinante impelli debet, ita vt non poſſit ei reſiſtere, non apparet qua ratione dici queat *ſui potens, ſui arbitrij, ſui conſilij*, cùm totum pendeat ab alterius impulſu & determinatione. neque per hoc excluditur auxilium præueniens quaſi abſque illo ſit ſui potens in operibus bonis, ſed tantùm dicitur *liberum arbitrium*, poſito omni auxilio præueniente, manere adhuc ſui potens, & adiaphorum.

Hoc verbum exagitat Caluinus lib. 2. cap 2. nu 4. tamquã nimium arrogans & Pelagianum.

Idem Irenæus dicto cap. 71. in fine: *Dedit ergo Deus bonum (quemadmodum & Apoſtolus teſtificatur in eadem epiſtola) & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſint non operari illud: hi autem qui non operantur, iudicium iuſtum recipient Dei; quoniam non ſunt operati bonum, cùm poſſint operari illud.* vbi apertè videtur excludere illam motionem præuenientem, cui reſiſti non poſſit.

Qui operatur bonum, poteſt nõ operari; & qui non operatur, poteſt operari.

Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Liberum & ſui arbitrij,* 3
& ſuæ poteſtatis, inuenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in eo aduertens quàm eiuſmodi ſtatus formam. & infrà: *Nec boni, nec mali merces iuſtè penſatur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non voluntate*, id eſt, non libera electione. Vbi excludit omnem determinationem præuenientem, cui reſiſti non poſſit. quomodo enim non eſt neceſſitate bonus, qui bonus eſt per gratiam determinantem cui non poteſt reſiſti? & quomodo non eſt neceſſitate malus, qui infallibiliter malus erit, niſi ad bonum à Deo determinetur; & ſine hac determinatione bonus eſſe nequit?

Iuſtinus Apologia prima: *Nulla laude quidquam eſſet dignum, niſi* 4
eſſet ad vtrumque flexibile, id eſt, niſi tunc quando bonum opus facit, poſſet non facere; ita vt immediatè poſſit in vtrumlibet.

Origenes homilia 12. in Numeros: *Quomodo poſceret Deus, niſi haberet homo in ſua poteſtate, quod Deo poſcenti debeat offerre?* Non ergo prærequiritur gratia prædeterminans, quæ non eſt in hominis poteſtate.

ſtate. & Homilia 2. *Sui namque arbitrij eſſe animum; & in quam voluerit partem liberum eſt ei declinare, & ideò iuſtum eſt Dei iudicium, quia ſponte ſua, ſiue bonis ſiue peßimis monitoribus paret.* non ergo debet impelli per motionem determinantem. Idem fusè docet Euſebius libro 6. de præparatione Euangelica cap. 5. 6. 7. 8. 9.

5 Baſilius in cap. 14. Iſaiæ: *Ex ſuo ipſius propoſito & libera voluntate, vnuſquiſque poteſt eſſe ſemen ſanctum, aut certè in diuerſum abire.* & in Pſalmum 61. explicans illum verſum; *Mendaces filij hominum in ſtateris; corporea pondera libræ momentis exploramus; quæ verò in vita eligenda ſunt libero arbitrio* (τοῦ αὐτεξουσίου) *diſcernimus: quod & ſtateram vocauit, eò quòd æqualem nutum* (ῥοπὴν) *in vtramlibet partem capere poßit.*

Quiſque poteſt eſſe ſemen ſanctum vel nequam.

Liberum arbitrium ſtatera.

Nazianzenus Apologia prima dicit, *Virtutem voluntate animiq́ propoſito excoli, arbitriiq́ libertate parem in vtramque partem habente motum.* Hilarius in Pſalmum ſecundum: *Vnicuique noſtrum libertatem vitæ ſenſumq́ permiſit, non neceßitatem in alterutrum affigens.* At quomodo non affigit neceſſitatem, ſi ſemper imprimit impulſum determinantem, cui non poſſumus reſiſtere? Idem docent Patres ceteri, quorum teſtimonia breuitatis cauſa prætermitto. hoc ſolùm addiderim, quando dicunt *voluntatem eſſe ſtateram, habere parem in vtramque partem nutum, aut motum, eſſe flexibilem ad vtrumlibet*, eos loqui de libero arbitrio omnibus ad agendum neceſſariis inſtructo, vt patet eorum verba expendenti. alioquin & falſa eſſet eorum ſententia, & nihil ad rem faceret.

6 Veniamus ad diuum Auguſtinum, qui maximè putatur fauere alteri ſententiæ. hic non agnoſcit vllam gratiam præuenientem quæ voluntatem prædeterminet, per quam Deus operetur ipſum velle; ſed ſolùm vocationem ſeu ſuaſionem (quæ ex parte intellectus continet illuminationem, ex parte voluntatis piam affectionem diuinitus immiſſam) & per hanc dicit operari velle. Primus locus ſit libro primo ad Simplicianum, quæſtione 2. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui ei etiam currere & velle vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. aliter enim præſtat Deus vt velimus; aliter quòd voluerimus. vt velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocãdo, & noſtrum ſequendo: quòd autem voluerimus, ſolus præſtat; id eſt poſſe benè agere, & ſemper benè viuere.* Hìc docet Auguſtinus quomodo Deus operetur in nobis *velle*, nempe vocando, id eſt illuſtratione intellectus, & affectione præuia voluntatis. hæc enim trahunt voluntatem, & vires

Probatur ex D. Auguſtino.

Suaſio, vocatio quid contineat.

Quomodo Deus operatur velle in nobis.

præbent

præbent ad conſenſum, ſic tamen vt voluntas poſſit huic tractui re-
ſiſtere. Vnde conſenſus, ſeu velle, ſolùm tribuitur Deo quia vocauit,
& per ſuam vocationem tãquam per ſemen quoddam ſuum (comi-
tante, non pręueniente concurſu ſuo) operatus eſt ipſum conſenſum.
Quòd ſi diuus Auguſtinus requireret aliquam motionẽ præuenien-
tem diſtinctam à vocatione, quæ voluntatem determinet ad velle,
non diceret, *vt velimus voluit eſſe ſuum vocando, noſtrum ſequendo*;
ſed *ſuum determinando; noſtrum, ipſam determinationem patiendo.*
quo modo motus gratię pręuenientis ſuos eſſe voluit, quia ad eos prę-
determinat; noſtros, ſolùm quia eos patimur neceſſitate. etſi enim
vitaliter eliciantur, tamen velimus nolimus in nobis excitantur.

Deo tribuitur quòd benè velimus, quia præcedit vocatio, quæ eſt bonæ voluntatis effectrix.

Secundus locus ſit eadem quæſtione 2. paulò infrà: *Si quæramus
vtrùm Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat.
at enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bo-
nam voluntatem, proptereà vocanti Deo rectè tribuitur, quòd benè vo-
lumus; nobis verò tribui non poteſt, quòd vocamur.* & infrà: *Sed ſi voca-
tio ita eſt effectrix bonæ voluntatis vt omnis vocatus eam ſequatur,
quomodo verum erit, Multi vocati, pauci electi?* Ad hoc deinde fusè
reſpondet, oſtendens non omnem vocationem efficere bonam vo-
luntatem re ipſa, ſed eam quæ congrua eſt affectibus hominum, *vt
quamuis* (inquit) *multi vno modo vocati ſint, tamen quia non omnes
eodem modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem qui ei capiendæ
reperiuntur idonei.* Hic rurſum dicitur Deus bonam operari volun-
tatem per vocationem, nec alia gratia præueniens requiritur, & effi-
cacia gratiæ præuenientis conſtituitur in vocatione congrua, idque
ſæpè ibidem repetitur.

Reſponſio illorum ad priorem partem.

Ad hoc teſtimonium reſpondetur cap. 27. ſub finem; ad priorem 7
quidem partem, *falſum eſſe, Auguſtinum non cognouiſſe aliam gra-
tiam præuenientem, aut operantem, quàm vocationem, quæ eſt ſola cog-
nitio.* Deinde probatur præter cognitionem aliquid aliud requiri.

Refutatur.

Sed, quis obſecro vmquam dixit, vocationem diuinam eſſe *ſolam cog-
nitionem boni*, ſeu intellectus illuminationem? conſtat enim apud

Vocatio quid contineat.

Auguſtinum, & Apoſtolum, vocationem complecti omne illud quo
Deus nos allicit, & trahit ad ſalutem; *Vocare* enim Dei eſt ad ſe tra-
here. Itaque non tantùm cognitionem boni, ſed etiam affectum, &
complacentiam voluntatis immiſſam continet; per quam voluntas
non ſolùm inclinatur in conſenſum; ſed etiam vires accipit ad illum
eliciendum: ita tamen vt ſtante illa inclinatione poſſit nolle conſen-
tire, vt apertè ex Auguſtino colligitur. Vnde verum non eſt vocatio-
nem

nem complecti motionem prædeterminantem aut actionem præuiam, quâ Deus immediatè quaſi creet ipſum velle in nobis, vt auctor inſinuat, cùm ait: *Ita vocatione Dei gigni conſenſum voluntatis, ſicuti res naturales conſtituuntur in eſſe per imperium Dei, ſeu per creationem.* *Non creatur in nobis conſenſus ſicut res creantur imperio Dei.*

8 Ad alteram partem reſpondetur, *diuum Auguſtinum, dum de vocatione congrua diſputat, quæſtionem ventilare nō definire*; idque probat, quia Auguſtinus ſuam ſententiam explicare incipit, vbi ait: *Et tamen intueamur ſuperiora,* &c. *Ex quibus,* inquit, *verbis liquidò colligitur diuum Auguſtinum motioni ſufficienti ſed inefficaci adiungere efficientem, vt delectent quæ obijciuntur.* Sed fallitur auctor, quia ibi Auguſtinus aliam Apoſtoli ſententiam explicat; quomodo Deus iuſtè conqueratur de hominibus, ſi cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: & reſpondet iuſtè conqueri, quia etſi non det illis gratiam congruam, non tamen cogit illos peccare. antè explicuerat quomodo dicatur *Deus miſereri*, in illo loco Apoſtoli, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*; & oſtenderat id nihil aliud eſſe quàm largiri vocationem congruam affectibus hominum, per quam videbat eos conuertendos. *Igitur,* inquit, *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocauit quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* & infrà: *Si vellet ipſorum miſereri, poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* & rurſus: *Illi electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamuis vocati.* & infrà: *Etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur.* & rurſus: *Cuius miſeretur, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* idque explicat multis exemplis: deinde ſubijcit: *Cùm ergo alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem; eadémque res ſæpè alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, quis audeat dicere Deo defuiſſe modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Ex his patet Auguſtinum non ventilare ſed definire quæſtionem, & ex ſua ſententia loqui; neque id poſteà corrigit, cùm ait: *Et tamen intueamur ſuperiora:* ſed confirmat multis, præſertim in fine eiuſdem quæſtionis ſecundæ ad Simplicianum: vt cùm ait: *Hæc demonſtratio potentiæ Dei, & annūtiatio nominis eius in vniuerſa terra, prodeſt eis vt timeant, & vias ſuas corrigāt, quibus vocatio talis congruit.* Idem alijs libris expreſsè tradit, vt lib. de ſpiritu & littera cap. 34. de peccatorum

Reſponſio illorum ad alteram partē.

Refutatur.

Miſereri, quid apud Apoſtolum ad Rom. 9.

rum remiſſionibus,lib. 2. cap. 17. de bono perſeuerantiæ,cap. 14. & alibi, vt ſtatim oſtendemus. Imò libro de prædeſtinatione Sanctorum,cap.4. remittit Maſſilienſes & Lectores ſuos ad hunc librum primum, quem ad Simplicianum ſcripſerat. vnde patet hæc Auguſtino probari tamquam plenè excuſſa. *Vt delectent quæ obijciuntur,* non eſt opus motione determinante; ſed ſufficit pia affectio,& complacentia quędam voluntati immiſſa,quæ nihil eſt aliud quàm vocatio: tunc enim bonum delectare incipit. perfecte autem delectat, quando homo iam conſentit, & iuſtificatus eſt. Similiter *vt ſit nutus voluntatis,vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera feruentia charitate, ille tribuit*,non per motionem determinantem,ſed,vt ibidem Auguſtinus explicat,*faciendo vt bonum delectet, quod anteà non delectabat.* Hoc autem fit dum mens illuminatur, vt illud apprehendat, & voluntas complacentia quadam afficitur, vt illud amare incipiat: hæc eſt gratia quæ tunc inſpiratur & præbetur. Vnde tandem diuus Auguſtinus ſic concludit illam q. 2. *Reſtat ergo vt voluntates eligantur. Sed voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt. hoc autem vt occurrat,non eſt in hominis poteſtate.* Explicat hoc exemplo diui Pauli, qui occurrente tali viſo, quo mens eius & voluntas corrigeretur, ad fidem conuerſus eſt.

Quomodo ſit vt bonum delectet.

Ex quibus omnibus patet, *gratiam efficacem*, quæ operatur conuerſionem, apud Auguſtinum nihil eſſe aliud quàm *vocationem congruentem.*

Gratia efficax Auguſtino.

9 Tertius locus lib. de ſpiritu & littera,cap. 34. *Attendat & videat non ideò tantùm iſtam voluntatem* (credendi) *diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus,vt velimus,& credamus.* Et infrà: *His ergo modis* (interna, & externa ſuaſione) *quando Deus agit cum anima rationali (neque enim credere poteſt quolibet arbitrio,ſi nulla ſit vocatio aut ſuaſio cui credat) profectò & ipſum velle credere Deus operatur in ipſo homine,& in omnibus miſericordia eius præuenit nos. conſentire autem vocationi Dei,vel ab ea diſſentire, ſicut dixi,propriæ voluntatis eſt.* Hîc rurſus apertè explicat ideò Deum dici operari ipſum velle,quia per vocationem & ſuaſionem facit vt velimus: non tamen excludit concurſum concomitantem, ſed ſupponit: agit enim ſolùm de præuijs quibus incitat, impellit, & vires tribuit ad conſenſum. Dicit autem *conſentire & diſſentire eſſe propriæ voluntatis*,quia Deus non aſtringit volũtatem in alterutram partem,

Deus operatur velle, quia per vocationem facit vt velimus.

ſed

ſed vtrumque relinquit, in indifferenti ipſius poteſtate, vt ſeipſum determinet ad alterutrum. Et infrà: *gratiam efficacem* indicat eſſe ſitam in ſuaſione ſeu vocatione congrua, ſicut docuerat lib. 1. q. 2. ad Simplicianum.

10 Quartus, lib. 83. Quæſtionum, q. 68. *Ad illam cœnam quam in Euangelio Dominus dicit præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; nec illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. propterea, etſi quiſquam ſibi tribuit quòd venerit vocatus, non tamen ſibi poteſt tribuere quòd vocatus eſt: qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, ita inchoat meritum ſupplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Et infrà, Pharaonem dicit fuiſſe vocatum, antequam induraretur, & potuiſſe vocationi obtemperare. Hìc apertè docet, Primò vocationem operari bonam voluntatem: vnde non eſt quęrenda neſcio quę alia motio determinans. Secundò, vocatos habere in ſua poteſtate venire, etiamſi non veniant. At quomodo id verum eſt, ſi nō poſſunt venire ſine motione prædeterminante, quæ non ſit in eorum poteſtate, qua motione habita non poſſunt non venire? Tertiò, quomodo vocatus ſi non venit, ſibi tantùm id tribuere debet, ſi defuit illi neceſſaria motio ad veniendum, quæ non erat in ipſius poteſtate? Hinc patet vocationem diuinam includere auxilium omne quod neceſſarium eſt ad ſequendum, & eſſe gratiam illam quam alibi Auguſtinus operantem vocat, vt libro de gratia & libero arbitrio, cap. 5. & 17. & alibi.

Vocatio operatur velle.

Vocatus habet in ſua poteſtate venire.

Vocatio includit omne auxiliū præuium neceſſarium ad ſequendum, eſtq́; gratia operans.

11 Quintus locus, lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 14. *Vbi* (in maſſa perditionis) *Tyrij relicti ſunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent: ſed quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Hìc rurſus diuus Auguſtinus ponit gratiam efficacem in vocatione congrua. quod tamen non eſt ita intelligendum, quaſi ſigna externa, & prædicatio externa, etiam congruentiſſimè facta per ſe ſufficiat, vt homo pōſſit credere, ſine interno auxilio, quo mens illuminetur, & per quamdam cōplacentiam afficiatur; ſed quia prædicatio & ſigna Chriſti ſecundùm diuinā prouidentiam cōnexam habebant

Prædicatio & miracula ſecūdùm diſpoſitionem diuinam ſecum deferū: auxiliū internū.

bebant & ſecum deferebant motionem internam, per quam audita prædicatione, & viſis ſignis congruenter mentibus illorum factis, reipſa ad fidem conuerſi fuiſſent: cùm tamen Iudæi, quibus illa prædicatio & ſigna, ob quaſdam mentis prauas diſpoſitiones, non ita congruenter obijciebantur, non ſint conuerſi, quamuis reuerà conuerti facilè potuerint. Hinc ſequitur, cum eadem gratia, quâ hic non conuertitur, alium fore conuertendum, quia aliter affectus eſt: ambitio enim, auaritia, libidines, odium prædicatoris, & ſimilia, valdè impediunt fructum prædicationis, & pios motus, & faciunt ne bonis monitis obtemperes; quæ impedimenta vbi abſunt, mens faciliùs bonos affectus ſuſcipit, & ſuſceptos fouet, eiſque obtemperat.

Sextus locus, libro 12. de Ciuitate cap. 6. propoſitis duobus ſimiliter corpore & animo affectis, & pari tentatione interiùs exteriuſque pulſatis, inquirit cauſam cur alter conſentiat tentationi, alter nòn conſentiat. Reſpondet, *non apparere aliam quàm quòd alter à caſtitate voluerit deficere, alter noluerit*. Si neceſſarium eſſet auxilium determinans, non rectè dixiſſet cauſam eſſe, quòd hic voluerit, ille noluerit; ſed dicere debuiſſet, quia hic habuit motionem qua Deus illum ad caſtitatem determinauit, ille non habuit. illâ autem non habitâ, neceſſariò deficere debebat. itaque non fuiſſe pares. 12

Cum auxilio pari fieri poteſt, vt alter labatur, alter ſtet firmus.

Septimus, libro de dogmatibus eccleſiaſticis, cap. 21. *Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas; ſed admonente priùs Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei.* & infrà: *Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* Hîc rurſus nõ requiritur aliud quàm admonitio, & inuitatio, vt in noſtra ſit poteſtate conſentire; nec aliud agnoſcitur initium ſalutis, aut gratia operans, quàm vocatio quâ inuitamur ad ſalutem. Ad hoc reſpondetur cap. 27. verſus finem, hoc falſum eſſe, quia Auguſtinus præter *admonitionem*, & *inuitationem*, ponit *inſpirationem*, per quam intelligit motionem efficaciter determinantem. Sed clarum eſt per inſpirationem Auguſtinum nihil aliud intelligere quàm id quod anteà vocauerat admonitionem, & inuitationem; quæ non ſolùm continet cognitionem (vt hîc affingitur non ſemel, cauſa meliùs impugnandi) ſed etiam affectionem voluntatis. *Inſpiratio* enim eſt nomen generale, continens cogitationem & piam affectionem diuinitus immiſſam, ſicut inuitatio, & vocatio, & admonitio, & excitatio, & tractus: hæc enim omnia idem valent apud Auguſtinum, & Concilium Tridentinum, vt ex 13

Reſponſio illorum.

Refellitur.

Inſpiratio quid.

ſupra-

ſupradictis conſtat. Imaginari autem, *inſpirationem* eſſe quamdam peculiarem actionem, qua Deus creet & infundat nobis conſenſum, ſicut per inſpirationem creauit & infudit ſpiritum vitæ Adamo (vt auctor vult) fictio videtur rationis vacua; non enim tunc eſſet noſtrę poteſtatis inſpirationi acquieſcere, vel refragari; quod hîc affirmat Auguſtinus, & docet Concilium Tridentinum. Omitto alia loca D. Auguſtini.

14 Ex his apparet, Primò, D. Auguſtinum nullam agnoſcere motionem præuenientem, quæ voluntatem prædeterminet, imò hanc ab ipſo reiici. Secundò, motionem præuenientem, & gratiam operantem quæ eſt initium boni operis, apud D. Auguſtinum nihil eſſe aliud quàm ſanctam vocationē. Tertiò, gratiam efficacem qua Deus operatur velle in nobis, nihil aliud eſſe quàm vocationē congruam. Quartò, cum eadem gratia, cum qua hic conuertitur, alium non conuerti. In eadem ſententia ſunt alij Patres, quos breuitatis causâ prætereo. *Quatuor conſectaria ex dictis.*

15 Proſper lib. ſecundo de vocatione gentium, cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, côrque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei atque coniungitur; quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi; & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium; de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit; quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue occultos, ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ.* Hîc à Proſpero gratia præparans voluntatem, & perducens ad iuſtificationem, conſtituitur in ſuaſionibus, illuminationibus, incitationibus, inſpirationibus, & affectionibus fidei & iuſtitiæ voluntati immiſſis (quæ nihil aliud ſunt quàm vocatio) quas ſubſequitur noſtra voluntas, id eſt, noſtrę voluntatis conatus vt eis cooperetur, ſicut terra cooperatur ſemini ſuſcepto. illis ergo poſitis poteſt cooperari, abſque alia gratia præueniente, nimirum per illam præuiam gratiam, vt Proſper ait.

16 Idem tenent Doctores Scholaſtici, vt patet ex iis quæ ſuperiùs capite quinto dicta ſunt; vbi ex verbis eorum probauimus, eos reiicere omnem prædeterminationem tamquam libero arbitrio repugnantem. *DD. Scholaſtici idem tenent.*

In eadem ſententia ſunt recentiores: Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tractatu 5. pagina 101. *Ex ſuperioribus eſt manifeſtum, quòd quemadmodũ ex duobus iam æqualiter iuſtis, contingit alterum libero arbitrio à gratia deficere, conſentiendo deſideriis carnis ſuæ; alterum eodem libero arbitrio innixo Dei auxilio perſeuerare: ſic ex duobus impiis æqualiter indignis, æqualiter diuinis inſtinctibus pulſatis atque admonitis aut ad fidem, aut ad cordis pœnitentiam, contingit alterum non reluctari, ſed dare locum pulſanti Deo; alterum verò reſiſtere, & permanere in obſtinatione ſuæ voluntatis. habuit is qui ſic vocatus reſiſtit, in ſua poteſtate non reſiſtere, alioquin non peccaret reſiſtendo.* Probat deinde ex Auguſtino. & infrà cauſam adfert cur æqualiter tracti non æqualiter credunt; *Quia*, inquit, *non ſunt æqualiter affecti.* Idem ſæpè docet gratiam efficacem nihil aliud eſſe quàm vocationem congruam, vt pagina 133. & alibi.

Cum æquali auxilio alius ſtat, alius cadit.

Ruardus articulo 7. folio 307. *In eo qui ſequitur vocationem cre-* 17
dendo vel pœnitendo, & in eo qui illam negligit, poteſt eſſe idem conuerſionis & fidei principium, adeò vt ex ſola eorum libertate vnus negligat vocationem, & ideò non credat, Deo adhuc propter eius negligentiam non cooperante; & alter credat & conuertatur propter ſuam diligentiam, quâ ad verbum Domini auſcultat, & ideò efficaciter eius conuerſionem Deus operatur. nec enim in iſto differentia eſt, inter opera ſalutis, & moralia, ac naturalia. In eo enim qui vult ambulare, Deus cooperatur; & ſi non vult, Deus ei non cooperatur: nec tamen aliquid poſitiuum abſolutum eſt ante omnem actionẽ in vno quod non in altero, &c. *Regulariter enim Deus non flectit voluntatem ad alteram partem contradictionis determinando, niſi ſuaſione & inſpiratione, quas etiam liberum eſt homini ſequi vel negligere: per quas ipſe operatur velle & perficere; ſicut in ſemine operatur ad animalium & arborum productiones.*

Deus operatur velle per ſuaſionem, et inſpirationẽ.

Et pagina 309. prop. 10. *Quòd ex ſimiliter tractis & interiùs in corde vocatis, vnus credit & conuertitur, & alius manet incredulus nec conuertitur, contingere poteſt ex ſola arbitrij diuinitus præparati libertate. Omnibus namque poſitis, quæ præcedunt & requiruntur ad fidem & conuerſionem, libera manet voluntas, nullaq; inducitur neceſſitas ſe determinandi ad credendum, vel ſequendum vocationem, nec ad oppoſitum.* Probat ex teſtimonio D. Auguſtini lib. 12. de Ciuitate, c. 6. ſuprà, allato, & ex Driedone libro 1. de redemptione generis humani.

Æquale auxilium duobus collatũ.

Cunerus Petri Epiſcopus Leuvvardienſis ante multos annos duos libellos conſcripſit, alterum de libero arbitrio, alterum de gratia Chriſti,

Chriſti, in quibus potiſſimùm id agit, vt ſententiam quorumdam Doctorum, qui gratiam prædeterminantem introduxerant, refutet. Denique vt finem faciam, eamdem ſententiam doctiſſimè refutarũt multi è Societate noſtra inſignes Theologi, quorum opera extant.

Capvt IX.

Refutatio ſexta per varias rationes ex incommodis quæ ex illa ſequuntur.

1 SI ad conuerſionem peccatoris, & ad omnia opera bona, prter cetera omnia auxilia, requiritur motio quædam præueniens, quæ voluntatem noſtram determinet priùs naturâ quàm ipſa conſentiat; ſequi videtur, Primò, nullum dari auxilium ſufficiens quod non ſit efficax. Hoc autem eſt contra fidei doctrinam. hinc enim conſequitur non omnibus dari auxilium ſufficiens; quod auctor cap. 8. fatetur eſſe contra Scripturas. De quo etſi dubitari poſſit; certum tamen eſt contra Scripturas & fidei doctrinam eſſe, non omnibus fidelibus ſufficiens auxilium dari; vt colligitur ex Concilio Arauſicano, can. 25. & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 13. Illud autem ſequi (etſi per ſe clarum ſatis eſt) tamen probatur, Primò, quia illud ſolum auxilium eſt ſufficiens ad aliquod opus, per quod homo eſt potens operis, ita vt iam in ſua poteſtate habeat illud facere. Si enim non poteſt illud facere, niſi nouum auxilium, quod non ſit in eius poteſtate, acceſſerit, nondum habet auxilium ſufficiens. atqui per nullum auxilium præueniens, homo eſt potens boni operis (ipſorum ſententiâ) niſi acceſſerit auxiliũ prædeterminans; alioqui falſum eſſet illud Domini: *Sine me nihil poteſtis facere.* & illud Apoſtoli: *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*; item alioqui poſſet aliquid facere ſine prima cauſa, vt auctor ratiocinatur cap. 6. & alibi. ergo nullum auxilium eſt ſufficiens, ſi abſit auxilium efficax. Secundò, auxilium ſufficiens dicitur quod continet omnia neceſſaria ad opus, ita vt per illud in poteſtate hominis ſit, ſine alio auxilio opus facere. Nihil enim poteſt dici ſufficiens ad aliquam operationem vel finem, niſi cui nihil deeſt, quod ſit neceſſarium ad illam, vt patet ex terminis. ſed nullum auxilium continet omnia neceſſaria ad opus faciendum, ſi abſit auxilium determinans; alioqui auxilium determinans non eſſet neceſſarium, ergo, &c. Tertiò, nullum auxilium eſt ſufficiens ad conuerſionem quod non continet gratiam operantem: vt patet ex D. Auguſtino de gratia & libero

1. Solum auxilium efficax eſſe ſufficiens.

Id ſequi probatur ſeptem rationibus,

Per auxiliũ ſufficiens homo eſt potens operis.

Continet omnia neceſſaria.

Continet gratiam operantem.

libero arbitrio, cap. 5. 17. & alibi, vbi initium ſalutis tribuit gratiæ operanti. atqui gratia operans eſt auxilium per ſe efficax; vt habet auctor cap. 7. ergo. Quartò, nullum auxilium eſt ſufficiens ad conuerſionem, niſi quo datur poteſtas vt efficiamur filij Dei. nam hoc ipſum eſt effici filium Dei, conuerti ad Deum & iuſtificari. atqui auxilium illud quo datur hæc poteſtas, eſt auxilium ex ſe efficax & prędeterminans: de hoc enim dictũ eſt, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt ait auctor cap. 7. ergo abſque auxilio efficaci nullum eſt ſufficiens. Quintò, auxilium efficax non eſt influxus in opus, ſed impreſſio in voluntatem, per quam eleuatur & præparatur, & accipit vires ad opus ſupernaturale, vt ipſe docet cap. 10. & 27. ad. 3. ergo ſine hac impreſſione nemo poteſt dici habere ſufficientes vires ad conuerſionem. Sextò, qui habet potentiam viſiuam, ſi caret lumine, nec in poteſtate eius eſt illud habere, non poteſt vllo modo dici habere auxilium ſufficiens ad videndas & diſcernendas res circumſtantes. atqui auxilium efficax ſe habet ad ſufficiens, ſicut lumen ad potentiam viſiuam, vt dicitur cap. 7. ergo. Denique, ſi is cui deeſt gratia determinans (quam omnino neceſſariam dicunt ad conuerſionem) poteſt dici habere auxilium ſufficiens: cur non eadem ſermonis proprietate dicetur habere auxilium ſufficiens per vires liberi arbitrij? non enim magis poſſum conuerti per vocationem diuinam abſque illo auxilio, quàm per nudas vires liberi arbitrij. vtrumque enim abſolutè eſt impoſſibile. quia impoſſibile eſt ſine gratia operante, ſine motione cauſæ primæ conuerti, ſiue adſit vocatio, ſiue abſit. Si ergo dicor habere auxilium ſufficiens per vocationem, etiam potero dici habere auxilium ſufficiens per vires liberi arbitrij.

Implicat auxilium eſſe ſufficiens & non continere omnia neceſſaria ad opus.

Ex his patet manifeſtam eſſe ἀντιλογίαν, ſi dicas aliquod auxilium 2 eſſe ſufficiens ad conuerſionem, & tamen in eo non contineri auxilium prædeterminans, neceſſarium ad conuerſionem. Sed nimirum duro nodo durus erat adhibendus cuneus. nimis enim apertè contra Scripturas & conſenſum Doctorum videbatur, expreſsè confiteri ſolum auxilium quod per ſe efficax ſit eſſe ſufficiens. vnde oportuit fateri illud eſſe ſufficiens cui deeſt id quod maximè erat neceſſarium. Quidam tamen conſequenter loqui volentes, non ſunt veriti concedere, ſolum auxilium prædeterminans eſſe ſufficiens, ipſa euidentia conſecutionis conuicti.

Obiectio.

Dices Primò, Vos conſtituitis auxilium ſufficiens in vocatione, & tamen vlteriùs requiritis cōcurſum diuinum: nemo enim per ſolam vocationem conuerti poteſt, niſi Deus cooperetur. ergo vt auxilium dicatur ſufficiens, ſatis eſt, vt ſit ſufficiens in

ſuo

ſuo ordine. Reſpondeo: Auxilium ſufficiens ita conſtituitur in vocatione diuina, vt nihil ampliùs quod præuium ſit operi, aut quod non ſit in noſtra poteſtate, requiratur ad operis executionem. neceſſarius quidem eſt cõcurſus diuinus, ſed hîc, ſufficienti poſita vocatione, adeſt in actu primo, ita vt in noſtra ſit poteſtate illum habere in actu ſecundo, quando libuerit. neque hic concurſus eſt aliquid præuium vires tribuens, ſed comitans in operis productione. Vt autem auxilium ſit verè ſufficiens, non ſufficit in ſuo ordine eſſe ſufficiens (vt iſte auctor velle videtur) nam etiam vires liberi arbitrij in ſuo ordine ſunt ſufficientes, tamen abſolutè non poſſunt vocari auxilium ſufficiens: quia per hæc homo non poteſt conuerti, aut bonum opus ad ſalutem pertinens operari, niſi aliud auxilium adſit (quod vocatio, & excitatio, & inſpiratio Spiritus ſancti appellatur) quo mẽs interiùs illuminetur, & voluntas inclinetur ad conuerſionem; per quod iam redditur immediatè potens vt ſe conuertat. Pari itaque modo, ſi præter hæc requiritur aliud auxilium præueniens, quo voluntas prædeterminetur, non poterunt hæc dici auxilium ſufficiens, cùm ſit impoſſibile per hæc ſola conuerti. *Solutio.* *Auxilium in ſuo ordine ſufficiens.*

3 Dices Secundò: *Quodlibet auxilium præueniens ſufficiens ad iuſtificationem in ſuo ordine conſiſtit. Itaque ſi homo benè vtatur eo, & ſubſequentibus, gratiam iuſtificantem attinget; ſi autem non benè vtatur, tamquam eo indignus, nullum ſubſequens conſequetur. neque hoc auxilij ſufficientiam tollit. Sicut cibus ad vita conſeruationem ſufficit; ſi quis autem non vult comedere, non per hoc cibus inſufficiens iudicabitur ſimiliter qui habet intellectum, intelligere poteſt; ſed ſi mentem ad intelligendum applicare nolit, non intelliget: & tamen ſine motione Dei, nec intelligere nec mentem applicare poteſt.* ita cap. 8. ad verbum. *Obiectio auctoris.*

Reſpondeo: Iam oſtenſum, vt quis dicatur habere auxilium ſufficiens ad iuſtificationem, non ſatis eſſe ſi ſit in ſuo ordine ſufficiens. quòd verò de bono vſu auxilij ſufficientis (verbi gratia, vocatione ad fidem) dicitur, rurſus vel ſe vel aliud placitum perimit. Si enim benè poſſum vti vocatione, abſque auxilio prædeterminante, iam facio bonum opus ſine Chriſto, iam me ipſum diſcerno, iam non erit opus motione primæ cauſæ, &c. quæ hîc ſæpè ingeminatur. Si verò non poſſum ea vti, niſi præueniat me noua motio, quæ ad hunc vſum me prædeterminet, iam nullo modo oſtenditur illud auxilium eſſe ſufficiens, ex eo quòd ſi illo benè vtar, dabitur auxilium determinans; cùm ipſum nõ ſit ſufficiens, vt eo benè vtar abſque nouo auxilio determinante. quorſum ergo dicitur: *Si benè vtaris auxilio ſufficienti,* *Reſpõdetur.* *De bono vſu auxilij ſufficientis.*

dabitur efficax,cùm ſine alio efficaci,quod in poteſtate mea non eſt, illo benè vti non poſſim? Exemplum de cibo à nobis facit: ſi enim à te mihi non ſolùm cibus, ſed etiam applicatio & ingeſtio in os expectanda eſt, eò quòd per me nullo modo applicare poſſim, ſanè non das auxilium ſufficiens offerendo cibum, niſi etiam illum ingeras. ſicut nutrix non ſufficienter infantem iuuat, ſi cibum ei apponat, niſi etiam in os ingerat. idem dicendum de intellectu, ſi illum applicare non valeo, ad aliquid intelligendum, ſine præuia motione Dei, non habeo auxilium ſufficiens ad intelligendum, niſi quando præuia illa motio adeſt.

II. Neminem poſſe benè operari, niſi qui benè operatur.

Secundum incommodum quod ex prædicta ſententia ſequi videtur, eſt: neminem poſſe conuerti, niſi qui re ipſa conuertitur; neminem poſſe benè operari, niſi qui benè operatur; neminem poſſe ſaluari, niſi qui re ipſa ſaluatur. Hoc ſequi probatur; quia nemo poteſt conuerti ſine auxilio per ſe efficaci; hoc enim (vt aiunt) eſt gratia Chriſti, de qua dicitur: *Sine me nihil poteſtis facere.* &, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle.* atqui hoc auxiliũ nemo habet, nec in poteſtate eius eſt habere, niſi qui re ipſa conuertitur. ergo nemo poteſt conuerti, niſi qui re ipſa conuertitur. Maior eſt ſatis nota, eſt enim error Pelagij dicere aliquem poſſe conuerti ſine gratia Chriſti, &c. ſolùm in minore probandum, neminem eorum qui non conuertuntur habere in ſua poteſtate vt hoc auxilium ſibi comparet. Quod ſic probari poteſt; conſtat enim neminem illud habere in ſua poteſtate immediatè (quo modo nos ponimus concurſum Dei in poteſtate hominis) quia eſt quiddam præueniens vſum noſtræ libertatis. Neque etiam eſt in noſtra poteſtate mediatè; ſicut in poteſtate noſtra eſt per auxilia minora impetrare maiora, bonas inſpirationes, & pias affectiones ad maiores actus: Primò, quia hoc auxilium non eſt præparatum hominibus ex præuiſione operum, ſed ex mero Dei beneplacito, idq; certis hominibus, pro certis temporibus & momentis. Vnde meis operibus non poſſum facere vt mihi detur: non enim dari poteſt niſi ex æterno decreto, ante omnem præuiſionem cauſarum ſecundarum ſancito. Secundò, quia non poſſum quidquã facere quo Deum alliciam ad illud mihi dandum, niſi etiam ad hoc tale auxilium mihi detur. verbi gratia, Si dicas, vt obtineam auxilium determinans ad conuerſionem, debere me benè vti auxilio ſufficiente (id eſt vocatione) reſpondebo non poſſe me benè vti hoc auxilio, niſi ad bonum vſum detur mihi motio efficax; hic enim bonus vſus eſt operatio ſupernaturalis. 4

Neminem eorum qui non conuertũtur habere illud auxiliũ in ſua poteſtate.

Tota ratio bonorũ operũ in diuinum decretum reſoluitur.

Dices,

5 Dices, Ora vt tibi hæc motio efficax ad bonum vſum detur. At nec orare poſſum niſi per motionem efficacem Deus me ad orandum moueat: quid ergo reſtat mihi faciendum vt impetrem auxilium ad orandum? ſi nihil reſtat: ergo ſiſtitur in mero beneplacito diuini decreti; nec quiſquam habet in ſua poteſtate impetrare auxilium ad conuerſionem determinans, niſi qui re ipſa conuertetur. huic enim ex decreto diuino vel ſtatim dabitur auxilium determinans ad conuerſionem, vel dabitur primò auxilium determinans ad orandum, vt per orationem impetretur auxilium ad bonum vſum vocationis, & per bonum vſum vocationis impetretur auxilium efficax conuerſionis. cui autem hoc auxilium efficax ad orandum non datur, hic non poterit impetrare auxilia ſequētia, cùm hoc omnium primum eſſe debeat: ſi verò datur, iam ſequentia omnino ſequentur; ac proinde etiam conuerſio.

Dices, Deus homini daret auxilium, niſi ipſe impediret peccando. itaque cùm homo poſſit non peccare, & cauere illud per quod Deus impeditur ab illo auxilio conferendo, in poteſtate hominis eſt illud habere. Sed contrà, Primò, ſi Deus ſtatuit illud dare omnibus, qui non ponunt impedimentum per peccatum, ergo non prædefiniuit illud in particulari ante præuiſionem operum ex mero ſuo beneplacito, vt iſtius ſententiæ auctores docent: ſed priùs conſiderat an homo ſit poſiturus impedimentum, an non; & quinam ſint illud facturi, qui minimè. Secundò, vel per ſolas naturæ vires poteſt homo cauere illud impedimentum; vel ad hoc, opus illi eſt gratia. Si per ſolas naturæ vires: ergo per ſolas naturæ vires poteſt conſequi non ſolùm inſpirationem aliquam remotam, ſed etiam gratiam determinantem ad opus pietatis, & ad conuerſionē, quod haud dubiè eſt erroneum. hic enim eſt error Maſſilienſium, vel etiam deterior. Sic enim homo viribus naturæ diſponeret ſe diſpoſitione illa negatiua (ſcilicet abſtinendo à peccato) ad iuſtificationis gratiam. nam hoc ipſo quo diſponit ſe ad motionem quæ determinat ad cōuerſionem, etiam ſe diſponit ad totum quod ex illa motione neceſſariò ſequitur, eique eſt connexum. Itaque cùm ex illa motione neceſſariò ſequatur contritio, & ex contritione iuſtificatio; neceſſariò ex illa diſpoſitione negatiua ſequetur iuſtificatio. Item, ſi viribus naturæ poteſt hoc impedimentum cauere; ergo poterit reſiſtere tentationibus ſine gratia Chriſti, &c. Si autem requiritur auxilium gratiæ vt hoc impedimentum caueat, iam redeunt rationes ſupradictæ. Vel enim poteſt iſta gratia vti ſine motione prædeterminante, & ita poterit aliquid boni

ſine gratia Chriſti, ſine motione primæ cauſæ, &c. vel ad vſum iſtius gratiæ requiritur motio prædeterminans; & ita fruſtrà dicitur quòd Deus paratus eſt dare homini hanc motionem, ſi ipſe impedimentum non poſuerit, cùm ſine illa motione facere non poſſit quin impedimentum ponat.

Ex quibus perſpicuum euadit quod ſecundo loco tamquam incommodum inferebamus, neminem habere in poteſtate vt auxilium obtineat efficax conuerſionis, niſi eum qui reipſa cõuertitur, vel conuertetur, & omnem hanc auxilij efficacis diſtributionem pendere ex nudo Dei beneplacito ante omnem præuiſionem cauſarum ſecundarum: nam etſi in aliqua ſerie actionum humanarum ſpectari poſſit aliqua ratio meriti, vel impetrationis reſpectu huius auxilij; tamen quia hæc tota ſeries actionum & auxiliorum efficacium eſt ex ſola diſpoſitione beneplaciti diuini, & omnes bonæ actiones ex motione prædeterminante pendent, omnia in nudum decretum diuinum, ante omnem præuiſionem ſancitum, referuntur.

Pari modo probari poteſt neminem poſſe benè operari, niſi qui benè operatur. nam illi ſoli habent illud auxilium per ſe efficax, quo determinentur ad benè operandum. qui autem non benè operantur, illud non habent, nec quidquam poſſunt facere, quo illud impetrent, vt iam oſtenſum eſt. Vnde vlteriùs ſequitur, neminem poſſe ſaluari, niſi qui reipſa ſalui fient. his enim ſolis donum perſeuerantiæ paratum eſt, quod conſtat ſerie auxiliorum efficacium vſque in finem. ceteris illud donum paratum non eſt, nec in eorum poteſtate eſt illud obtinere.

III. Non poſſe facere alia quàm facit.

Tertium incommodum eſt: Neminem poſſe plura bona opera facere, quàm reipſa facit, nec alia, nec alio tempore. Probatur, quia ſolùm ad hæc quę facit, & eo tempore quo facit, habet auxilium determinans; ad alia, vel alio tempore, non habet, nec eſt in eius poteſtate habere, vt antè probatum eſt. Confirmatur, quia hæc tantùm opera, & pro his temporibus & momentis ſunt ei prædeſtinata; ſimiliter hæ tantùm motiones determinantes, & non alia, nec pro aliis momentis ſunt ei præordinatæ; idque ante omnem præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum, vt ipſi tradunt. quomodo ergo dicetur poſſe alia, vel alio tempore, niſi ea proprietate verborum, qua dicuntur habere auxilium ſufficiens quibus id deeſt quod præcipuè eſt neceſſarium, & qua determinati ad conſenſum dicũtur poſſe diſſentire? nempe quia poterunt, quando illa determinatio aberit: & alia huiuſmodi, quæ mens capere non poteſt.

Quar-

7 Quartum eſt: Præcepta diuina eſſe impoſſibilia omnibus, qui ea non ſeruant. Probatur, quia nemo ex his habet auxilium neceſſarium ad ea ſeruanda. auxilium enim neceſſarium eſt præmotio diuina qua moueantur, & applicentur ad ea facienda. Seruare enim præcepta diuina, eſt opus bonum, quod nemo ſine huiuſmodi motione facere poteſt. atqui nec talem illi motionem habent, vt per ſe conſtat (alioqui illa infallibiliter ſeruarent) neque etiam eſt in illorum poteſtate habere, vt iam antè probatum eſt. quonam ergo ſenſu præcepta poſſunt illis dici poſſibilia, niſi (vt quidam aliquando dixerũt) quia Deus poteſt illis auxilium efficax dare? At hoc non facit vt præceptorum obſeruatio ſit in eorum poteſtate reipſa, ſed vt poſſit eſſe in eorum poteſtate, ſi Deus voluerit illis auxilium illud conferre. Hoc modo etiam hæretici huius temporis libenter fatebuntur præcepta Dei poſſibilia eſſe. *IV. Præcepta eſſe impoſſibilia.*

8 Quintum eſt: Hominem peccare etiam damnabiliter in eo quod vitare non poteſt; quæ ſententia à Pio V. & Gregorio XIII. damnata eſt. Hoc ſequi probatur: quia ſi vrgente præcepto diuino ad ſui obſeruationem illud non ſeruet, vel impellente tentatione conſentiat in malum, peccat damnabiliter; & tamen ſi tunc gratiam illam ex ſe efficacem, quæ illum determinet ad obſeruandum præceptum, & ad reſiſtendum tentationi, non habeat, nō poteſt vitare quin præceptum violet, & tentationi ſuccumbat. Quod confirmatur, Primò, quia impoſſibile eſt vt ſeruet præceptum, aut vt reſiſtat tentationi ſine auxilio determinante, cùm vtrumque ſit opus bonum. quare cùm auxilium tale non habeat, nec in poteſtate eius ſit tunc habere, vitare non poteſt, quin (vt diximus) præceptum omittat, & tentationi ſuccumbat. Confirm. Secũdò, quia niſi Deus determinet me ad præceptum ſeruandum, & ad tentationi reſiſtẽdum, infallibiliter deficiam & peccabo, adeò vt ex eo ſolo quòd Deus ſcit ſe non decreuiſſe volũtatem meam ad hæc determinare, certò præſciat me tali tempore & momento, tali peccato peccaturum, vt ipſi docent: quod ſanè (iuxta illos) certò ſcire nequit, niſi ego abſente illa determinatione, in hoc euentu deprehenſus ita ſim ad peccatum determinatus, vt illud vitare nequeam. Si enim vitare poſſem, iam non certò ex ſola denegatione auxilij determinantis ſciri poſſet me in hac periſtaſi rerum tali momento peccaturum. Addo omnes actus poſitiuos quibus tentationi conſentitur, & præcepta negatiua violantur, iam ab æterno fuiſſe prędeſtinatos vt fierent cum omnibus ſuis circumſtantiis: & ne fortè aliquo caſu omitterentur, fuiſſe etiam præordinatos impulſus, ſeu *V. Hominem peccare in eo quod vitare non poteſt.*

 motio-

motiones phyſicè prædeterminantes ad illos (vt ipſi tradunt) quomodo igitur vitari poſſunt? Quòd ſi illi poſitiui actus vitari non poſſunt, etiam peccatum & malitia moralis neceſſariò in iis reſultans, dum fiunt ab homine rationis compote, vitari nequit. Vel igitur homo in his non peccabit, vel peccabit in eo quod vitare nequiuit. Vnde vlteriùs colligitur iniquam & immeritam fore hominum damnationem, & Deum crudelem, qui hominem æternis addicat ſuppliciis, ob ea quæ vitare non potuit.

VI. Hominẽ deſeri priuſquam deſerat Deum.

Sextum eſt: Deum deſerere hominem iuſtum antequam deſeratur. Deſerit enim qui in tentatione & pugna hominem relinquit, auxilium neceſſarium non ſuppeditans, vt oſtenſum eſt c.7. n.4. 9

VII. Non eſſe liberum.

Septimum eſt: Hominem in ſua conuerſione, & actionibus pietatis, non eſſe liberum; ac proinde non verè mereri vitam æternam. Probatur: quia antequam ei detur motio efficax, non eſt in ipſius poteſtate eam habere (vt ſæpè oſtẽſum eſt) ac proinde nec opus bonum facere: vnde nullum inſtans dari poteſt, in quo ſit potens ad vtrumlibet; quod tamen ad rationem libertatis requiri ſuprà cap.5. demonſtrauimus. Confirmatur de conuerſione. quia homo non eſt liber reſpectu motionis præuenientis, vt ſit vel non, vt per ſe conſtat, & ſuprà demonſtratum eſt. Cùm enim libertatis vſum præueniat, impoſſibile eſt vt ab ea dependeat. atqui hæc motio efficax, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam (iuxta auctorem) ergo reſpectu vltimæ diſpoſitionis ad gratiam homo non eſt liber, nec eſt in eius poteſtate vt ſit vel non ſit; ac proinde nec reſpectu conuerſionis. nam hæc nihil eſt aliud quàm ipſa vltima diſpoſitio ad gratiæ infuſionem. Minor patet ex cap 7. *Auxilium*, ait, *efficax ſeu iuſtificans, eſt quadam motio actualis adultorum gratiam concomitans, qua mouente, non ſtat, quin liberum arbitrium conſentiat, & animam ad gratiæ introductionem diſponat. eſt enim vltima ad gratiam diſpoſitio, in genere cauſæ materialis prior, in genere cauſæ efficientis & finalis poſterior. atque ideò à ſanctis Auguſtino & Proſpero, gratia creatrix bonorum operum conuerſionis appellatur.* & cap.8. *In introductione autem gratiæ, ſimul efficax auxilium infundit, quod eſt vltima ad gratiam diſpoſitio.*

Ex his clarè patet vltimam diſpoſitionem ad gratiam non eſſe in noſtra poteſtate, ſecundùm hunc auctorem, cùm ſit auxilium efficax præueniens libertatem. Sed vt hoc obiter adnotetur, non facile 10

ἀσύστατον quadruplex.

fuerit explicare in hiſce paucis verbis non eſſe duplex vel triplex ἀσύστατον. Primum: Si gratia efficax eſt vltima ad gratiam diſpoſitio, quomodo ipſa mouet liberum arbitrium vt conſentiat, & animam ad

gra-

gratiæ introductionem diſponat: ſi ipſa eſt vltima diſpoſitio, quomodo mouet ad vltimam diſpoſitionem? Secundum: Si ipſa eſt gratia operans Auguſtino & Proſpero, quomodo eſt vltima diſpoſitio, cùm vltima diſpoſitio ſit opus liberi arbitrij? nam (vt ait) liberum arbitrium animam ad gratiæ introductionem diſponit. Tertium: Quomodo gratia efficax in genere cauſæ efficientis eſt poſterior gratia, cùm non procedat à gratia habituali, ſed diuinitus inſeratur, vt liberum arbitrium determinet ad conſenſum, vt ſe ad gratiam diſponat? Quartum addi poſſet: Quomodo poſſit eſſe vera diſpoſitio ad introductionem gratiæ, ſi ab ipſa gratia iam introducta in genere cauſæ efficientis pendet?

Vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem, non eſt à gratia habituali.

11 Fateor quidem fieri poſſe vt aliquid à forma introducta procedat, quod ſit diſpoſitio quædam ad illam formam in ſubiecto conſeruandam; ſed vt id quod eſt vera diſpoſitio & aptatio ſubiecti ad primam formæ introductionem, ab ipſa forma procedat, mihi apertam ἀντιλογίαν habet: niſi fortè forma priùs naturâ ſit præſens ſubiecto (vt ſibi cubile ſternat in quo ſtatim recubat) quàm illud informet. Quod ſi dicatur, iam non fiet dependenter à ſubiecto, ſed vt res per ſe ſubſiſtens, quod iſti auctores nolunt. Deniquè ipſe conſenſus liberi arbitrij quo aſſentitur Deo excitanti & vocanti, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificationis. vt apertè colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 4. & tradunt omnes Doctores (hic enim conſenſus eſt contritio continens dolorem peccatorum, & propoſitum nouæ vitæ, ad quæ excitat & vocat Deus) homo enim diuina gratia excitatus & corroboratus, ſeipſum debet diſponere per ſuos actus liberos ad iuſtitiam capeſſendam. Hic autem conſenſus non à gratia habituali, ſed à gratia præueniente procedit. Si enim à gratia habituali procedere deberet, non eſſet immediatè in poteſtate hominis per gratiam vocationis præparati. quia gratia habitualis non eſt immediatè in eius poteſtate, cùm à Deo infundi debeat. Deus autem illam non infundit niſi homo ſe diſponat. Si ergo non poteſt ſe diſponere vltima diſpoſitione niſi per gratiam habitualem illam eliciat, numquam ſe diſponet, quia numquam illam immediatè in ſua poteſtate habebit. Rurſus, ſi procedit à gratia habituali in ipſo inſtanti conuerſionis, vel procedit neceſſariò, vel liberè. Si neceſſariò, ergo non eſt actus liber: ſi liberè ita vt voluntas poſſit impedire, ergo fieri poterit, vt quis accipiat gratiam habitualem ſine vltima diſpoſitione. Omitto alia quæ de hoc dici poſſent.

12 Octauum eſt: Fruſtrà à Deo dari omnia alia auxilia præuenientia, ſi non

VIII. Fruſtrà fore reliqua auxilia, conſilia, præcepta.

ſi non ſtatuit addere illud auxilium per ſe efficax. Scit enim Deus hominem non poſſe illis vti ſine motione efficaci. Sic fruſtrà datæ eſſent vires naturales, niſi ſtatuiſſet ſimul dare ſuum concurſum; quia ſine eo illis vti non poſſumus. Denique fruſtrà erunt præcepta, fruſtrà conſilia, fruſtrà exhortationes & correptiones. nemo enim his benè vti poterit ſine auxilio efficaci, quod non eſt in eius poteſtate, vt ſuprà demonſtratum eſt. Dices, Faciat quod in ſe eſt, & Deus dabit illi gratiam efficacem. Sed quomodo poteſt facere quod in ſe eſt, niſi ad hoc per auxlium efficax applicetur, & moueatur? itaque hoc effugium hîc locum non habet: de quo ſatis multa ſuprà hoc capite, num. 3. 4. 5.

An requiratur ratione cauſæ primæ, an ratione debilitatis liberi arbitrij.

Non ratione cauſæ primæ.

Nonum: Iſtud auxilium prædeterminans vel requiritur ratione 13
cauſæ primæ, quæ (vt aiunt) priùs mouet & influit, quàm cauſa ſecunda; vel ratione debilitatis liberi arbitrij contractæ per peccatum originis; vel ratione vtriuſque. Si ratione primæ cauſæ: Primò, hoc auxilium neceſſarium erit non ſolùm ad actus bonos, ſed etiam ad malos ſecundùm ſuam entitatem conſideratos; & ita Deus propriè erit cauſa malorum operum ſicut bonorum; proditionis Iudæ, ſicut conuerſionis Pauli: & alia grauiſſima incommoda ſequentur, vt ſuprà c. 3. oſtenſum eſt. Secundò, Non rectè illud probant teſtimonijs Scripturæ & Patrum, quę loquuntur de auxilio neceſſario ratione infirmitatis per peccatum originis incurſæ. Huiuſmodi itaque teſtimonia nihil ad rem faciunt. Si verò requiritur ratione debilitatis ex peccato relictæ, falſum eſt illud auxilium fuiſſe neceſſarium Adamo in ſtatu innocentiæ, vel Angelis; quod planè eſt contra eorum ſententiam. nam volunt ad omne opus bonum requiri in quouis ſtatu, vt eorum argumenta probant. Deinde ineptè probaretur tale auxilium ex ratione dependentiæ à prima cauſa. Præthereà non erit opus vt volũtas per illud prædeterminetur; ſatis eſt vt corroboretur ad ſingula opera, ita tamen vt poſita illa corroboratione poſſit ſe flectere in vtramuis partem ſicut Adam. Si enim Adam poterat ſe flectere in vtramque partem, nec egebat gratia determinante (vt fatentur ij, qui ſolùm ratione debilitatis ex peccato originis contractę hanc gratiam requirunt) cur non etiam poſt lapſum poterit homo ita corroborari per gratiam, vt poſſit opus bonum facere vel omittere abſque determinatione? Debilitas enim illa facilè poteſt inſtaurari ad ſingula opera per gratiam ſufficientem, quæ non determinet. Alioquin ſi ita eſt proſtratum liberum arbitrium, vt nulla corroboratio ei ſatis ſit ad hoc, vt verè & propriè poſſit opus præſtare, niſi ita impellatur, vt ex vi

impul-

impulſus prædeterminetur, perſpicuum eſt non tam eſſe debilitatum, quàm penitus extinctum. Denique ſi ratione vtriuſque requirant tale auxilium (vt planè eorum argumenta cõuincunt) iam opus erit duabus prædeterminationibus reipſa diſtinctis, quarum altera detur ratione debilitatis humanæ (quę proinde Angelis, & primo homini in ſtatu innocentiæ non fuerit neceſſaria) altera ratione cauſalitatis primæ cauſæ, cuius eſt omnia mouere & applicare ad agendum, quæ Angelis & primo homini neceſſaria fuerit. Itaque in vniuerſum opus erũt ad ſingulos actus bonos in hominibus quatuor prędeterminationes; in Angelis tres, ad alios autem actus in hominibus, Angelis & dæmonibus tres, vt patet ex dictis cap. 5. in fine. *Non ratione vtriuſque.*

14 Decimum: Poſtremò, qui has prædeterminationes introducunt, valdè inconſtanter de eis loquũtur, ita vt intelligi nequeat, quid tandem ſint. Inter eos enim qui illas requirunt ratione debilitatis liberi arbitrij (cum quibus ante multos annos mihi cauſa cernenda) quidam dicunt gratiam prædeterminantem conſiſtere in productione & veluti creatione operis boni in nobis facta priùs naturâ, quam voluntas humana ad idem opus cooperetur. Deum enim per ſuam virtutem immediatè, non per aliquod donum impreſſum, creare & formare ipſum velle in nobis, præueniendo noſtrũ concurſum ad idem velle. Et huic ſententiæ maximè videntur fauere illæ Scripturæ: *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere. Creati in operibus bonis quæ Deus præparauit vt ambulemus in eis. Dabo vobis cor carneum.* & aliæ, quibus credere velle, ſperare, & cetera bona opera dicuntur dona Dei, dari, infundi à Deo. Hæc enim & ſimilia ſi propriiſſimè accipiantur, indicant Deum per ſe opera ipſa in nobis ſua præoperatione efficaci producere & formare. Verum ex hac ſententia apertè ſequi videtur, hominem non ſolùm non eſſe liberum in operibus bonis, ſed etiam ſe merè paſſiue habere, vt ſuprà cap. 4. n. 4. & cap. 3. n. 23. oſtenſum eſt. *Inconſtanter loquuntur.* *Qui ratione debilitatis eam introducunt.* *Non eſſe ipſam operis productionẽ.*

Alij verò conſtituunt gratiam hanc non in illa operatione, ſed in aliquo principio operatiuo voluntati impreſſo, quo ipſa determinetur ad eliciendum conſenſum. Huic ſententiæ maxime fauent illæ Scripturæ, quibus inſinuatur gratiam dare vires & robur ad conſenſum; vt: *Sine me nihil poteſtis facere. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo.* Denique ſecundùm hanc ſentẽtiam meliùs explicatur quo modo gratia *roboret, afficiat, & determinet voluntatem ad opus.* In altera ſententia non facile eſt

M intel-

intelligere, quomodo gratia *det vires*, aut *afficiat voluntatem*: nam operatio illa non propriè dat vires ad faciendum opus, cùm ſit ipſa operis productio. Verùm neque hæc ſententia commode defendi poteſt: quia ex ea ſequi videtur euerſio liberi arbitrij, & alia incommoda, quæ præcedentibus rationibus ſunt deducta.

Qui ratione primæ cauſæ eam requirunt.

Qui verò requirunt hanc gratiam ratione primæ cauſæ, etiam non 15
ſatis conſtanter de ea loquuntur. Aliquando enim videntur *eam ſolùm requirere ad conuerſionem*, vt idem ſit quod auxilium iuſtificans. ſic auctor cap. 7. Aliquando ad omnia & ſingula opera bona, vt idem cap. 10. 11. & paſſim toto opere. Interdum requirunt eam *ratione primæ cauſæ*. cap. 6. 17. 20. 26. & alibi. Interdum ratione debilitatis liberi arbitrij. vt cap. 7. 10. 11. 22. & alibi.

Rurſus aliquando dicunt hanc gratiam *præparare voluntatem ad conſenſum, ſanare, roborare, dare vires libero arbitrio, vt valeat ad opera pietatis conſurgere*. cap. 10. 11. 27. Aliquando verò inſinuant eſſe ipſam operationem diuinam, qua veluti creet in nobis opus bonum. cap. 27. Aliquando dicunt hanc gratiam eſſe *vltimam diſpoſitionem ad iuſtificationem*. Aliquando verò *eam mouere liberum arbitrium vt ſe diſponat ad iuſtificationem* Aliquando hãc gratiam eſſe eam quam Auguſtinus vocat *operantem*, & quam idem Auguſtinus cum Proſpero vocat *creatricem bonorum operum conuerſionis*; vt conſtat ex cap. 7. Præterea aliquando dicunt hanc gratiam tibi datum iri, *ſi benè vſus fueris auxilio ſufficienti*. Alibi verò docent neminem ſine hac gratia quidquam poſſe. Item, *eam non eſſe præparatam ex præuiſione operum, ſed ex ſolo Dei beneplacito*, &c. Denique non ſolùm videntur requirere, vt gratia efficax inſit voluntati, eamque corroboret, *ſed etiam vt eam moueat ad opus non formaliter, ſed effectiuè*, nempe motione quadam, quæ ſit diſtincta ab ipſa gratia, & à bono opere. Quòd non loquantur de motione formali, qua gratia per ſeipſam mouet (cùm ipſa ſit motio diuinitus immiſſa) inde colligitur, quòd vbique obiiciant, auxilium non prędeterminans non mouere voluntatem, cùm tamen formaliter moueat. Ponunt ergo motionem effectiuam diſtinctam à gratia & opere: quod ampliùs oſtendetur cap. 12. nu. 7. Itaque hæc erit quinta prædeterminatio.

Ex his facile eſt intelligere quid de illis prædefinitionibus abſolutis, & rigidis prædeterminationibus, ſit ſentiendum. quare valere eas iubebimus, τερετίσματα γάρ ἐστι (ſicut Ariſtoteles quodam loco de ideis dixit) quantum ex dictis apparet.

CAPVT X.

De errore Gallorum; & faciente quod in ſe eſt: & reſponſio ad argumenta quædam contra gratiam non determinantem.

1 VT auctor meliùs ſuam ſententiam de gratia determinante ſtatuat, & contrariam oppugnet, ante omnia nititur oſtendere defenſores contrariæ ſententię, & in primis Ludouicum Molinam (quẽ potiſſimùm oppugnandum ſuſcepit) incidere in errorem Gallorum, ſeu Maſſilienſium clericorum, qui docuerunt noſtram voluntatem debere præuenire, vt gratia opem ferat; vnde & Reliquiæ Pelagianorum vocati ſunt. Et quoniam id valdè confusè probat, redigam argumenta in ordinem & formam iiſdem planè verbis.

Primùm igitur id probatur: *Quia tenent*, inquit, *nullum dari auxilium gratiæ efficax, quod ex modo motionis diuinæ, atque adeò ex Deo habeat efficaciam*. Vnde ſequitur habere efficaciam à libero arbitrio, & conſequenter liberum arbitrium præcedere. Secundò: *Quia dicunt diuiſionem auxilij in efficax & inefficax, ab effectu deſumi, non ab auxilij natura & conditione; qui effectus ab arbitrij libertate dependet. Illud enim efficax dicitur, quo arbitrium pro ſua libertate conuertitur: illud verò inefficax appellatur, cum quo arbitrium pro eadem ſua libertate non conuertitur, cùm tamen potuerit conuerti. Itaque docent in noſtra ſitum eſſe libera poteſtate auxilia efficacia reddere & inefficacia.* Tertiò: *Quia aſſeuerant quòd cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus vnus iuſtificatur & ſaluatur, alius pro ſua libertate eiſdem nec iuſtificatur nec ſaluatur. Nec dubitandum eſſe multos torqueri apud inferos, qui multò maioribus auxiliis ad ſalutem à Deo donati fuerunt, quàm multi qui in cælo diuino conſpectu fruuntur: ſed quòd illi cum maioribus auxiliis prædeſtinati ac ſalui non fuerint; hi verò cum minoribus prædeſtinati & ſalui fuerint, non aliunde fuiſſe, niſi quia illi pro innata libertate noluerunt ita vti ſuo arbitrio, vt ſalutem conſequerentur; hi verò maximè.* Quartò: *Quia concurſus Dei generalis* (ipſorum ſententiâ) *non eſt influxus Dei in cauſam ſecundam, quaſi illa priùs à Deo mota agat & producat effectum: ſed eſt influxus immediatè cum cauſa ſecunda in illius actionem & effectum. Totus igitur effectus & à Deo eſt, & à cauſa ſecunda; ſed neque à Deo, neque à cauſa ſecunda, vt à tota cauſa: ſed vt à parte cauſæ, non ſecùs ac cùm duo trahunt nauem.* Quintò: *Quia* (illorum ſententiâ) *gratia & liberum arbitrium concur-*

runt partialiter ad effectum: itaque non eſt effectus à gratia vt à tota cauſa, ſimiliter nec à libero arbitrio, ſed ſecundum partes ab vnoquoque. in hoc autem concurſu cauſarum partialium in effectum neutra alteram mouet, ſed tamen voluntas priùs naturâ operatur quàm gratia. niſi enim voluntas incipiat operari, gratia non operabitur: ergo liberum arbitrium præuenit gratiam in operando.

Hæc ſunt argumenta, quibus cap. 9. & initio decimi, tamquam ex propriis verbis Molinę, vult probare ſententiam ipſius, & aliorum gratiam determinātem reiicientium, incidere in errorem Gallorum, & voluntatis operationem conſtituere ante gratiam. Vnde vlteriùs infert initium ſalutis eſſe ex nobis, & gratiam eſſe pediſſequam; quæ poſteà toto opere ſæpè repetuntur, & tamquã confeſſa, vel euidenter deducta fusè refutantur. Itaque hæc paulo diligentiùs ſunt excutienda, ne poſteà eadem ſæpius repetere cogamur. Explicandum igitur eſt quis fuerit Gallorum error: quid ſit initium ſalutis eſſe ex nobis; & quid gratiam eſſe pediſſequam.

Error Gallorum quis fuerit.

Gallorum ſeu Maſſilienſium error erat, quantum ad præſens negotium pertinet: Primò, gratiam Dei præuenientem merita hominum conſtitutam eſſe in natura liberi & rationalis arbitrij, nõ ex meritis, ſed gratis à Deo donati. Secundò, hominem ſolis naturæ viribus poſſe velle credere vt oportet ad ſalutem, & velle ſanari, & velle iuſtificari, & per illud deſiderium petendo & pulſando impetrare & promereri donum fidei & gratiam iuſtificationis à Deo. Colligitur ex Epiſtola Proſperi & Hilarij ad D. Auguſtinum. D. Proſper ſic ait: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur (ne ſi meritis redditur, fruſtrà gratia nominetur) ad conditionem hanc velint vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem (quia nec exiſtentem) liberi arbitrij & rationalis, gratia Creatoris inſtituat; vt per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius poſſit ſuam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, peruenire; per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando, vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introëat, quia bono naturæ benè vſus eſt, & ad iſtam ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Et infrà: *Ac ſic cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volũt obedientiam eſſe quàm gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare*

Liberum arbitrium gratis à Conditore datum eſſe primam gratiam.

Per hãc poſſe nos petere, quærere, pulſare, & gratiam iuſtificationis, & eam qua perficiamus, promereri.

ſtare qui ſaluat; & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem. Loquitur autem de voluntate, qua quis vult iuſtè viuere, & ſeruare diuina mandata, & de gratia iuſtificationis. Hilarius; *Conſentiunt*, inquit, *omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde quemquam poſſe proprio arbitrio liberari: ſed id conueniens aſſerunt veritati, vt, cùm proſtratis & numquam ſuis viribus ſurrecturis annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio, eo merito quo voluerint & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum.* Id eſt, vt volendo credere, & credendo (ſcilicet per vires naturæ) mereantur ſibi dari augmentum fidei: & volendo ſanari ſeu iuſtificari, mereantur à Deo iuſtificari. Idem apertè colligitur ex Caſſiano collatione 13. cap. 9. & ſequentibus. Nam cap. 9 multis exemplis oſtendit quomodo aliquando liberum arbitrium præueniat gratiam, & aliquando gratia præueniat liberum arbitrium. Tandem addit: *Vt autem euidentiùs clareat etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen niſi à Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum peruenire non poſſunt, Apoſtolus teſtis eſt, dicens: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenire.* Hìc volũtatem ſeu propoſitum ſeruandi omnia mandata ſicut oportet ad ſalutem, tribuit libero arbitrio. quod manifeſtè patet ex capite ſequenti; vbi ponit exempla de omnibus virtutum operibus, etiam de fide in Chriſtum, & perſeuerantia in bono; & dicit nos omnia iſta liberi arbitrij viribus poſſe velle, ſed illud velle eſſe infirmum ad perficiendum opere, niſi gratia ſubuenerit. poſſe tamen nos per illud deſiderium gratiam impetrare ad perficiendum. Rurſus cap. 11. cùm oſtendiſſet aliquando gratiam, aliquando liberum arbitrium præuenire, inter cetera ait: *Nam cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat. Ad vocem enim clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi: Et inuoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & glorificabis me.* Idem proſequitur cap. 12. vbi concludit in hanc ſententiam: *Dubitari ergo non poteſt, ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio Creatoris inſerta; ſed niſi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire: quia ſecundùm beatum Apoſtolum, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Semina virtutum* vocat bonas cogitationes, & bonas voluntates circa omne genus virtutum. hæc dicit inſerta beneficio Creatoris: quia eliciuntur viribus liberi arbi-

Voluntatem hominis ad omne bonum debere præcedere & inchoare, gratiam ſubſequi ad perficiendum.

Volendo credere & ſanari, mereri augmentũ fidei, & iuſtificationem.

 arbi-

arbitrij per creationem donatis. Addit: *Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille qui paſtoris dicitur, apertiſsimè docet.* Vbi circa quoduis bonum putat liberum arbitrium habere ex ſe ſufficientes vires ad illud eligendum. Idem proſequitur cap. 15.

Ex quibus (vt alia multa omittam) conſtat Gallorum ſeu Semipelagianorum (inter quos Caſſianus putatur fuiſſe ferè præcipuus) ſententiam fuiſſe, liberum arbitrium ſolis ſuis viribus in creatione acceptis poſſe quoduis opus bonum inchoare, illud volendo & deſiderando exequi; & per hoc deſiderium impetrare gratiam ad perficiendum. Vnde ſentiebant illud deſiderium viribus naturæ conceptum valere ad impetrandum gratiæ auxilium per modum meriti, ſaltem ex congruo: ſicut oratio ex fide profecta (iuxta ſententiam Auguſtini) valet ad gratiam impetrandam, eamque meretur ex congruo. Colligitur hoc tum ex verbis Proſperi ſuprà citatis; tum ex canone 6. Concilij Arauſicani; tum ex Caſſiano ſuprà cap. 13. Dicebantur autem iſti non Pelagiani, ſed Semipelagiani; quia cùm Pelagius neque ad inchoandum, neque ad perficiendum opus bonum gratiam requireret: illi prius amplectebantur, poſterius reiiciebant tamquam errorem; & ita ſolùm ex dimidia parte cum illo in quæſtione de neceſſitate gratiæ ad opera bona, conſentiebant.

Ex quibus etiam liquet quomodo Semipelagiani poſuerint initium ſalutis eſſe ex nobis, & quomodo gratiam fecerint pediſſequam, & eam ſubiecerint obedientiæ humanæ; quid ve his loquendi formulis à Patribus, quando contra iſtos diſputant, ſignificetur huius enim rei ignoratio facit vt doctrina Catholica putetur à quibuſdam error Maſſilienſium. *Initium enim ſalutis* apud Patres dicitur interdum fides; quia hæc eſt *fundamentum, & initium totius iuſtificationis*, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. Interdum ipſe affectus & deſiderium ſalutis, per quod gratiam qua ſaluemur, impetramus; vt patet ex verbis D. Proſperi ſuprà allatis. Itaque *initium ſalutis eſſe ex nobis*, eſt poſſe nos mereri donum fidei, vel etiam conſequi ipſam fidem, credendo ſine auxilio gratiæ Dei: vel poſſe concipere ſerium ſalutis deſiderium, quo gratiam iuſtificationis impetremus.

Initium ſalutis eſſe ex nobis quid ſit.

Initium autem *fidei eſſe ex nobis*, eſt poſſe abſque auxilio gratiæ habere ipſum credulitatis affectum, qualis neceſſarius eſt ad credēdum ſicut oportet (hic enim affectus eſt initium fidei, vt in Concil. Arauſicano can. 5. dicitur) vel ſaltem talem affectum erga fidem, per quem poſſimus donum fidei impetrare. Affectus autem quiuis, qui

non

non valet ad promerendum donum fidei, aut gratiam iuſtificationis, non dicitur vllo modo ſalutis aut fidei initium, etiamſi forte ſit occaſio credendi: v. g. voluntas audiendi prædicationes Euangelij; vel etiam credendi fide aliqua humana, aut expendendi aliquantulùm res fidei; & ſimilia, quæ ſolis naturæ viribus fieri poſſunt.

Gratiam eſſe pediſſequam (vt colligitur ex verbis D. Proſperi) non eſt liberum arbitrium priùs, gratiam poſteriùs naturâ influere in opus ſupernaturale, vt auctor imaginatur; ſed eſt, liberum arbitrium priùs quam vllum gratiæ auxilium acceperit, per ſuas vires poſſe facere opus bonum, aut ſaltem habere bonum propoſitum, per quod donum fidei vel gratiam iuſtificationis mereatur. Itaque vt gratia dicatur pediſſequa, requiritur vt liberum arbitrium ſuis viribus faciat aut velit aliquid ſine gratiæ auxilio, cuius volitionis vel operis merito gratiam obtineat, quâ vel credere poſſit vel iuſtificari. De hac enim gratia loquuntur Patres. Denique *humanæ obedientiæ ſubiungere gratiæ adiutorium*, non eſt gratiæ vſum & influxum in opus eſſe ſubiectum libertati arbitrij, vt auctor iſtius tractatus paſſim videtur ſupponere (hoc enim ſecundùm doctrinam Concilij Trid. videtur negari nō poſſe) ſed eſt mereri & impetrare auxilium gratiæ per obedientiam ſolis naturæ viribus præſtitam: ita vt prius reipſa ſit obedire, vel proponere obedire Deo, quàm habere auxilium gratiæ. Econtrariò gratia dicitur ſibi ſubijcere humanam libertatem, non quia voluntatem impulſu aliquo phyſico ad opus prædeterminat, ita vt ſtante illo impulſu non poſſit voluntas reſiſtere; ſed eſt gratiam præuenire noſtram voluntatem, & illam excitare ac inclinare in bonum, antequam nos de eo cogitemus, & perducere vt illud amplectatur, quod ipſa propoſuit.

Quid gratiā eſſe pediſſequam.

3 His expoſitis patet, Primò, ad errorem Gallorum non pertinere ſententiam illam Molinæ quam habet in Concord. q 14. art. 13. diſput. 10. *Quoties liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur quantum poteſt circa res fidei addiſcendas & amplectendas, vel circa dolorem de peccatis, ac iuſtificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, ſeu auxilium quo id faciat vt oportet ad ſalutem.* Quia Gallorum error erat, hominem audita prædicatione, ſolis naturæ viribus poſſe velle credere vt oportet ad donum fidei promerendum: & habita fide poſſe ſolis naturæ viribus dolere de peccatis, & proponere obedire Deo eo modo quo ſufficit, vt gratiam iuſtificationis obtineat. A quo errore tantùm abeſt Molina, vt ei anathema dicat, vt patet diſput. 6. vbi etiam docet opus illud ſolis naturę viribus factum

Sententiam illā, Facienti quod in ſe eſt, non pertinere ad errorē Gallorum.

nullo

nullo modo promereri gratiam diuinam; imò nec eſſe quidem diſpoſitionem remotam ad illam. ſed quia Deus ob Chriſti merita paratiſſimus eſt in omnes ſuam miſericordiam effundere, maximè illum decet, vt id in primis in eos faciat, qui ei impedimenta non obijciũt, & viribus naturæ rectè vti conantur. Si enim ſæpiſſimè illos ſanctis inſpirationibus præuenit, qui in omne flagitiorum genus ſeſe ingurgitant, & auditam ſalutarem prædicationem contemnunt; quanto magis præueniet eos, quos viderit à flagitijs abſtinere, & ſecundum dictamen rationis viuere velle, & prædicationem Euangelicam perpendere, vt poſſint ad fidem & iuſtitiam peruenire?

Quomodo lib. arbitriũ poſſit conari circa obiecta ſupernaturalia.

Dices, Liberum arbitrium circa ſupernaturalia nihil poſſe conari, 4
niſi antè diuinitus per ſanctam inſpirationem præuentum fuerit. Reſpondeo, non poſſe quidem conari eo modo ſicut oportet (id eſt, conatu & actu tam perfecto & ſancto) vt gratia iuſtificationis ei conferatur; vt rectè definit Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 3 aut etiam vt fides ei infundatur: nihil tamen vetat, quin poſſit conari actu imperfecto, & inſufficienti. Si enim homines, auditis hæreſibus abſurdiſſimis exigua vel nulla probabilitate ſubnixis, poſſunt velle eas perpendere, examinare & credere ſolis naturæ viribus; cur audita prædicatione Euangelica ſumma probabilitate per omnes fidei notas propoſita, non poſſunt decernere apud ſe illam perpendere, & vbi perpenderint, fide quadam humana credere? Sanè nulla ratio dari poteſt. Si enim poteſt mens humana credere pernicioſa, nullam pænè veri ſpeciem habentia, vt ſunt Mahometi, Talmudiſtarum, & multorum hæreticorum portentoſa dogmata: cur non poteſt credere ſalutaria ſummè probabilia? Niſi fortè ita mala ſit, vt nihil poſſit, in nihil propendeat niſi in malum. Rurſus ſi propoſita per Alcoranum falſa beatitudine in rebus infimis cõſtituta, poſſunt illam optare & à Deo petere; cur etiam propoſita vera beatitudine, quæ in clara viſione Dei, in poſſeſſione & fruitione diuinorum bonorum, in conſortio Angelorum, in manſione cæleſti, &c conſiſtit, non poſſent optare & concipere ingens deſiderium tanti boni, & petere à Deo ad illud perduci? Non enim quia bonum aliquod ſupernaturale eſt, ideò viribus naturæ appeti nequit: imò eo faciliùs & ardẽtiùs appetitur, ſi putetur aliqua ratione poſſe obtineri. quia quò ſupernaturalius, eò eſt excellentius: quò autẽ excellentius eſt, eò magis aptum eſt allicere ad ſe voluntatem. Sed quia bonum ſupernaturale eſt, ideò ſolis naturæ viribus appeti nequit, eo modo quo tantum bonum appeti & amari par eſt. Et quia aliqua veritas diuina reuelatione patefacta eſt; ideò

Myſteria fidei humana fide propter diuinam auctoritatem credi poſſe; vt patet in Anabaptiſtis, qui numquam veram fidem habuerunt.

Bona ſupernaturalia deſiderio naturali poſſe optari.

ideò ſolis naturæ viribus credi nequit ea firmitate, qua credi Deo dignum eſt. Non quòd actus noſtri vel firmitate credendi, vel æſtimatione amandi, debeant aut poſſint obiectis eſſe abſolutè commenſi; ſed quia par eſt, vt illis reſpondeant, quantùm humana conditio diuinitus adiuta patitur. Non enim homo congruenter ad diuina adſpirat, niſi ſupra conditionem naturæ per ſuos actus eleuetur.

Actus non ſunt cômenſi obiectis.

Ex his patet liberi arbitrij vires poſſe aliquid conari (id eſt, actum aliquem elicere) circa obiecta ſupernaturalia, licet omnino inſufficientem. Si quis ergo dicat, Deum ſe huic conatui inſerere, & inſpirare auxilium præueniens quo poſſit perfectiùs conari, quam per vires naturæ antè conabatur; non video cur aliquam cenſuram mereatur. Si enim hoc ſæpiſſimè facit in non conantes, imò in reſiſtentes, & omnia contraria meditantes; cur non maximè in conantes, cùm in his non ſolùm non inueniat repugnantiam, ſed etiam quamdam ad gratiam ſubordinationem, etſi non diſpoſitionem? Natura enim nuda eſt quiddam ſubordinatum gratiæ, & conatus naturales honeſti diuinis inſpirationibus.

5 Accedit quòd hanc ſententiam teneant ferè omnes D D. Scholaſtici. D. Tho. de veritate, q. 14. art. 11. ad 1. *Si aliquis nutritus in ſiluis ductũ naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali; certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Neque vſquam poſtea contrarium docuit. imò lib. 3 cont. gent. c. 159. ſcribit his valdè conſentanea. Guilielmus Altiſiodorenſis lib. 3. ſummę, tract. 2. qu. 5. vbi quærit, vtrùm hæc argumentatio ſit neceſſaria: *Iſte facit quidquid in ſe eſt; ergo Deus dat ei gratiam.* & reſpondet affirmatiuè, & in fine concludit: *Quòd licet det ſæpè gratiam ÿs qui nõ faciunt quod in ipſis eſt; tamen ei qui facit quidquid in ſe eſt, ſemper dat gratiam, aliter non reciperet confugientes ad ſe.* Alexander Hal. p. 3. q. 69. m. 5. a 3. *Concedendum igitur quòd ſi homo faciat quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam, etiam neceſſariò, id eſt, immutabiliter*; nempe quia ſic ab æterno ſtatuit. Et infrà explicat quid ſit facere quod in ſe eſt; & apertè docet ſe loqui de homine per ſolas naturæ vires operante: *Videndum*, inquit, *quid eſt facere quod in ſe eſt. Notandum quòd in quolibet homine per naturam eſt recta ratio; & hæc rectitudo, boni eſt notio indita à creatione, quâ qualibet anima poteſt cognoſcere ſuũ principiũ, ſcilicet Deũ, &c. Per hoc enim quòd quilibet homo naturaliter ſcit ſe non ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe; & ita ſcit ſe habere principium, & ſcit quòd ab illo*

Probatur ex D D. Scholaſticis.

principio habet quidquid habet, & totum bonum quod habet, & non à ſe: & ſcit quod ab illo debet petere bonum, & per illum debent ſuppleri omnes defectus. Si ergo ſecundùm iſtam notionem operetur homo ſuo arbitrio, recurrendo ad illum quem ſcit ſuum eſſe principium, & quem ſcit eſſe orandum ſibi, & petat ab illo lumen cognitionis fidei & boni, dabitur ei. Albertus in 2. diſt. 28. art. 1. ad 4. *In nobis eſt aliquid facere, quo facto habeamus poteſtatem ex gratia. Hoc autem eſt facere quod in nobis eſt: quia ſi hoc fecerimus, Deus ineuitabiliter dat gratiam* (intellige ex ſuppoſitione ſui decreti) *quia ipſe vno modo ſemper ſe habet ad nos, ſcilicet gratiam porrigendo; ſed nos non vno modo habemus nos ad eum quando auertimur. ſed ſi conuertimur faciendo quod in nobis eſt, ſtatim accipimus.* hoc intellige de gratia diuinę inſpirationis. Richardus in 2. diſt. 28. art. 1. quæſt. 2. *Reſpondeo*, inquit, *quòd diſpoſitio ad gratiam gratum facientem duplex eſt, quædam remota & indirecta, quædam propinqua & directa. Loquendo de remota diſpoſitione, liberum arbitrium per ſua naturalia cum ſola generali motione primi mouentis (quam ſupponit quælibet actio creaturæ) poteſt ſe ad gratiam gratum facientem diſponere. quia hoc modo, qui libero arbitrio ſuo rectè vtitur quantùm poteſt, diſponit ſe ad gratiam gratum facientem.*

Diſpoſitio remota. Vbi Richardus admittit tale opus etiam poſſe dici diſpoſitionem remotam & indirectam; quod tamen non concedit Molina. Idem tenent Gabriel, Scotus, Durandus, Caietanus (etſi hi excedant modum, dum putant hominem viribus naturæ ſe poſſe proximè ad gratiam diſponere) & ceteri (quod ſciam) præter Gregorium Ariminenſem, qui putat viribus naturæ non poſſe fieri vllum opus moraliter bonum ſecundùm omnes circumſtantias; quod damnatum eſt à Pio V. & Gregorio XIII. In eadem ſententia ſunt plerique recentiores, Sotus in 4. d. 1. qu. 2. a. 3 *Seruanti ius naturæ, Deus ſingulari auxilio affulſiſſet.* Andreas Vega lib. 13. in Concil. Trident. cap. 12. *Vel hoc argumento*, inquit, *poſſemus conuincere quemlibet viatorem poſſe ſecundùm legem communem conuerti: quia nullus eſt ex viatoribus, qui non poſſit benè vti naturalibus. Ei autem qui hoc fecerit, Deus, qui nemini deeſt facienti quod in ſe eſt, auxilium ſine dubio præſtabit ſufficiens ad obtinenda bona ſupernaturalia.* Gerſon p. 1. alphab. 24. in reg. moral. littera m. *Nulli facienti quod in ſe eſt (hoc eſt benè vtenti donis Dei iam habitis) deeſt Deus in neceſſariis ad ſalutem, ſiue illa ſint credenda, ſiue operanda.* Per *dona Dei* intelligit omnia quæ homini præſtò ſunt tam naturalia quàm ſupernaturalia, ſicut reliqui Nominales. Driedo de concord. lib. arbitrij pag. 51. dicit

Id

Id piè credi, nec perniciosè in eo errari. Ruardus art 7. pagina 348. *Quòd tamen Deus adeſt, etiam facienti quod in ſe eſt ex puris naturalibus, ad illuſtrationem & inſtinctus diuinos, ad quos* (donandos) *ex immenſa erga peccatores charitate inuitatur, non autem ex vllo merito, vel dignitate, piè creditur. Sed quòd ſemper & quaſi ex infallibili ordinatione eis adſit, vt neceſſaria ſalutis largiatur, ex Scripturis non certò conſtare poteſt: piè tamen hoc confidimus, ne de aliquo deſperetur.*

6 Quod verò Molina de conatu liberi arbitrij circa dolorem peccatorum & iuſtificationem dicit, minus difficultatis habet. loquitur enim de eo qui iam fidem habet; vt patet diſp 14. Etſi enim infidelis conaretur circa dolorem peccatorum, non ideò Deus daret illi auxilium, quo poſſet dolere ſicut oportet ad iuſtificationē, antequam habeat fidem: ſed primùm inſpirabit ei opportuna ad fidem, vt quęrat medicum per quem poſſit liberari & ſaluari. Is autem qui iam fidem habet (cui ſpes coniuncta ſit) aliquid conari poteſt circa iuſtificationem viribus liberi arbitrij ſic inſtructis, abſque alia inſpiratione; quod ſi fecerit, Deus illi ſuo auxilio præueniente aderit, vt poſſit dolere ſicut oportet. Nam per fidem cetera ad iuſtitiam neceſſaria impetrare poſſumus, iuxta D. Auguſtinum epiſt. 105. vbi dicit *remiſſionem peccatorum non eſſe ſine meritis fidei; quia fides eam impetrat.* Idem docet lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 2. Vbi aduerte tantùm abeſſe vt Molina nimium liberi arbitrij viribus abſque gratia præueniente tribuat, vt non concedat fidelem qui eſt in peccato mortifero poſſe per habitum fidei & ſpei ſe diſponere ſicut oportet ad iuſtificationem abſque alia Spiritus ſancti præueniente inſpiratione; vt patet diſput. 14. m. 5. cùm tamen non improbabiliter id à quibuſdam defendatur. hac fundamentali ratione: Quia poteſt, inquiunt, fidelis lapſus in aliquod peccatum (præſertim ſi anteà ſanctè vixit, nulliſque prauis habitibus ſubiacet) per fidem conſiderare ſe eſſe in periculo damnationis, & gratia Dei ſe poſſe iuſtificari, vt apertè tradit Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & per hanc conſiderationem poteſt concipere timorem diuinæ iuſtitiæ, & ſpem veniæ, vt idem Cōcilium iudicat, maximè cùm virtute ſpei ſit prædítus. Cur nō etiam ex vi horum actuum poſſit concipere dolorem peccatorum, & propoſitum emendationis? Eiuſdem enim virtutis eſt amare & ſperare ſalutem, & odiſſe id quod ſaluti eſt contrarium, deque eo commiſſo dolere, & velle illud à ſe depellere. atqui virtus ſpei eſt quæ ſalutē amat & ſperat; ergo etiam per illam poſſumus dolere de peccato, & proponere illud extinguere. Poſſumus enim vti habitibus etiam ſupernaturalibus, ſi volumus, &

De conatu circa dolorē peccatorum.

Sententia quorumdam non improbabilis de conuerſione peccatoris fidelis.

prout volumus (vt D. Thomas 1.2. qu. 56.a.3.& ibidem Caietanus cum tota Philoſophorum & Theologorum ſchola docet) & quæuis virtus alia eſt ſufficiens ad ſuos actus, præſertim nō heroicos, & communem modum operandi non excedentes, quales ſunt ſupradicti. Neque obſtat, inquiunt, decretum Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quia co-

Expoſitio canon. Concilij.

gitatio illa ſalutaris fidei, & motus virtutis ſpei, non ſunt ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, qui donum fidei & ſpei nobis infundit, & per illa nos mouet, & ad iuſtitiam diſponit, dum illis vtimur. ſunt enim veluti ſemen quoddam Spiritus ſancti animo inſitum, vt ex eo creſcat opus iuſtitiæ, per quod ſemen ipſe in nobis operatur ſalutares illos motus. Itaque non poſſe nos pœnitere ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, quæ vel iam ſit actu, vel fuerit actu, & manſerit virtute exiſtens adhuc in ſuo effectu, veluti in ſemine efficaci. Sic à Patribus dici, gratiam ad ſingulos actus dari: non quòd noua ad ſingulos dari debeat; ſed quia nullus actus fieri poſſit ſine gratia, vel quæ tunc detur, vel antè data fuerit, & habitu manſerit. Hanc eſſe mentem Concilij colligunt partim ex cap. 6. eiuſdem ſeſſ. partim ex can. 6. Concilij Arauſicani, cui hic canon 3. reſpondet. non enim intendit Concilium aliud damnare quàm errorem Pelagianorum, & reliquiarum Pelagij. Neque vllo modo probabile eſſe Concilium velle damnare quod plerique Scholaſticorum docent; aut definire quod minimè erat neceſſarium, & de quo in Eccleſia non fuerat controuerſia. Quis enim vmquam negandum cenſuit hominem per fidem & virtutem ſpei non poſſe in ſe excitare propter amiſſionem regni cæleſtis & periculum damnationis eum dolorem de peccato commiſſo, qui cum ſacramento Pœnitentiæ ſufficiat ad iuſtificationem? Omitto alia quæ ipſi pro hac ſententia ex Patribus adferunt. Hæc ideò adduxerim, non quòd ea per omnia probem, ſed vt oſtendam quantùm illa Molinæ ſententia ab omni abſit Pelagianiſmo: & non ſtatim à nobis eſſe damnandum, ſi quid præceptis noſtris opinationibus non congruat, præſertim ſi id aliis & quidem preclaris Theologis placet.

Sententia illa, quòd lib. arbitriū priùs influat, an pertineat ad errorem Gallorum?

Sequitur Secundò, ad errorem Gallorum multo minùs pertinere 7
ſi dicas (quod auctor Molinæ tribuit) liberum arbitrium per gratiam præuenientem excitatum & corroboratum priùs naturâ influere in opus quàm gratia influat, eodem tamen inſtanti temporis influere gra-

gratiam. Numquam fuit controuerſia in Eccleſia, vtrùm liberum arbitrium priùs naturâ influat in opus, quàm gratia, an ſimul. Sufficit ad fidei doctrinam confiteri, Primò, gratiam debere præuenire liberum arbitrium, vt illud excitet & corroboret; & liberũ arbitrium nihil poſſe in opus bonum niſi ſic præuentum. Deinde, gratiam non cauſare ipſum opus realiter producendo, niſi dependenter à libero arbitrio, ita vt poſſit gratiæ influxum in opus impedire. Tertiò, opus ante influxum gratiæ non eſſe meritorium. His poſitis, perinde eſt ad doctrinam fidei, vtrùm dicas liberum arbitrium priùs naturâ influere in opus, quàm gratia præueniens influat; an ſimul naturâ. Eſt enim hæc ſcholæ diſputatio. pertinens ad profundiores & difficiliores partes occurrentium quæſtionum, quas (vt Cęleſtinus epiſtolâ 1. ait) ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere. Docent quidem Patres gratiam & liberum arbitrium ſimul & indiuiduo opere conſenſum parere; ſed facilè dixerit aliquis, id vel de ſimul tempore intelligendum, vel de gratia comitante. Maſſilienſium autem error erat, liberum arbitrium nondum gratiâ præuentum & corroboratum poſſe ſuis viribus facere bona opera ad quę gratia non iuuaret, idque priùs tempore quàm vllam gratiam acciperet; & ea opera tunc eſſe meritoria.

8 Addo tamen, tantùm abeſſe, vt Molina doceat liberum arbitrium influere in opus bonum priùs naturâ quàm gratiam (vt ei imponitur) vt expreſsè contrarium ſæpiùs doceat, & vbique contraria fundamenta ponat. Nam diſput. 29. ſic ait: *Omnino dicendum concurſum Dei particularem, gratiámve præuenientem, ſemper vel tempore vel naturâ antecedere influxum liberi arbitrij ad actiones ſupernaturales, tamquam cauſa & principium efficiens in liberum arbitrium immiſſum: quo mediante Deus vlteriùs vnà cum libero influxu eiuſdem arbitrij in actiones ſupernaturales influit. At verò cùm Deus per concurſum vniuerſalem, & cauſa ſecunda immediatè influant in effectum cauſæ ſecundæ, tamquam duæ partes vnius integræ cauſæ, fit vt neutra illis præciſè influxibus ſingularibus priùs alterâ concurrat.* Idem docet diſput. 38. §. Illud deinde. & diſp. 40. §. Poſſumus. §. Ad ſecundam. §. Hinc patet. & diſp. 41. §. Dixi toties. & alibi. Deinde paſſim ſtatuit liberum arbitrium eſſe ſolùm cauſam partialem, & minùs principalem operis; gratiam verò eſſe principalem. Quomodo ergo ſentire poteſt liberũ arbitrium priùs naturâ influere in opus quàm gratiam, præſertim cùm opus ſit actus ſimplex nullis conſtans partibus? Notum eſt enim quando aliqua cauſa integra conſtat ex pluribus cauſis

Molina id non ſenſit.

partialibus, nullam ex his poſſe influere in opus ſine cooperatione omnium aliarum; ac proinde nullam eſſe quæ priùs naturâ in opus influat, quàm alia, ſed omnes ſimul naturâ influere cum mutua dependentia; vt patet in ſpecie ſenſibili, & ſenſitiua potentia, in ſpecie intelligibili, & intellectu, &c. Item cùm quatuor mouent nauem vel pondus, quod nec vnus eorum, nec duo, nec tres mouere poſſunt. Ex his conſtat quàm debili fundamento tota auctoris refutatio nitatur. Supponit enim Primò, Molinam docere liberum arbitrium priùs naturâ operari opus bonum ſupernaturale, quàm gratia cooperetur. Secundò, hunc eſſe errorem Maſſilienſium. In vtroque à ſcopo & vero aberrat.

Reſponſio ad primum argumentum initio cap. poſitum.

His declaratis, veniamus ad argumentorum ſolutionem. Reſpon- 9
deo ad primum argumentum: Nuſquam dicit Molina nullum eſſe auxilium quod à Deo habeat efficaciam; imò expreſsè docet omnem efficaciam auxilij eſſe à Deo, non à libero arbitrio, vt patet in concor. qu. 14. ar. 13. diſput. 40. & in appendice in reſp. ad 3. obiect. & q. 23. ar. 4. diſput. 1. m. 6. Et patet. Vel enim agitur de efficacia in actu primo, & ſic conſtat eſſe à Deo: nam hæc nihil eſt aliud, quàm vis efficiendi, quæ non diſtinguitur ab ipſo auxilio: vel accipitur in actu ſecundo, nempe pro ipſa efficientia & influxu actuali gratiæ in opus bonum; & ſic etiam eſt à Deo, qui per illud auxilium tamquam per ſemen quoddam ſuum voluntati iniectum cooperatur: ſicut influxus habituum ſupernaturalium eſt à Deo. Verùm quia hæc efficientia non ita pendet à gratia & à Deo, quin etiam pēdeat à libero arbitrio, tanquā à cauſa ſine qua gratia non poteſt habere influxum in opus bonum; ideò interdum & rectè dicit Molina, quòd gratia ſit efficax, vel inefficax (in actu ſecundo) pendere à libero arbitrio; adeò vt in poteſtate liberi arbitrij ſit, gratiam quæ ſecundum ſe eſt ſufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu ſecundo. quod non video qua ratione negari poſſit, niſi quis nodum in ſcirpo quærat. Si enim voluntas non poteſt impedire efficientiam ſeu influxum gratiæ in opus, iam opus non erit liberum. hic enim influxus non eſt quid diſtinctum ab opere; ſed eſt ipſum opus vt procedens & pendens à gratia. Itaque ſi non eſt in poteſtate voluntatis vt influxus gratiæ ſit vel non ſit, incipiat eſſe vel non incipiat eſſe: perſpicuum eſt in eius poteſtate non eſſe, vt opus incipiat eſſe, aut non incipiat eſſe; quod eſt tollere libertatem in actibus pietatis. Confirm. Quia quando ad vnum effectum ſimplicem concurrunt plures cauſæ partiales, conſtituentes vnam cauſam integram; neceſſe eſt vt influant cum mutua depen-

Quomodo lib. arbitriū reddere poſſit gratiam efficacem vel inefficacem, ſic tamen vt non det illi efficaciam ipſam.

Cauſæ partiales influūt cum mutua dependentia.

dependentia; ita vt ſi vel vna non influat, ceteræ nihil efficiant, vt ſuprà cap. 4. num. 4. & c. 9. nu. 4. & cap. 10. num. 8. oſtenſum eſt. Ergo cùm auxilium præueniens, & liberum arbitrium, efficiant vnam integram cauſam actus boni; impoſſibile eſt vt gratia habeat influxum in opus bonum, niſi liberum arbitrium ſimul influat, & conſentiat. Quare cùm influxus liberi arbitrij ſit liber, & procedat à cauſa indeterminata, poteſt cohiberi, & conſequenter etiam influxus gratiæ cohiberi & impediri poterit.

10 Dicet aliquis; Licet hæc vera ſint, tamen malè ſonat, ſi dicas liberum arbitrium poſſe gratiam Dei reddere efficacem vel inefficacem. Reſpondeo, non male ſonare, ſi addatur explicatio, quam idem auctor ſæpè addit. Fit enim interdum vt aliquid auulſum & ſolitariè prolatum aliter ſonet, quàm dum ſuo loco legitur. nam ex adiunctis mens auctoris intelligitur. Non tamen hic modus loquendi abhorret à phraſi Scripturæ. Quid enim aliud eſt 2. ad Timoth. 1. *Reſuſcita gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*; quàm otioſam & conſopitam excita in opus, redde efficacem & operatoriam? Imò plus aliquid ſonat *gratiam reſuſcitare* (ἀναζωπυρεῖν, quod eſt eam ſopitam & languidam excitare, & viuidam reddere) quàm *reddere efficacem.* Quid eſt *gratiam in vacuum recipere, gratiæ deeſſe, gratiam negligere*, quàm illam vacuam bonis operibus & inefficacem reddere? Ne tamen id alicui malè ſonet, addatur *in actu ſecundo*: ſatis enim per ſe notum eſt, ſuppoſita libertate in actibus bonis, liberum arbitrium poſſe gratiæ præuenientis auxilium reddere efficax vel inefficax in actu ſecundo. hinc tamen non ſequitur liberum arbitrium aliquid facere circa ipſam gratiam, aut dare illi aliquam efficacitatem; vt auctor ſæpè colligit.

Quomodo non malè ſonet.

1. Cor. 15. 2. Cor. 6. Hebr. 12. 1. Tim. 4.

Lib. arbitriũ nihil facit circa gratiã, nec tribuit illi efficaciã.

11 Ad cuius plenam intelligentiam notandum eſt, in gratia efficaci, tria conſiderari poſſe: Primò, quòd habeat vim ſupernaturalem, quæ vnà cum libero arbitrio ſit ſufficiens ad opus. Hoc conuenit omni auxilio ſufficienti. Secundò, quòd ſuadeat & liberum arbitrium hominis alliciat congruenter ſuis affectibus, eoque modo, quo credibile eſt ipſum conſenſurum. Hæc ſuaſio & allectio liberi arbitrij eſt effectus & actus illius auxilij non effectiuus, ſed formalis. Nam auxilium efficax ſeipſo formaliter allicit & trahit voluntatem vt conſentiat. Vnde hic effectus non pendet à libero arbitrio, nec eſt in eius poteſtate vt ſit vel non ſit. nũquam tamen eſt tam potens, quin liberum arbitrium poſſit ei reſiſtere, nolendo amplecti id ad quod impellit. Tertiò, quòd influat in opus. Hic influxus eſt effectus effectiuus illius

Tria in gratia efficaci conſiderari.

Attractio eſt effectus formalis gratiæ præuenientis.

lius auxilij: & ab eo, vel ſaltem ab ordine ad eum, dicitur auxilium complete efficax. Si enim non ſequatur hic influxus, auxilium dicetur inefficax: ſi ſequatur, dicetur eſſe & fuiſſe efficax. Sicut medicamentum dicitur efficax, quod effectum habet; inefficax, cuius operatio fuit impedita. Quare cùm hic influxus aliquo modo à libero arbitrio pendeat; etiam ab eo pendet quòd gratia dicatur efficax vel inefficax. Eſt enim gratia principium quoddá operatiuum inhærens libero arbitrio; ac proinde eius operatio debet eſſe in illius poteſtate, ſicut operatio habituum. Sicut enim quòd habitus charitatis in me ſit efficax vel inefficax in actu ſecundo, otioſus vel operatorius, pendet à libero arbitrio: ita etiam quòd auxilium præueniens ſit efficax in actu ſecundo vel inefficax, otioſum vel fructiferum, ab eodem arbitrio pendet. Rurſus ſicut liberum arbitrium, dum vtitur habitu charitatis, nihil ei imprimit; ſed vnà cum habitu, & per vires ab ipſo formaliter acceptas, influit in opus: ita etiam dum vtitur auxilio gratiæ præuenientis, nihil facit circa illud; ſed cum ipſo, & per vires ab ipſo acceptas, facit opus. Itaque nihil eſt neceſſe vt aliquid circa gratiá agat, aut vllam efficaciam illi tribuat; ſed potiùs ipſa gratia tribuit efficaciam ſeu vires libero arbitrio, vt poſſit vti gratiâ, eamque in opus dirigere, & efficacem in actu ſecundo reddere. Nulla igitur fit iniuria gratiæ dum dicimus eam reddi efficacem in actu ſecundo per liberum arbitrium: quia liberum arbitrium non facit id ſolis naturæ viribus, ſed viribus gratiæ iunctis viribus naturæ; ita tamen vt vires gratiæ ſint præcipuæ in hoc conatu. Vnde vlteriùs ſequitur liberum arbitrium non priùs naturâ influere in opus, aut operari, quàm gratiam, ſed ſimul.

Influxus gratiæ in opus pendet etiam à libero arbitrio.

Lib. arbitriũ non reddit gratiam efficacem ſolis naturæ viribus, ſed per vires gratiæ.

12 Dices, Liberum arbitrium vtitur gratiâ; item eſt cauſa cur gratia hîc & nunc influat in opus; ergo priùs naturâ operatur quàm gratia. Vſus enim quo vtimur re aliqua prior eſt, quàm opus ad quod illâ vtimur: ſimiliter id quod eſt cauſa cur alterum ſit, eſt prius illo. Reſpondeo, negando conſequétiam: nam liberum arbitrium etiam vtitur habitu charitatis & ſpei, & eſt cauſa cur hîc & nunc influant in opus; non tamen priùs naturâ operatur, quàm illi habitus. Ratio eſt, quia etſi liberum arbitrium vtatur gratiâ, & dirigat illam in opus; id tamen non poteſt facere, niſi iam corroboratum per eiuſdem gratiæ vires, & iiſdẽ viribus cooperantibus. Non enim alio actu vtitur, aut dirigit gratiam in opus, quàm eo ipſo, qui à gratia pariter & libero arbitrio procedit: ſicut neque in naturalibus voluntas alio actu ſe vtitur aut determinat ad conſenſum, quàm ipſo conſenſu, quẽ in ſe elicit. Hic

Lib. arbitriũ vtitur gratiâ per vires gratiæ.

Voluntas eodem actu quo conſentit, vtitur & applicat ſe ad conſenſum.

Hîc enim quatenus eſt actio, dicitur eſſe vſus liberi arbitrij, & determinatio & applicatio ad ipſummet conſenſum, vt eſt opus productum. Eodem modo conſenſus ſupernaturalis conſideratus præciſè, vt eſt actio liberi arbitrij, dicitur eſſe vſus & directio & determinatio liberi arbitrij & gratiæ ad eumdem conſenſum, vt eſt opus productum. Porrò inter has rationes, nulla eſt prioritas. actus enim vt eſt à libero arbitrio, non eſt prior ſeipſo vt eſt à gratia, niſi ſecundùm noſtram conſiderationem. Eſt enim vnus ſimplex actus, qui ſecundùm ſe totũ, & omnes ſuas rationes formales procedit à libero arbitrio, & à gratiæ præuenientis auxilio. Nec obſtat quòd influxus liberi arbitrij ſit cauſa cur gratia influat: quia etiã gratia viciſſim eſt cauſa, cur liberum arbitrium influat. Non enim poſſet liberum arbitrium influxum habere in opus ſupernaturale, niſi ſimul iuuaretur influxu gratiæ. Itaque hi influxus ſibi viciſſim ſunt cauſa ſine qua non exiſtendi in rerum natura. *Gratia viciſſim eſt cauſa influxus lib. arbitrij.*

13 Liberum tamen arbitrium directè & propriè eſt cauſa quarumdam conditionum ſeu circumſtãtiarum circa influxum gratiæ, nempe quòd hîc & nunc exiſtat in rerum natura potiùs quàm aliàs, & quòd hanc vel illam habeat perfectionem intenſiuam potiùs quàm aliam. Si enim quæras cur gratia hîc & nunc influit in opus: reſpondendum, non quia gratia erat ex ſe efficax, & determinata ad influendum hoc tempore, & hac graduum intenſione; ſed quia liberum arbitrium ex ſua indifferenti poteſtate ſe determinat ad nunc potiùs influendum, & vtendum gratia, quàm aliàs, idque tanto vel tanto conatu. Quando enim effectus aliquis procedit à duabus cauſis partialibus, aliam conditionem contrahit ab hac cauſa partiali, aliam ab illa. Sic intellectio quia procedit ab intellectu, eſt actio vitalis; quia à ſpecie intelligibili, aut quia verſatur circa tale obiectum, eſt huius vel illius ſpeciei. Eodem modo cùm conſenſus & omnis volitio ſupernaturalis procedat à duabus cauſis partialibus, voluntate & auxilio præueniente; contrahit conditionem libertatis à voluntate, conditionem autem ſupernaturalis ab auxilio gratiæ. Vnde verè dixeris: Ideò hic actus liberè fit, hîc & nunc fit, tanto conatu fit; quia procedit à cauſa libera, quæ vult illum nunc & ſic elicere: & conſequenter ideò gratia nunc & ſic influit in illum actum, quia liberum arbitrium nunc & ſic influit. Quo modo loquendi non ſignificatur prioritas naturæ, ſed ſolùm rationis. Nam viciſſim rectè dixeris: Ideò influxus liberi arbitrij eſt ſupernaturalis, quia influxus gratiæ eſt ſupernaturalis: non tamen influxus gratiæ eſt prior naturâ influxu liberi *Lib arbitriũ propriè eſt cauſa cur gratia hic & nunc influat.* *Effectus procedens à duabus cauſis partialibus.* *Prioritas rationis.*

beri arbitrij. Solùm igitur hoc modo loquendi ſignificatur mutua prioritas rationis inter iſtos influxus partiales, reſpectu diuerſarum conditionum, quas contrahit actus à diuerſis cauſis partialibus. Si enim in actu conſideretur ſupernaturalitas; ſic priùs ratione influit gratia, quàm liberum arbitrium. Nam quòd ſit ſupernaturalis, habet directè & per ſe primò à gratia, non à libero arbitrio; etſi liberum arbitrium ſit cauſa ſine qua non, & indirecta ſupernaturalitatis: quia gratia ſine influxu liberi arbitrij cooperantis, non poteſt actum ſupernaturalem efficere. Si autem conſideretur in actu libertas, & quòd hîc & nunc fiat; ſic priùs ratione influit liberum arbitrium quàm gratia. Nam hanc conditionem contrahit actus directè à libero arbitrio; à gratia autem ſolùm indirectè ſeu comitanter, & tamquam à cauſa ſine qua non. niſi enim gratia ſimul naturâ influeret, & iuuaret, liberum arbitrium non poſſet hanc conditionem actui tribuere. Vnde rurſus colligitur, nullam poſſe eſſe prioritatem inter hos influxus, cùm à ſe mutuo dependeant. Adde iſtos influxus non eſſe vllo modo diſtinctos per aliquid abſolutum in illis exiſtens; ſed eſſe vnum ſimplicem actum, qui ſecundùm ſe totum, & ſecundùm omnes ſuos gradus eſt ſupernaturalis, vitalis & liber, proceditque totus à libero arbitrio, & totus à gratia. Verùm quatenus procedit à libero arbitrio, vocatur influxus liberi arbitrij: quatenus autem à gratia, vocatur influxus gratiæ. Nam omnis productio & effectio, non eſt aliud quàm ipſa res producta, conſiderata vt manans & pendens ab agente. Quare cùm in ſimplici actu non ſint duæ aliquæ res, vel rationes formales productæ, quarum altera ſit alterâ prior naturâ; non poteſt etiam influxus alter altero eſſe prior.

Influxus non diſtinguitur ab actu producto.

Ex his patet reſponſio ad Secundum: Quomodo diuiſio *gratiæ ſufficientis in efficacem & inefficacem*, dicatur ſumpta ab effectu: & quomodo ex eo quòd liberum arbitrium reddat gratiam efficacem in actu ſecundo, non ſequatur liberum arbitrium priùs naturâ operari quàm gratiam.

Ad Tertium argumentū. Cum iiſdem auxilijs, cum quibus hic conuertitur, fieri poteſt vt iſte non conuertatur.

Ad Tertium: Omnino iudicamus concedendum quod in hoc argumento pro abſurdo habetur: nempe, *cum iiſdem auxiliis præuenientibus, quibus hic conuertitur, fieri poſſe vt alius non conuertatur.* 14
Ratio eſt, quia fide tenendum eſt, eum qui hiis auxiliis conuertitur, potuiſſe non conuerti, vt oſtenſum eſt ſuprà cap. 7. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 4. Ergo ſi alius quiſpiam eadem, vel omnino paria auxilia haberet, fieri poſſet vt non conuerteretur. Confirm. Quia auxilium præueniens regulariter non eſt ita efficax, quin liberum arbitrium

bitrium poſſit ei reſiſtere; poſſit, inquam, potentiâ propinquâ, quam homo facillimè poteſt reducere in actum. reducatur ergo in actum: nihil enim miri ſi fiat, quod cauſam paratam habet, quæ illud facilè poſſit efficere. Similiter concedendum eſt, multos torqueri apud inferos, qui multo maioribus auxiliis ad ſalutem à Deo donati fuerũt, quàm multi alij qui in cælo diuino conſpectu fruuntur. hic enim eſt communis ſenſus fidelium: & patet manifeſtè in angelis. plurimi enim ex iis qui ceciderunt, maiora auxilia naturalia & ſupernaturalia ad ſalutem acceperant, quàm multi ex iis qui ſteterunt. Idem ſæpè fit inter homines. Quis enim neſcit multos religioſos & ſanctos viros, qui magnam à Deo gratiam, & ſalutis ingentia auxilia acceperant, ſuâ inertiâ cecidiſſe & damnatos eſſe? & viciſſim plurimos ſæculares totâ vitâ flagitioſos, vel tepidos, & crebrò labentes, tandem in fine per aliquod Sacramentum ſaluatos? quis dixerit hos maiora ad ſalutem adiumenta habuiſſe quàm illos? Omitto communem Sanctorũ ſenſum eſſe, ſe non ita gratiæ diuinæ cooperatos fuiſſe, vt debuiſſent. & B. Franciſcum dicere ſolitum, ſi alius gratiam accepiſſet, quæ ipſi data erat, illum meliùs fuiſſe cooperaturum.

15 Illud verò quod additur: *Sed quòd hi cum maioribus auxiliis prædeſtinati & ſalui non fuerint; illi verò cum minoribus prædeſtinati & ſalui fuerint, non aliunde fuit, niſi quia illi pro innata libertate noluerunt ita vti libero arbitrio vt ſalutem conſequerentur: hi verò maximè.* non ſic intelligendum eſt, quaſi quis cum diuinis auxiliis poſſit facere vt prædeſtinetur (hoc enim ipſe Molina refutat) nam ipſa auxilia ex diuina prædeſtinatione procedũt: ſed quòd cum illis auxiliis poſſit aliquid facere, vnde ſequetur per bonam conſequentiam ipſum fuiſſe ab æterno prædeſtinatum. Si enim cum auxiliis illis perſeuerauerit in finem, ſicut poteſt & debet (iuxta Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. & Arauſ. cap. 25.) ſequitur ipſum ab æterno prædeſtinatum; ſi non fecerit, ſequitur non fuiſſe prædeſtinatum.

Poteſt fidelis aliquid facere, vnde ſequetur ipſum fuiſſe de numero prædeſtinatorum.

16 Dices, Ergo prædeſtinatio pendet ex præuiſione meritorum. Reſpondeo, Si conſideretur prædeſtinatio vt extendit ſe etiam ad prima auxilia, quæ homini dantur (vt eſt prima vocatio ad fidem & gratiam iuſtificationis) ſic nullo modo pẽdet ex præuiſione meritorum. & hoc ſenſu probat vbique D. Auguſtinus, & maximè lib. de prædeſt. Sanctorum contra Maſſilienſes, prædeſtinari hominem gratis, & non ex meritis: quia præparatio gratiæ, qua vocatur ad fidem & iuſtitiam, non eſt ex meritis. Si autem ſpectetur vt extendit ſe ad poſteriores aliquos effectus ſuos, ſic quodam modo pendet ex præui-

ſione meritorum,ſicut& ipſi effectus. Non enim homo ſolùm meretur augmentum gratię,ſed etiam meretur dilectionem diuinam,quâ Deus habet illũ magis amicum,& vult illi dare hoc augmentũ, iuxta illud Ioan.14. *Qui diligit me,diligetur à Patre meo, & ego diligã eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Vbi etſi quædam dilectio præcedat omnia merita,ex qua datur homini vt poſſit diligere,& mereri; tamen quædam ſequitur ipſa merita præuiſa,ex qua dantur poſteriora beneficia. Itaq; iuxta hanc conſiderationem prædeſtinatio (vel potiùs pars prędeſtinationis) cadit ſub meritũ: quia per priora beneficia nobis gratis collata meremur à Deo nobis præparari poſteriora. Hæc autẽ pręparatio eſt quædã partialis prædeſtinatio. Quod vt meliùs intelligatur, notandum eſt ex D. Auguſtino de bono perſeuerantiæ c. 14. quòd 17

Quid prædeſtinatio.

prædeſtinatio Sanctorũ nihil eſt aliud, quàm præſcientia & præparatio beneficiorũ Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumq; liberantur. Præſcientia,quia pręſcit quibus daturus ſit ſua beneficia,eoſq; ſalutem ex his beneficiis,ſi dentur,conſecuturos. *Præparatio*,quâ ſtatuit hæc beneficia donare. Verùm quia in ſerie horũ beneficiorum alia ſunt volita propter alia, poſteriora ob merita priorũ (non enim cõfusè, abſq; ordine & dependentia quã inter ſe habeant,volita ſunt) ideò ipſa prędeſtinatio ęterna,quatenus ſe ad priora & poſteriora beneficia extendit,

Partibus ſuo modo cõſtat.

apprehenditur tamquam ſuo modo partibus (ratione partialium obiectorum) conſtans; quarum poſteriores per beneficia priora mereri poſſimus. Præparatio enim augmenti gratiæ, & multorum auxiliorum, quibus excitamur & iuuamur ad perſeuerandum in bonis operibus, eſt pars prædeſtinationis, & tamen illam mereri & impetrare poſſumus. Sicut enim impij merentur reprobationem æternam & odium Dei, per quod ſubtrahuntur illis maiora auxilia: ita iuſti poſſunt mereri vitæ æternæ & aliorum beneficiorum, quæ ad perſeuerandum neceſſaria ſunt, præparationem; quæ præparatio eſt pars totius prædeſtinationis. Nec obſtat, quòd D. Thomas & alij Doctores dicant,non dari cauſam prædeſtinationis,vt prædeſtinatio ſignificat actum mentis diuinæ: quia loquuntur de actu ſecundùm ſubſtantiam & entitatem ſuam ſpectato (quo modo eſt ipſa eſſentia diuina)

Prædeſtinatio vt extendit ſe ad poſteriores effectus ſub meritum cadit.

non autem ſecundùm terminationem liberam ad creaturas. Confirmatur Mat. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* quare paratum? *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*,&c. Itaque pars prædeſtinationis poſterior, ſeu prædeſtinatio vt ſe extendit ad poſteriores effectus, ſub meritum cadit. Et quia præparatio priorum beneficiorum non habet rationem

præ-

prædeſtinationis integræ, niſi extendat ſe etiam ad poſteriora vſque ad finem vitæ, hinc fit vt in poteſtate hominis iuſti ſit efficere, vt præparatio priorum beneficiorum, ſeu prouidẽtia illa quæ priora beneficia contulit, habeat rationem prædeſtinationis, vel non habeat: quia poteſt facere vt extendat ſe ad poſteriores effectus, vel vt non extendat, ſine qua extenſione nõ habebit rationem prædeſtinationis completæ, ſed inchoatæ tantùm, quo modo omnes iuſti vocantur prædeſtinati in Scriptura. ad Romanos 8. ad Epheſ. 1. Actor. 14. & alibi. Cùm dico hominem iuſtum poſſe facere vt prouidentia vel voluntas diuina extendat ſe ad poſteriora beneficia, non ita crudè intelligendum, quaſi homo poſſit aliquid circa diuinam prouidentiam efficere: ſed quòd poſſit aliquid facere, ſine quo in Deo non fuit nec erit propoſitum dandi poſteriora beneficia, & cum quo fuit ab æterno & erit tale propoſitum. Itaque illud ſe habet per modum obiecti & conditionis ſine qua non, reſpectu præſcientiæ diuinæ ad illud terminatæ, & voluntatis diuinæ propter illud præuiſum poſteriora beneficia decernẽtis. Nam vt communiter docent Patres (vt dictum eſt cap. 3.) non ideò actiones humanæ ſunt futuræ, quia Deus præſcit futuras; ſed ideò præſcit quia futuræ ſunt. Itaque priùs ratione ſunt futurę in æternitate, quàm præuiſę; & conſequenter, quàm propter illas poſteriora beneficia ſint prædeſtinata, & præuolita. Confirmari hæc etiam poſſunt ex Damaſceno lib. 2. de fide Orthod. c. 30. *Prædeſtinatio opus eſt iuſſionis diuinæ prænoſcendi vim habẽtis* (τῆς προγνωστικῆς κελεύσεως) *prædeſtinat autem ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate, ſecundùm præſcientiam ſuam.* quod intellige de poſterioribus effectibus. Et lib. contra Manichæos pag. 562. *Præuidens itaque Deus ea quæ à nobis ſpontè gerenda ſunt, videlicet quæ ſunt in noſtra poteſtate, virtutem dico & vitium, prædeſtinat ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate.* & infrà: *Adnitamur itaque facere quod bonum eſt, vtq; boni fiamus, vt ſimus ex numero bonorum qui præcogniti ac prædeſtinati ſunt ad vitam æternam.* In eamdem ſententiam accipiendum videtur, quod habet auctor hypognoſt. lib. 6. in fine. *Nemo glorietur, nemo deſperet. Solus enim Dominus ſcit, qui ſunt eius: in quantum autem poſſumus, omnes homines ad bonum exhortemur, nulli deſperationem demus, pro inuicem oremus, in conſpectu Dei nos humiliemus, dicentes: Fiat voluntas tua. Ipſius erit poteſtatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare.* Et Proſper lib. de vocat. gent. cap. 35. *Fruſtrà dicitur quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc operentur vt electi ſint.*

Idem ex plurimis Doctoribus Scholaſticis probari poteſt.

Ad Quartum : Fatemur hæc omnia eſſe veriſſima. Quòd enim 18
concurſus Dei generalis non ſit influxus in cauſam ſecundam, ſed in communem effectum ; quodque cauſa ſecunda non priùs à Deo moueri debeat quàm agat, ſuprà cap. 3. & 4. oſtenſum ſatis eſt. Denique quòd totus effectus ſit à Deo, & totus à cauſa ſecunda, tamquam à cauſa partiali conſtituente vnam integram cauſam, dubitari non poteſt, niſi quis litem de nomine cauſæ partialis moueat. Etſi enim Deus in ſuo ordine ſit integra cauſa operis (nemo enim cum illo concurrit vt cauſa prima) non eſt tamen hoc loco abſolutè integra & totalis cauſa ; quia ita operatur, vt illa operatione ſola abſque cooperatione cauſæ ſecundæ opus produci nequeat. Similiter cauſa ſecunda, etſi in ſuo ordine ſit integra (eò quòd non requiratur alia cauſa ſecunda, quæ illam iuuet) tamen ſe ſolâ abſque cooperatione cauſæ primæ nihil poteſt efficere. Itaque cauſa prima & ſecunda ſe habent tamquam duæ cauſæ partiales, ſeu vt partes vnius integræ & totalis cauſæ, quæ nullius extra ſe cooperationem requirat. Quamuis enim cauſæ partiales vocari ſoleāt, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & complent aliquam cauſam in ſuo ordine integram : tamen quando quæritur cauſa omnibus modis integra, quæ nullius extra ſe cooperationem requirat, tunc cauſa prima & ſecunda ſe habent vt cauſę partiales, & ſyntheſis earum eſt cauſa totalis. Itaque quod de duobus trahentibus nauem dicitur, in eo eſt ſimile, quod neutrius tractus ſine altero ſufficiat ad motum nauis ; etſi in eo ſit diſſimile, quòd ſint cauſæ eiuſdem ordinis.

Cauſa prima & ſecunda ſe habent vt cauſæ partiales.

Ad Quintum : Certum eſt opus bonum non eſſe à gratia, vt à cauſa tota. ſi enim gratia eſſet tota cauſa operis, excluderetur liberum arbitrium. Similiter certum eſt non eſſe à libero arbitrio vt à tota cauſa: alioquin non eſſet à gratia. Vnde mirum eſt auctorem hæc referre tamquam abſurda. Quòd verò addit : *Secundùm aliorum ſententiam* (videlicet Molinæ) *opus ſecundùm partes eſſe ab vnoquoque* (*ab vtroque* fortaſſe vult dicere) neſcio quomodo in animum inducere potuerit, cùm plurimis locis Molina doceat, opus non ſecundùm partes (quibus plerūque caret, vt cùm eſt ſimplex volitio tota ſimul exiſtens) ſed ſecundùm ſe totum, omneſque gradus genericos & ſpecificos, differentiamque indiuiduam eſſe à gratia & à libero arbitrio; vt patet diſput. 33. 38. 40. 41. Pari fide imponitur quod ſequitur. *Si loquamur de inſtanti naturæ, prior eſt voluntas quàm gratia : niſi enim incipiat operari voluntas, gratia non operabitur. Vnde liberum arbitrium*

Totum opus eſt ab vtroq; vt à cauſa partiali.

trium gratiam præuenit operando. Hęc enim omnia quàm longiſſimè abſunt à mente Molinæ, vt ſuprà oſtenſum eſt.

APPENDIX AD CAP. X.

De ſententia Maſſilienſium; & faciente quod in ſe eſt.

19 POſt hæc conſcripta, incidi in quemdam auctorem, virum alioqui doctiſſimum, qui fusè conatur probare, ſententiam illam Scholaſticorum; *Facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, Deus dabit auxilium gratiæ*; eſſe errorem Maſſilienſium & aliorum Semipelagianorum: eoſque qui hanc ſententiam probabilem putant, non minùs falli quàm Maſſilienſes. Subducit tamen ab hac ſentẽtia D. Thomam. D. Bonauenturam, Alexand. Halenſem, Altiſiodorenſem & Gerſonem, quos putat in ea ſententia non fuiſſe. Nam Gerſon dicit, *Facienti quod in ſe eſt, id eſt, benè vtenti donis Dei iam habitis, Deum non deeſſe.* Et in tract. de Vita ſpirituali, lect. 1. alph. 61. litt. G. dicit apertè, hominẽ non poſſe facere aliquod opus bonum moralis etiam virtutis, *ſine aliquo auxilio Dei interiùs mouente*; ergo non potuit aſſerere illam propoſitionem; Facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, Deus non denegat auxilia gratiæ ſuæ. Eodem pacto, licet Alexand. & Altiſiodor. abſolutè hanc propoſitionem affirmẽt, quia tamen Alexand. 3 p. q. 69. num. 1. art. 2. docet *non poſſe liberum arbitrium de ſe declinare à malo & facere bonum, ſine auxilio gratiæ, ſed facere malum*: & Altiſiodor. l. 2. ſummæ tract. 11. c. 1. q. 4. *non poſſe nos ſine gratia gratis data, aliquod bonum operari*: ſequitur eos non intellexiſſe hanc propoſitionem de eo qui facit quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ſed ex auxilio gratiæ. D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 6. ad ſecundum, & qu. 112. art. 2. & 3. prædictam propoſitionem intelligit, de eo qui facit quod in ſe eſt, ex auxilio gratiæ; non ex proprijs viribus; nec oppoſitum alicubi affirmauit, vt falsò putat Caietanus. Simili modo de eadem propoſitione loquitur Bonauent. in 2. d. 28. ar. 2. q. 1. ad tertium. ita ille auctor. *Sententia cuiuſdam Doctoris.*

20 Verùm hæc cenſura in DD. Scholaſticos eſt nimis dura. Nam quidquid ſit de iſtis DD. quos ipſe excipit, conſtat tamen ceteros in hac ſentẽtia iam à 300. & ampliùs annis fuiſſe. Deinde quòd etiam iſti à ceteris non diſcrepent, ſed idem omnino ſentiant; patebit, ſi quis verba eorum excutiat; vt omittam à poſterioribus DD. eos pro hac ſententia paſſim citari. Nam quod ad Gerſonem attinet, non dicit *Reſpõdetur.* *DD. Schol. idẽ omnino ſentire & dicere.*

Gerſon. cit Gerſon loco citato, *hominem non poſſe facere aliquod opus moralis virtutis, ſine auxlio Dei interiùs mouentis*; ſed ſic ait: *Iſtam conformitatem* (quam actus liber habet cum prima & ſumma honeſtate, id eſt, bonitatem moralem & laudabilem) *non poteſt elicere nuda natura voluntatis niſi communicata ſit ei facultas & gratia in producendo alia quàm ea quæ ſolùm reſpicit nudam ſubſtantiam actus, & non ceteras circumſtantias, vt ſunt circumſtantia finis & directionis, intenſiones, & ſimiles.* Vbi tantùm vult dicere, requiri aliam facultatem ſeu gratiam ad producendam nudam ſubſtantiam actus, aliam ad ponendam in illo bonitatem laudabilem ſecũdùm omnes circumſtantias: acceptâ generatim gratiâ pro omni eo quod gratis datum eſt: quomodo omnia naturalia gratia appellantur. Hanc autem eius mentem eſſe patet ex ijs, quæ eodem tractatu, ante duas paginas ſcribit, vbi ſic ait: *Nolo tamen negare quin anima poſſit ex ſua vita naturali benè moraliter agere, &, faciendo quod in ſe eſt, ſe ad vitam gratiæ diſponere. & primò ſi anima nullâ morte ſit infecta, habens naturalium integritatem, in nullo æſtimo fieri ambiguum, quin habeat in ſuo arbitrio cauſare opus bonum de genere moris, veſtiendo ipſum omnibus circumſtantijs, quas ipſa bonitas moralis exigit: alioquin homo ſine culpa exiſtens miſerabilior eſſet omnibus animantibus. cur ita? quia cetera animalia poſſunt in operationes ſuæ naturæ debitas, ſuppoſito Dei generali auxilio, non ſic homo poſſet. Sed quid dicemus de anima, quæ mortem circumfert ſecum, vel peccati originalis, vel actualis? fuerunt qui dicerent, animam tali morte preſſam non poſſe ad actus bonos morales aſſurgere.* Deinde reiecta hac ſententia, dicit, hominem poſſe facere actus moraliter bonos, per quos mereatur bona temporalia, & ad gratiam de congruo ſe præparet: *Quia per eos*, inquit, *facit homo quod in ſe eſt: intelligo hoc, facere quod homo poteſt ſecundùm vires quas actualiter habet.* Deinde addit: *Hoc loco aliqui diſtinxerunt de gratia. nam ſi gratiam appellamus omne illud quod à Deo liberaliter datur ſine meritis; totum eſſe noſtrum & viuere, inter gratuita numeratur. & hoc modo omnis tribulatio, omnis infirmitas, imò & ipſæ tentationes inter gratuita numerantur; quia Dei bonitas, quantum eſt de ſe nobis immittit, aut euenire permittit ad bonum noſtrum, ſi non peruersè renitimur, abutimúrque. & iuxta hunc acceptionis modum de gratia, perſpicuum eſt, nihil nos boni poſſe abſque gratia. Si verò gratiam nominemus donum aliquod infuſum, diſtinctum ab anima, ſupra vel vltra vires ſuas naturales vel induſtrias; nulla videtur neceſſitas dicere talem gratiam eſſe neceſſariam, vt bonum de genere agamus per liberum arbitrium, pluſquam*

Quomodo Gerſon accipiat gratiã, quando dicit nos nihil poſſe ſine gratia.

quam ad cognoſcendum verum circa naturalia. Neſcio quomodo clariùs Gerſon potuiſſet iſtam communem ſententiam aſſerere, vt mirum ſit illum ab iſto Doctore pro contraria adduci.

21 Quod ad Alexandrum attinet, verba ſuprà num. 5. allata ſunt ſatis clara. Eo autem loco qui obijcitur, loquitur manifeſtè *de vitatione omnis peccati mortiferi, & operatione totius boni præcepti, & etiam meritorij vitæ æternæ.* Item, *de gratia iuſtificante*; idque patet paſſim ex argumentis ipſius, quibus probat non poſſe perueniri ad beatitudinem ſine gratia. Accedit, quòd ſi Alexander doceret, id quod vult iſte auctor, ſentiret liberum arbitrium, ſine gratia, non poſſe facere vllum opus moraliter bonum; & non valere, niſi ad peccandũ; quod nemo ei impoſuit. Denique ipſemet auctor cap. 16. illius diſputationis 91. dicit Alexandrum ſentire, poſſe nos aliquod opus bonum morale operari ex noſtris viribus. Idem dico de Altiſiodorenſi. *Alex. Hal.*

Altiſiodorenſis.

Nec obſtat, quòd in fine ſoluens argumentum quod ſibi obijciebat de cooperatione Dei gratis præſtita, dicat; *Si gratia largè ſumatur pro omni gratis dato à Deo, benè concedimus, quòd liberum arbitrium non poteſt in opera de genere bonorum ſine gratia.* quia hoc modo etiam influentia generalis, de qua ibi loquitur, eſt gratia; imò etiam conſeruatio naturæ; vt patet ex diſtinctione Gerſonis, qui videtur ad hunc locum Altiſiodorenſis reſpexiſſe.

22 De D. Thoma, etſi in ſumma illud non dicat, tamen loco à nobis citato id euidenter tradit; vnde paſſim poſteriores DD. eum pro hac ſententia citant. Et 3. contra Gentes, c. 159. docet, in poteſtate liberi arbitrij eſſe impedire vel non impedire diuinæ gratiæ receptionem: quòd ſi non impediat, Deum illi gratiam ſuam daturum: ac proinde ſibi quemque imputare debere, ſi gratiam non habeat: *Deus*, inquit, *quantum in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur* 1. *ad Timoth.* 2. *ſed illi ſoli gratiâ priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Et in 2. d. 28, art. 4. *Gratia dupliciter accipi poteſt, vel pro quocumque excitatiuo voluntatis, exhibito homini ab ipſa diuina prouidentia, quâ omnibus rebus gratis impendit ex ſua bonitate, ea quæ ipſis conueniunt; vel aliquod donum habituale, in anima receptum. ſi primo modo accipiatur gratia; nulli dubium eſt, quòd homo ſine gratia Dei, non poteſt ſe præparare ad habendam gratiam gratum facientem. Vt enim 8. Phyſicorum oſtenditur, mutatio voluntatis effici non poteſt, ſine aliquo mouente per modum excitantis: omne enim motum neceſſe eſt ab alio moueri, nec refert quidquid ſit illud: quod huiuſmodi* *D. Thomas,* *Qualem gratiam intelligat D. Thomas.*

variationis occaſionem præbeat, quaſi voluntatem excitando, ſiue ſit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid huiuſmodi. quæ omnia conſtat diuinæ prouidentiæ ſubiecta eſſe, & in bonum electorum ordinata. Vnde quidquid illud fuerit, quod hominem excitauerit ad conuertendum ſe, gratia gratis data dici poteſt. & ſic, ſine gratia gratis data homo ad gratiam ſe non præparat. Ecce qualem gratiam requirat D. Thomas: nemo ſanè DD. talem excludit, ſed potiùs includit cùm de naturæ viribus loquitur. Nec in ſumma 1.2 q.109. art. 6. ad ſecundum, contrarium docet; tantùm enim vult requiri auxilium diuinæ motionis, vt quis ita faciat quod in ſe, vt detur ei gratia iuſtificationis: hîc autem loquimur de gratia ſpecialis auxilij obtinenda.

D Bonauentura.

D. Bonauentura in 2.d.28.art 2. quæſt.1. dicit, *vix aut numquam liberum arbitrium deſtitui gratia, gratis data, per quam homo ſe poteſt aliquando ad gratiam diſponere.* Sed per hanc *gratiam* intelligit etiam quoſdam affectus naturales, vt quòd aliquis valdè reformidet pœnas inferni, aut ab infantia inſita ſit viſceribus eius quædam pietas. Eamdem ſententiam tenent Richardus, Albertus, Occam, Gabriel, Driedo, Ruardus, Sotus, Vega; vt ſuprà n. 5. dictum eſt. 23

Albertus. Richardus. Occam. Gabriel. Driedo. Ruardus. Sotus. Vega. Nicolaus de Orbellis. Ægidius Romanus. Franciſc. Victoria. Barpt. Medina. Matth Feliſius, & alij multi.

His accedunt, Nicolaus de Orbellis in 2.d.27. vbi refert hac de re ſententiam Richardi, eamq́; approbat; Ægidius Romanus in 2.d.28. artic. 2. Franciſcus Victoria relect. 3. de peruenientibus ad vſum rationis, num. 4. vbi hanc ſententiam tribuit D. Thomæ. Barptol. Medina 1.2.q.109. art.6.q.3. ad tertium, dicit *hanc ſententiam eſſe probabilem*, & pro ea in argumento citat D. Thomam. Matthæus Feliſius ex ordine Minorũ Inſt. Chriſtianæ d.24.c.20.& 21.& multi alij recentiores. Qui omnes non intendunt aliud aſſerere, quàm quod primi DD. Scholaſtici affirmarunt. Vnde axiomatis & pronuntiati loco ab omnibus paſſim habetur; *Si homo faceret quod in ſe eſt, per vires naturæ, Deum daturum illi gratiam*, id eſt, auxilia ſupernaturalia, quibus ſenſim maiora, & tandem iuſtitiam, obtinere poſſet.

Hanc ſententiam nõ pertinere ad errorem Maſſil. Prima probatio.

Quòd autem hæc ſententia non pertineat ad errorem Maſſilienſium, probatur Primò, quia alioquin fatendum eſſet, omnes DD. Scholaſticos (excepto vno vel altero) iam à 500. ferè annis damnatum errorem tenuiſſe, & plurimos doctiſſimos viros hoc tempore etiamnum tenere. Vnde vlteriùs ſequeretur Eccleſiam pænè totam in eodem errore fuiſſe: nam populus Chriſtianus vbique terrarum tenet, quod à ſuis Parochis & Epiſcopis docetur. hi autem docent quod à Doctoribus in ſcholis audiuerunt, vel quod in eorum ſcriptis legerunt. atqui Doctores per quingẽtos propè annos, & fortè multo 24

ampliùs,

ampliùs, docuerunt communiter: ***Si homo faceret quod in ſe eſt, etiam per vires naturæ, Deum illi auxilia gratiæ largiturum; quibus ſi etiam benè vteretur, maiora impetraret, & ſic ſenſim poſſet ad ſalutem peruenire.*** Accedit quòd hæretici huius ſæculi, primi hanc ſententiam communem Doctorum reprehenderunt, & erroris Pelagiani accuſarunt; vt de Luthero patet, in aſſertione artic. 36. apud Roffenſem, & Caluin. lib. 2. Inſtitut. cap. 3. vbi vocat illud Occamicum axioma. vnde vel ob hanc cauſam minùs admittenda eſt talis cenſura.

Quæ auxilia DD. Scholaſtici excludãt dum dicunt ſolis naturæ viribus aliquid poſſe fieri.

25 Deinde, quia DD. ſcholaſtici quando loquuntur de viribus naturæ, non excludunt auxilia extrinſeca Dei, Angelorum, vel hominum; vt cuſtodiam angelicam, virtutis diabolicæ compreſſionem, doctrinam magiſtrorum, inſtitutionem parentum, operam concionatorum, exempla virtutum, & ſimilia: neque etiam intrinſeca, quæ ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſunt ordinis naturalis; vt ſunt variæ cogitationes per diuinam prouidentiam homini incidentes de bono ſequendo & malo vitando (quę etiam in ſtatu nudæ naturæ non defuiſſent) & cooperatio diuina, qua Deus ad omnia bona opera cooperatur. ſed excludunt ſola ſupernaturalia intrinſeca, quibus aliquid ſupra vires naturæ poſſumus. Quòd autem Doctores hæc non excludant, ſed includant, patet; tum quia aliqui expreſsè horum meminerunt: vt diuus Thomas, D. Bonauentura, Gerſon, & ipſe Molina variis locis: tum quia mens illorum non eſt, affirmare hominem ſine vlla externa inſtitutione, ſine vllo exemplo, ſine vlla bona cogitatione aut inſpiratione per diuinam prouidentiam obueniente, aut dæmone pro arbitrio ſæuiente, poſſe ſecum ſtatuere ſequi bonum honeſtum, & fugere malum contrarium: (id enim & apertè falſum eſt, & ad propoſitum illorum minimè neceſſarium) ſed tantùm, poſſe illum abſque vllo auxilio interno ſupernaturali, per ea quæ extrinſecus, vel ſecundùm ordinem naturæ ſuppetunt, ſtatuere ſequi bonum & vitare malum; & ſi id fecerit, quantum per illa auxilia facere poteſt, Deum infallibiliter auxilium ſupernaturale largiturum. mens enim illorum eſt, hac ratione oſtendere, omnibus patere aditum ad ſalutem, & per Deum non ſtare, ſi auxilium ſupernaturale ad ſalutem neceſſarium multi non habeant; ſed per ipſos, qui ſi facerent per vires & auxilia quæ naturali modo habentur, quod in ipſis eſt, illud à Deo acciperent.

25 Eodẽ modo intelligendi Doctores quando dicunt, ***hominem naturæ viribus poſſe fide humana aſſentiri myſteriis noſtræ religionis; diligere Deum ſuper omnia, vt auctorem naturæ; actu abſoluto concipere contritionem, vel attritionem merè naturalem; ad breue tempus re-***

ſiſtere tentationi, & ſimilia. Itaque per vires naturæ non intelligunt nudam naturam hominis, aut animæ rationalis, & virium ei inſitarum abſque omnibus adminiculis externis & internis; ſed comprehendunt hoc nomine omnia auxilia, & omnem prouidentiæ directionem, quæ homini, vt conuenienter naturæ ſuæ operari poſſit, eſt debita, quam in ſtatu nudæ naturę habere debuiſſet. vnde ſolùm excludunt auxilia naturæ indebita. Quod confirmatur: quia non erat eis propoſitum oſtendere quid homo poſſit ſine prouidentia & adminiculis naturæ humanæ debitis: hoc enim inutile fuiſſet; nec ſatis ad diſtinguendum quid poſſit per naturam, quid per gratiam: & prętereà opus fuiſſet oſtendere, quid poſſit adiutus iſtis auxiliis ordinis naturę. Quare cùm loquuntur de viribus naturę, non excludunt illa auxilia. Vnde neque bonas cogitationes de honeſtate morali ſectanda, & turpitudine vitiorum. Ita communem Doctorum Scholaſticorum ſententiam expoſuimus 1. 2. qu. 109. ar. 6. diu antequam hæc quæſtio in Molinam excitata eſſet, ne quis ſuſpicetur hæc à nobis modò ad ipſum tuendum excogitata.

Sententia Maſſilienſiũ.

Quæ auxilia ipſi non requirant.

At Maſſilienſes & qui vocantur Semipelagiani non videntur re- 27
quirere auxilium externum, quo dæmonis potentia comprimatur (niſi eatenus, vt non reddat hominem amentem) neque vllam peculiarem prouidentiam ad bonam cogitationem, neque auxilium cooperationis diuinę. Primum patet ex verbis Caſſiani collat. 13. cap. 14. citatis apud Proſperum c. 32. vbi Caſſianus putat, Iob ſolis naturæ viribus ſuperaſſe *multiplices illas & totâ inimici crudelitate quæſitas tentationum moles*, & in eo dumtaxat auxilium gratię illi adfuiſſe, quòd non permiſerit dæmoni vt eum rationis impotẽ redderet: cùm tamen vel ob hanc maximè cauſam, nempe *quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus*, in ſingulis actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, auxilio & protectione diuina egeamus, vt ait Innoc. epiſt. 1. c. 9. Secundum patet, quia (teſte Proſpero epiſt. ad D. Auguſtinum) dicebant, *quantum quiſque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum; pariq́ momento animum ſe vel ad vitia vel ad virtutes mouere.* Itaque ſicuti mala cogitatio non eſt donum Dei, nec per prouidentiam eius peculiarem procuratur; ita quoque ſentiebant de bona. Idem quoque colligitur ex D. Auguſtino, vbi auxilium præueniens ponit in bona cogitatione, quæ vt incidat, non eſt in noſtra poteſtate, vt lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. in fine. & lib. 2. de peccatorum meritis

cap.

cap. 17. & de bono perſeuerant. cap. 19. Denique quia ad omne bonum inchoandum nihil aliud requirebant quàm naturam liberi arbitrij dono creationis acceptam, vt patet ex verbis D. Proſperi ſuprà
8 num. 1. allatis. Tertium probatur: quia ſicut Pelagiani putabant tolli libertatem, ſi cooperatio Dei diceretur eſſe neceſſaria, vt oſtenſum eſt cap. 13. ex D. Hieronymo, ita etiam videntur iſti exiſtimaſſe. non enim eſt minor ſed potiùs maior difficultas, de cooperatione diuina, quomodo non impediat libertatem, quàm quomodo auxilium præueniens eam non impediat. atqui negabant auxilium præueniens requiri, ne impediretur libertas, vt refert D. Proſper in ep. ad D. Auguſtinum. ergo multo magis negabant cooperationem eſſe neceſſariam. Deinde ſi putaſſent cooperationem neceſſariam, facilè dixiſſent in hac eſſe gratiam Dei, ſicut dicebant eam eſſe in natura liberi arbitrij, gratis à Conditore conceſſa, vt conſtat ex epiſtola prædicta Proſperi. item omnes bonas voluntates eſſe dona Dei, nos nihil poſſe, niſi Deo auxiliante, &c. & ſic facilè argumenta Proſperi & aliorum eluſiſſent. Denique ad hanc eorum ſententiam videtur reſpexiſſe Concil. Arauſican. quando Can. 22. definit, *neminem habere de ſuo, niſi mẽdacium & peccatum.* Vbi excludit omne opus non ſolùm moraliter bonum, ſed etiam naturale & indifferens. quod alia ratione verum eſſe nequit, niſi quia egemus ad hæc auxilio diuinæ cooperationis nobis in hunc finem communicato. & quamuis etiam ad mala opera hoc auxilio egeamus, non tamen ad hunc finem nobis datur; neque ipſa malitia ex Dei, ſed ex voluntatis cooperatione prouenit.

Maſſilienſes non agnouiſſe auxilium diuinæ cooperationis.

29 Secundò: Quia mens Doctorum (exceptis paucis) non eſt, *Facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, dari immediatè donum fidei vel gratiam iuſtificationis; ſed tantùm dari auxilium aliquod præueniens, cum quo ſi rurſus fecerit quod in ſe eſt, dabitur auxilium maius, & ſic deinceps, donec ad iuſtitiam pertingat.* At Maſſilienſes volebant tali immediatè conferri donum fidei vel gratiam iuſtificationis, vel certè tale auxilium præueniens, vnde infallibiliter hæc ſequerentur. Illos hoc ſenſiſſe probatur Primò, quia dicebant *hominem ad gratiam, quã in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando; vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introëat, quia bono naturæ benè vſus, vt ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratiæ* (id eſt liberi arbitrij gratis donati) *ope meruerit peruenire*, vt refert Proſper in epiſt. duobus locis.

Secunda probatio.

Maſſil. volebant homini per vires naturæ ſe præparanti immediatè conferri gratiã iuſtificationis.

Secundò, quia etiam illi qui minimum tribuebant libero arbitrio, dicebant hominem ſolis naturæ viribus poſſe credere, & velle ſanari,

ciq; ſi hos actus haberet, donum fidei, & gratiam iuſtificationis conferri, vt patet ex epiſt. Hilarij, vbi ſic ait: *Quod enim dicitur, Crede, & ſaluus eris, vnum horũ exigi aſſerunt, aliud offerri; vt propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* & infrà referens eorum verba, ait: *Non quidem Deus eligit opera quæ ipſe largitur, cùm dat Spiritum ſanctum, vt per charitatem bona operemur, ſed tamen eligit fidem: quia niſi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id eſt Spiritum ſanctum, per quem infuſa charitate poßit bonum operari. non ergo eligit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe donaturus eſt; ſed fidẽ eligit in præſcientia, vt quem crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam conſequeretur.* Ex quibus verbis clarum eſt, omnia ea quæ præcedunt gratiam iuſtificationis, iuxta ipſos eſſe ex ſolis naturę viribus: ea autem quæ poſt iuſtificationem fiunt, tribui Deo, ratione gratiæ iuſtificantis, à qua vim promerendæ vitę æternę habeant. quòd autem hi minimum tribuerint libero arbitrio, patet ex D. Auguſtino cap. 1. de prędeſtinat. Sanctorum, illis verbis: *Peruenerunt etiam*, &c.

Tertiò, quia totam gratiam præuenientem conſtituebant in vocatione externa ad baptiſmum, vt quicumque vellet, poſſet per vires naturæ venire ad baptiſmum, & per illam conſequi gratiam. itaque prima gratia interna, iuxta ipſos, erat gratia regenerationis. vt patet ex Proſpero, in principio, & circa medium, §. Propoſitum autem.

Quartò, quia Caſſianus lib. 12. de Inſtit. cœnob. cap. 11. gratiam Dei in eo conſtituit, quòd ob paruum opus viribus naturæ factum & minimè dignum tanto pręmio, condonet peccatum, & hominem iuſtificet, ideoque hominem dici ſaluari dono & gratiâ Dei; quòd opus illud, cuius occaſione ſalus confertur, non ſit tanta remuneratione dignum. idque explicat exemplo latronis, & Dauidis pœnitentis. Idem docet cap. 14. eiuſdem libri, & collat. 13. c. 13.

Quintò, idem patet ex Can. 3. 4. 6. 8. & aliis Conc. Arauſicani, in quibus damnatur hic error: *Viribus naturæ impetrari, vt à Deo purgemur vel iuſtificemur.*

Ratione probatur.

Sextò, idem confirmatur ratione. Non enim credibile videtur, 30
tantos motus fuiſſe excitandos in Eccleſia, aut habendum pro errore contra fidem Catholicam, ſi tantùm voluiſſent dicere, viribus naturæ poſſe hominem à Dei miſericordia impetrare aliquam inſpirationem remotam & ſalutarem, per quam, ſi vellet, poſſet vlteriùs progredi, & maiora auxilia, & tandem iuſtitiam obtinere. Hęc enim ſen-

ſententia non ita videtur à fidei doctrina áliena; neque ex ea videntur ſequi illa incommoda, quæ Patres ex ſententia Maſſilienſium colligebant, Primò, *Initium ſalutis aut fidei eſſe ex nobis.* Secundò, *Gratiam dari ex meritis humanis, & ita non eſſe gratiam.* Tertiò, *Gratiam eſſe pediſſequam.*

Non primum, quia initium fidei eſt primus actus credendi, vel ipſe credulitatis affectus quo proximè ipſum donum fidei promeremur, vt ſuprà diximus: quorum vtrumque iuxta illam ſententiam non eſſet ex viribus naturæ, ſed ex auxilio gratiæ.

Non ſecundum, quia fides & gratia iuſtificans, & auxilia propinqua non darentur ob aliquod meritum humanum, ſed propter opus viribus gratiæ elicitum, iis nimirum qui ſe per auxilium gratiæ præuenientis diſpoſuiſſent.

Dices, Ipſum auxilium præueniens dabitur ob meritum humanum; ergo non erit gratia; & conſequenter nec ea quæ ex hoc auxilio ſequuntur, in numero gratiarum cenſebuntur.

Reſpondeo, Illud opus humanum non propriè illud auxilium remotum merebitur: nullo enim modo reddet hominem dignum. ac proinde non impediet quin illud auxilium ſit verè gratis collatum propter Chriſti merita. ſicut ſi is qui eſt reus perduellionis, peteret à Principe aliquo ſubſidio iuuari vt poſſit venire ad aulam ad petendam veniam, & id ei præſtaretur, non amitteret rationem doni gratuiti.

Non tertium, quia iuſtificatio, aut donum fidei non ſubiungetur meritis humanis (cùm oporteat alios actus per gratiam elicitos interuenire) imò nec ipſum auxilium præueniens: quia ille actus non propriè illud merebitur. Ex quibus patet, facilè potuiſſe hanc ſententiam à graui errore excuſari, ac proinde non fuiſſe ſententiam Maſſilienſium, quam Patres, Pontifices, & Concilium Arauſicanũ tamquam errorem manifeſtum in fide ſunt inſectati. Alia igitur fuit horum ſententia, nempe ea quam expoſuimus. Itaque procul ab errore Semipelagianorum abeſt, communis illa ſententia DD. de faciente quod in ſe eſt per vires naturæ.

Concluſio, aliam fuiſſe Maſſil. ſententiam.

31 Ex his facilè intelligi poteſt, etiam Molinæ ſententiam multũ ab hoc errore diſcrepare, Primò, quia quando de viribus naturæ loquimur, non excludit niſi auxilium quod eſt ordinis ſupernaturalis & internum: cetera vel includit, vel ſupponit, vt patet ex plurimis locis. Nam in concordia q. 14. ar. 13. diſput. 7. ad credenda myſteria fidei aſſenſu humano, requirit inſtructionem & externam vocationem ad fidem

Sententia Molinæ quãtum abſit ab errore Maſſ.

fidem per concionatores, &c. & diſput. 10. in princ. quando dicit: *Quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur circa dolorem peccatorum*, &c. non excludit cogitationem congruam peccatori prouidentiâ Dei immiſſam, ſed ſupponit. Idem patet per exempla induratorum, quæ ibidem adfert. Idem colligitur diſput. 19. membro 6. ad 6. vbi ponit duplicia auxilia; quædam ſupernaturalia in ſubſtantia, alia naturalia, quæ neceſſaria ſint ad actus difficiliores ordinis naturalis, & ad reſiſtendum tentationibus grauioribus ad breue tempus: vnde cùm facere quod in ſe eſt, non parùm ſit difficile (includit enim propoſitum vitandi peccatum, & ſequendi dictamen rationis, & executionem huius propoſiti ad aliquod tempus) manifeſtum eſt eum tale auxilium ad hoc requirere.

Facere quod in ſe eſt quid includat.

Nec obſtat, quòd idem auxilium ibidem & alibi dicat pertinere 32

Quomodo auxiliũ naturæ poteſt dici auxiliũ Chriſti.

ad auxilia per Chriſtum collata; ac proinde nõ videatur poſſe referri ad vires naturæ: quia vtrumque rectè dici poteſt, ſed diuerſa ratione, ſi enim conſideretur ſecundùm ſuam ſubſtantiam, rectè dicitur auxilium naturale & pertinere ad vires naturæ (prout vires naturales diſtinguuntur à ſupernaturalibus) tum quia eſt in ſubſtantia naturale, tum quia eſt naturæ quodammodò debitum, vt liberè & accommodatè ad finem naturalem operari poſſit, vt ibidem ait Molina. Vnde etiam in ſtatu nudæ naturæ, ſi Deo placuiſſet inſtituere hunc ſtatum, non defuiſſet. Hoc modo Patres & Doctores communiter docent, Deum, Deique potentiam, prouidentiam, ſapientiam, poſſe *naturaliter* cognoſci ab homine per creaturas (quod etiam colligitur ex cap. 1. epiſt. ad Romanos, & cap. 13. Sapientiæ) tamen certum videtur non poſſe id fieri, ſine aliqua peculiari directione Dei. vnde Apoſtolus ait, *Deus enim manifeſtauit eis*. Si verò ſpectetur hoc auxilium ſecundùm finem & directionem Dei, qui illud confert, vt per illud amoueamus impedimenta ſalutis, & dirigamur ad ſupernaturalia, & ad ſalutem æternam, ſic rectè numeratur inter auxilia ſpecialia prouenientia ex prædeſtinatione vel ſupernaturali prouidentia, & conſequẽter ex meritis Chriſti; omne enim id quo dirigimur ad ſalutem, aliquo modo ex Chriſti meritis pendet, nempe quatenus hîc & nunc confertur. Itaque talia auxilia, diuerſa conſideratione, & ad naturæ vires & ad gratiam pertinent, quamuis non ita propriè ad gratiam, vt auxilia ſupernaturalia; quæ nullo modo naturali conditioni ſunt debita. Itaque non peccant DD. ſi hæc auxilia à viribus naturæ non excludant, ſicut nec Patres dum dicunt, Deum poſſe ab homine ex rebus creatis naturaliter cognoſci.

Secundùm ſubſtantiam eſt naturale, & pertinet ad vires naturæ.

Nota.

Secundùm finem & directionẽ Dei pertinet ad auxilia Chriſti.

Secun-

33 Secundò, quia Molina apertè docet, nullum opus quod viribus naturæ & auxilijs naturalibus fieri poteſt, eſſe diſpoſitionem propinquam aut remotam ad gratiam iuſtificationis, aut ad auxilium ſupernaturale, aut eſſe meritum ex condigno vel ex congruo, ad tale auxilium obtinendum; ſed ſolùm habere vim remouendi impedimenti & reddendi hominem minùs indignum auxilio gratiæ. Ita diſput. 6. & diſput. 14. memb. 5. ex profeſſo docet, & alibi ſubinde repetit. qua in re etiam longiùs, quàm ceteri Doctores, ab errore Maſſilienſium recedit. Illi enim admittunt huiuſmodi opus eſſe diſpoſitionem remotam, & ex congruo: cur enim propoſitum rectè viuendi, ſequendi dictamen rationis, emendandæ vitæ, nemini faciendi quod tibi nolis fieri, placendi Deo, & ſimiles actus, abſque vllo auxilio ſupernaturali concepti, non poſſint dici diſpoſitiones remotæ ad auxilium gratiæ? etſi enim fiant per vires naturæ & per auxilium, quod in ſubſtantia ſua eſt naturale: tamen quia hoc auxilium dirigitur à Deo, vt animus aptetur ad ſupernaturalia meliùs capienda & amplectenda; nihil videtur incōmodi, etiamſi diſpoſitiones remotę ad gratiam vocentur.

> *Molina longiùs ceteris à Maſſil. recedit.*

> *Diſpoſitio remota.*

34 Vnde ſi Adam & Angeli non fuiſſent conditi in gratia, nō videtur ratio, cur per dilectionē naturalem nō potuiſſent ſe ad eam remotè diſponere, ſuppoſita Dei ordinatione de illis hoc modo ad gratię ordinē euehendis. neq; inde ſequeretur initium ſalutis eſſe ex homine; tum quia illa diſpoſitio non eſſet initiū ſalutis ex mente Patrū, tum quia id totum eſſet ex gratuita Dei ordinatione: nihil tamen horum admittit Molina, vt quàm longiſſimè ab errore Pelagianorum & Semipelagianorum ſe remoueat.

> *Dilectio naturalis in Adamo & Angelis.*

35 Nec obſtat, quòd Molina dicat, eſſe *infallibilem legem* de gratiæ auxilio conferendo; quia id omnes Doctores tacitè vel expreſsè inſinuant. Tacitè, dum dicunt, *tali gratiam non denegari* & *ſemper dari.* ſi ſemper datur, ergo apud Deum eſt decretum æternum, cuius vi ſemper datur. Decretum autem de aliquo ſemper faciendo, eſt lex infallibilis, quia eſt regula actionis. Expreſsè, dum dicunt, *immutabiliter, immutabili ordinatione, infallibiliter* dari, vt Alexander, Albertus, Ruardus. Porrò hoc decretum ſancitum eſſe ob merita Chriſti, dubitari non poteſt; cùm ex Scripturis conſtet, omne auxilium & donum ſupernaturale nobis ex Chriſti meritis donari: iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Qui benedixit nos, omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Ex his patet quantum ab errore Maſſilienſium, ſententia illa Molinæ ceterorumque DD. abſit.

> *An ſit lex infallibilis.*

CAPVT XI.

Reſpondetur ad teſtimonia Scripturarum quæ pro gratia determinante adferuntur.

VT auctor probet ad conuerſionem requiri gratiam præuenientem, quæ voluntatem prædeterminet, & priùs naturâ operetur opus bonũ quàm voluntas; adducit multa teſtimonia Scripturarum, quę D. Auguſtinus producit contra Pelagianos. Prima enim quatuor ſumpta ſunt ex lib. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 20. reliqua ex aliis locis, exceptis paucis quæ vix contra Pelagianos valent. Vbi aduertendum eſt hæc loca ab Auguſtino produci, vt probet nos ſine gratia Dei nihil poſſe ad vitam æternam pertinens. à Caluino, vt probet gratiam Dei ita totum opus facere, vt homo non cooperetur liberè, ſed neceſſariò tamquam actus vi gratiæ. ab auctore, vt probet nos nihil poſſe, niſi à gratia ita moueamur & determinemur, vt & non poſſimus reſiſtere. Quid autem inter hæc duo poſtrema interſit, non intelligo. 1

Caluinus eadem producit.

Primum argumẽtum.

Primum eſt ex lib. 2. Paralip. cap. 30. vbi cùm Ezechias & Principes eius miſiſſent epiſtolas in vniuerſum Iſraël, exhortantes vt vniuerſi reuerterentur ad Dominum, tandem ſubditur: *In Iuda verò facta eſt manus Domini vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis & Principum eius verbum Domini. Ecce*, inquit, *à filiis Iuda petitur vt ad Deum conuertantur, non tamen iſta conuerſio ſoli ſuæ innatæ voluntati relinquitur, ſed operatus eſt Dominus in eis.*

Reſponſio.

Conuerſio nõ relinquitur ſoli libertati.

Reſpondeo; Inferendum erat conuerſionem iſtam non relinqui innatæ libertati per gratiam præuenientem excitatæ & corroboratæ; ſic enim contra nos fuiſſet concluſio. ſed quia id negari ſalua fide non poteſt, additur *ſoli*. non ex fide: nemo enim dicit conuerſionem relinqui *ſoli* libertati, aut liberum arbitrium pro *ſola* ſua libertate poſſe conuerti. & expreſsè id negat Molina diſput. 40. §. Ad ſecundam. *Neque item affirmandum eſt*, ait, *exiſtentibus in duobus æqualibus auxiliis gratiæ præuenientis, vnum eorum pro ſola ſua libertate conuerti, & alterum non; quoniam licet conuerſio illa à libertate pendeat, fiatq́; ab arbitrio pro ſua libertate, non tamen fit pro ſola ſua libertate, ſed cooperante ſimul auxilio gratiæ præuenientis per influxum à quo ſortitur rationẽ gratiæ cooperantis*. Idem ſatis conſtat ex dictis c. 10. vbi oſtenſum, liberum arbitrium nõ priùs operari quàm gratia ei cooperetur.

His

His addo non eſſe dubitandum, quin Deus ſit operatus illam conuerſionem, & tamen relicta eſt in poteſtate liberi arbitrij diuinitus præparati. dicitur enim Deus operari conuerſionem & velle (id eſt, propoſitum recte viuendi) quia mentem illuminat, ſuadet, allicit, vires inſpirat; ſeu, vt D. Auguſtinus loquitur, *quia voluntas præparatur à Domino.* Deinde: quia nobis cōſentientibus ad hunc ipſum conſenſum per dona ſua nos iuuat, & nobiſcum ipſum bonum propoſitum in nobis producit. Hæc enim abunde ſufficiunt, vt Deus dicatur operari bona opera in nobis, cùm diabolus, qui nec vires infundit, nec cōcurrit influendo in actū, ſed ſolùm ſuadet proponēdum obiectum, dicatur *operari in filius diffidentiæ* ad Epheſ. 2. quia eſt ipſis cauſa infidelitatis & multorum malorum operum. Et ſanè cùm Deus ita operetur bonum opus in nobis, vt totum illud relinquat in poteſtate voluntatis, non conuenit vt illud aliter operetur quàm modo explicato.

Deus operatur velle.

Etiā diabolus operatur in impiis.

2 Secundum eſt Ezech. 36. *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri; & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.* Hinc concludit auctor: *Meum igitur facere veſtrum præueniet, & meo auxilio ſtimulabo vos, & ipſe in voluntate veſtra faciam vt bona opera faciatis.* Reſpondeo, Si per *facere* Dei intelligat illam Dei operationem quâ nos excitat & allicit ad conſenſum (in quo conſenſu conſiſtit cor nouum) ſic nihil contra nos infertur. ſi verò intelligat illam operationem quâ facit in nobis immediatè ipſum conſenſum vel opus (quomodo videtur intelligere) ſic negamus Dei *facere* præcedere noſtrum. neque id vult Propheta, ſed Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 6. hunc locum ſic explicans. Dico igitur his verbis ſignificari idem quod alibi dicit Apoſtolus: *Deus eſt qui operatur velle & perficere.* &c. *Qui cœpit opus bonum in vobis, perficiet.* vt exponit Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 8. *Dare enim cor nouum,* eſt operari in homine velle. *Operari velle,* eſt facere interiùs in corde vt velit. *Incipere in homine opus bonum,* eſt dare illi initium bonorū operum. hoc autem initium eſt velle ſeu bonum propoſitum; inde enim incipit executio mandatorum Dei. *Facere vt in præceptis ambulent*, eſt operari perficere, id eſt, facere vt homo impleat quod propoſuit, ſeu vt ſeruet præcepta & perſeueret. *Cor nouum* vocatur bona voluntas, ſeu propoſitum nouæ vitæ, ſiue actu ſiue habitu per virtutem caritatis in nobis permanens. idem eſt ſpiritus nouus & cor carneum. Igitur *dat Deus cor nouum actu*, illuminando mentem vt pulchritudinem

Dare cor nouum.

Operari velle.

Incipere opus bonum.

Facere vt in præceptis ambulent.

Quomodo det cor nouū.

dinem iuſtitiæ cernat; & voluntati ſanctum affectum adſpirando, per quem eam amare & amplecti poſſit ſi velit; & ſimul cum voluntate, ſi ipſa velit, per illum præuium affectum operando plenum & abſolutum amorem, ſeu propoſitum iuſtitiæ ſeruandæ. hoc enim eſt cor nouum in actu. Deinde concepto hoc propoſito, *dat cor nouum in habitu*, infundendo caritatis habitum, ſeu dando Spiritum ſanctum, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris. quod maximè fit per Sacramenta, & in primis per ſacramentum Baptiſmi, de quo ibi Propheta loquitur, cùm ait: *Effundam ſuper vos aquam mũdam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum*, &c. & ita exponit Hieronymus. Hîc nullus eſt actus ad quem opus ſit gratia prædeterminante. Nam amor iuſtitiæ & propoſitum nouæ vitæ (quod eſt cor nouum in actu) ita concipitur per auxilium præueniens, vt etiam ſtante illo auxilio poſſit homo non concipere. Infuſio autem habitus (qui eſt cor nouum in habitu) nõ requirit noſtram cooperationem, ſed in eo voluntas ſe habet merè paſſiuè. vnde patet Deum dare cor nouum, ſiue in actu ſiue in habitu, abſque auxilio prædeterminante. Idem confirmatur ex Concil. Trident ſeſſ. 6. can. 4. vbi definitur, eum qui conſentit gratiæ excitanti (in quo conſenſu conſiſtit cor nouum in actu) poſſe diſſentire; ac proinde nullum habet impulſum ad conſenſum, cui non poſſit reſiſtere. Nec obſtat verbum *dandi*, inſinuans rem extrinſecus infundi: qui enim dat cauſam, rectè dicitur dare effectum ex illa cauſa prouenientem, vt medicus præbens medicamentum dicitur dare ſanitatem, etiamſi æger libere ſibi applicet; & qui dat alteri nummos emendæ domui, & ſimul iuuat emere, dicitur dediſſe domum. eodem modo dicitur Deus dare amorem iuſtitiæ, propoſitum nouæ vitæ, cor nouum, ſpiritum nouum (de actu loquor) quia dat vires & allicit ad hæc, & ſimul cooperatur. Illud autem, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis*, difficultatem non habet. ſi enim ſcholarum moderator partim minis, partim bonis monitis facere poteſt, vt ſtudioſi leges academiæ ſeruent; quanto faciliùs poteſt Deus facere, vt iuſtificati ſuis præceptis obediant? facit autem hoc tum per donum iuſtitiæ infuſum quo legem diuinam amant, eique condelectantur; tum quotidianis inſpirationibus & excitationibus, ſiue per ſe, ſiue per Angelorum, vel hominum, vel aliarum rerum creatarum miniſterium collatis; tum denique ſua protectione, qua non ſinit illos ſupra vires tentari.

Quis dicatur dare.

Quomodo faciat vt in præceptis ambulemus.

Tertium eſt Eſther 14. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in* 5
conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri. Reſpondeo,

deo, omiſſis illis quibus auctor hoc teſtimonium Rhetoricè exornat & exaggerat verbis ex diuo Auguſtino ſuprà contra 2. epiſt. Pelag. ſublectis, id Deo facile eſſe abſque auxilio prædeterminante, imò abſque omni auxilio gratiæ ſupernaturalis. *Sermonē compoſitum dat*, faciendo vt menti occurrant res & verba opportuna pro loco & tempore, & nihil ſit quod elocutionem impediat. Poteſt etiam, dum homo conatur eloqui, ſingulari ope concurrere ad verba ſuauiùs formanda. *Conuertere etiam poteſt indignationem in lenitatem*, vel ſola obiecti propoſitione, obiiciendo phantaſiæ & menti rationes amandi & ignoſcendi, & oſtendendo rationes indignandi fuiſſe falſas vel iniuſtas (nouit enim diuina ſapientia, quibus rationibus propoſitis, ad quid mens humana ſe inclinabit, in quos affectus ſeſe induet) vel vlteriùs affectum aliquem prçuium voluntati imprimendo. His tamen omnibus poteſt refragari, quamuis Deus certò ſciat reipſa non refragaturam. Simili modo facile ei erat *conuertere cor Regis in odium Aman*. Itaque opus non erat ferrea illa inflexione cui non poſſit voluntas humana reſiſtere. Si enim homo poteſt cor hominis ſuo conſilio & ſuaſione conuertere ad amorem vel odium alterius, idque ſçpè adeò certò vt non poſſit dubitare de euentu; quanto magis id poterit facere Deus interna ſuaſione & aſpiratione?

Sermonem compoſitum quomodo det

Conuertit indignationem.

4 Quartum eſt ad Philippenſ. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate: ergo Deus efficaciſſima ſua potentia voluntates noſtras agere & ad ſe poteſt conuertere.* Reſpondeo: Quia hoc teſtimonium ſçpiſſimè tamquam palmarium in diſputatione de gratia efficaci adfertur, tum ab hæreticis, ad probandum gratiam ita omnia facere, vt ei non liberè cooperemur (vt patet apud Caluin. l. 2. Inſtit. cap. 2. in fine, & cap. 3. nu. 6. & n. 11. & c. 5. nu. 11. & lib. 3. cap. 2. num. 23. & cap. 11. num. 12. cuius verba prolixitatis vitandæ cauſa omitto) tum à quibuſdam Catholicis ad probandam gratiam prædeterminantem (quæ quomodo ab illa reipſa differat, numquam cogitatione aſſequi potui) oſtendam hunc locum eorum ſententiæ aduerſari potiùs quàm ſuffragari. Apoſtolus eo loco hortatur Philippenſes ad humilitatem & obedientiam. Primò, exemplo Chriſti cùm ait: *Hoc enim ſentite in vobis*, &c. vbi Chriſti humilitatem & obedientiam ponit ob oculos, vt ipſi eoſdem affectus & ſenſus induant. vnde concludit: *Itaque fratres mei ſicut ſemper obediſtis, non vt in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* quaſi dicat, Si Chriſtus ſe humiliauit & obediens fuit vſque ad mortem, & vos debetis obędire Deo

Explicatur locus ad Philip. 2. Deus eſt qui operatur, &c.

præpoſitiſque veſtris, operando ſalutem veſtram: idque non cum præſumptione & iactantia præferendo vos aliis, vel exiſtimando vos eſſe aliquid; ſed cum timore & tremore, ſicut Chriſtus cum humilitate & reuerentia Patri obediens fuit. Deinde ſubdit alteram rationem: *Deus enim eſt, qui in vobis*, &c. quaſi dicat, debetis cum timore & tremore ſalutem veſtram operari, quia non veſtris viribus eam poteſtis operari, ſed Deus eſt qui illam operatur, nempe vt cauſa principalis, vires aſſiduè ſuppeditans & inſpirans. Itaque ne Deus ſuo auxilio vos deſerat, debetis cum timore & tremore illam operari. hoc ſi feceritis, ipſe quoque operabitur *perficere*, id eſt, perſeuerãtiam; ſicut operatus eſt *velle*, id eſt, propoſitum bonæ vitæ. hoc eſt quod alibi dicit: *Qui cœpit bonum opus, ipſe perficiet.* Hinc ſequitur eſſe in poteſtate illorũ, facere, *vt Deus in ipſis operetur perficere*; & conſequenter, nõ requiri motiones prędeterminantes. hæ enim nullo modo ſunt in noſtra poteſtate, vt ſup. c. 9. n. 4. oſtenſum eſt. Si enim Deus eas mihi præparauit, non eſt quod multũ timeam aut ſolicitus ſim, Deus ſolicitus erit vt decretum ſuum impleat, mihiq; eas ſuis temporibus inferat. ſi verò non præparauit, non potero eas mihi arceſſere. quid ergo mihi proderit timor & anxietas? Denique eſt in poteſtate noſtra operari noſtram ſalutem, & non operari. vnde Apoſtolus hortatur nos vt eam operemur. ergo ad ſingula opera non requiritur illud auxilium prædeterminans, quod non eſt in poteſtate cuiuſque habere, vel non habere; & dum habetur, non poteſt homo non operari. Ex quibus conſtat, vel ex hoc loco quo maximè fulcire conantur gratiam prædeterminantẽ, eam euerti. Similis planè eſt locus ille Concil. Trident. (vtpote ex verbis Apoſtoli deſumptus) ſeſſ. 6. cap. 13. *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debeant. Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operẽtur*, &c. qui locus planè hanc eſſe Apoſtoli mentem quam diximus declarat. Quid enim aliud eſt gratiæ non deeſſe, quàm ſalutem ſuam cum metu & tremore operari? ſed de hoc plura ſuprà c. 7. n. 2. Porrò dicitur *Deus operari in nobis velle* (id eſt, propoſitum bonæ vitæ quod concipit homo dum iuſtificatur) quia dat vires ad illud concipiendũ, ſuadet & allicit ad illud, & cùm illud cõcipimus, per dona ſua cooperatur nobiſcum: deinde quia infundit virtutẽ caritatis, per quam illud velle, ceſſante actu, in nobis perſeueret habitu. *Perficere operatur*, partim per

dona

dona habitualia, quæ cùm dedit velle, infudit; partim per quotidiana auxilia, quæ largitur. per hæc enim iuncta ipſius protectione, accipit homo poteſtaté perſeuerandi, & perficit id quod in prima iuſtificatione propoſuerat, nempe cuſtodiam mandatorũ vſq; in finem. Hæc tamen omnia dona & auxilia talia ſunt, vt in ſingulis operibus priùs naturâ quàm eis vtamur, poſſimus nõ vti, nõ acquieſcere, & reſiſtere.

Cur Deo id potiùs tribuatur quã homini.

Dices, Quare Deus dicitur operari potiùs velle & perficere quàm homo, cùm homo ſit qui liberè hos actus elicit? Reſpondeo, Etiam homo dicitur hæc operari. dicitur enim homo *ſeipſum conuertere*, Ioël. 2. *ſibi facere cor nouum.* Ezechielis 18. *ſe mundare à peccatis*, 2. ad Timotheum 2. *perſeuerare in finem*, & ſimilia. Peculiari tamen modo hæc tribuuntur Deo; tum quia Deus hominem ad hæc excitat & ſolicitat antequam ipſe de illis cogitet; tum quia ad hæc vires præbet, ſine quibus homo non poteſt in his quidquam. Is autem qui vires ad aliquid præbet quibus id conficiatur, peculiari modo, tamquam auctor principalis, dicitur eſſe cauſa rei, eamque operari & conficere. ſic Regem dicimus expugnaſſe vrbem, conſecutum victoriam, ſubiugaſſe noua regna; quia militem & ſumptus ſuis ducibus ſuppeditauit. ſic Matth. 10. dicitur, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nempe quia non ſapientiâ & induſtriâ humanâ loquebantur, ſed dono Spiritus ſancti, qui omnia opportuna ſuggerebat. hic tamen Spiritus, quoad vſum doni illius, erat illis ſubiectus, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 14. *Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.* Itaq; non determinabat eos ad loquendum. Simile quoque eſt illud 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum:* vel, vt Græca habent, οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. id eſt, *non ego, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.* de qua antè dixerat, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* dicit *gratiam laboraſſe*, quia ipſe per vires gratiæ laborem præſtitit. Vnde Hieronymus Dial. 2. contra Pelagianos; *Dicit*, inquit, *ſe plus omnibus laboraſſe, ſtatimq́; laborem ſuũ ad Dei refert auxilium, Non ego, inquiens, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.*

Præbens vires ad aliquid cenſetur auctor principalis.

Non ego, ſed gratia Dei.

5 Quintum eſt, Iſa. 50. *Erigit manè, manè erigit mihi aurem vt audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, &c. Quid eſt*, inquit, *erigere & aperire aurẽ niſi omnem operationem anteuertere.* Reſpondeo, Parum hoc teſtimonium vrget: vnde nec Auguſt. hoc vmquam contra Pelagianos adduxit. Loquitur Propheta in perſona Chriſti, qui dicit Deum valdè manè erexiſſe & aperuiſſe ſibi aurem (id eſt, ab initio conceptionis reuelaſſe ſibi

ſibi ſuam doctrinam & ſuam voluntatem de redimendo genere humano per ſuam paſſionem: iuxta illud Pſal. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.*) ſe autem non contradixiſſe diuinæ voluntati. Vnde ſequitur, *corpus meum dedi percutiētibus*, &c. Ita ferè Hieron. Non opus erat Chriſto gratia illa prædeterminans ad obtemperandum voluntati Patris, ſatis per amorem quo Patrem proſequebatur ad hoc determinatus erat.

Sextum eſt, Act. 16. vbi dicitur, *Deum aperuiſſe cor Lydiæ purpurariæ, attendere ijs quæ dicebantur à Paulo.* Reſpondeo, facile hoc fuiſſe abſque motione determinante. *Aperire* enim *cor vt attendat*, nihil eſt quàm facere vt velit attendere. Hoc autem facit Deus illuminando mentem, vt incipiat veritatē nonnihil aſpicere, & inijciendo voluntati præuium affectum ad vlteriora cognoſcenda. & quamuis illa illuminatio & affectus ille pręuius non ſit in hominis poteſtate (eſt enim gratia excitans & vocatio) tamen velle attendere vel non attendere eſt in eius poteſtate. Nam poſita illa illuminatione & affectione ad audiendum Euangelium, poteſt homo ob alias cauſas nolle audire, vt quotidiana experientia docet. 6

Septimum eſt, Ioannis 8. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. non ait, Qui verba Dei audit, ex Deo eſt. non eſt enim prius verba Dei audire quàm ex Deo eſſe, ſed econtrà; quia nimirum verba Dei audire non poſſumus, antequam ex Deo ſimus. ſi ergo prædeſtinati ſumus, ſi in gratiam Dei & amicitiam attracti, ipſius verbis acquieſcemus.* Reſpondeo: Si verba Dei audire non poſſumus, antequam ex Deo ſimus; id eſt, niſi ſimus pręđeſtinati, vt hîc exponitur; quomodo ergo Chriſtus Phariſæos reprehendit quòd verba Dei non audirent? non enim in poteſtate illorum erat, vt eſſent pręđeſtinati vel non pręđeſtinati, cùm hoc ex mero Dei beneplacito in ſolidū pendeat. Similiter non erat in illorum poteſtate, vt eſſent attracti vel non attracti in amicitiam Dei; nam hæc attractio fit per auxiliū præueniens, & quidem (horū ſententiâ) prædeterminans. nulli itaque reprobi poſſunt audire verbum Dei, nulli qui carent illo attractu determinante. Aliter ſanè Con Trid ſeſſ. 6. c. 13. vt ſuprà c. 7. num. 2. 3. 4. oſtenſum eſt. Dicendum igitur eſt, *eos eſſe ex Deo* qui diuinis inſpirationibus obtemperant. Hi enim aguntur Spiritu Dei, vel inhabitante, vel certè mouente; ſuntque nati ex Deo, vel certè iam naſci incipiunt: hi amplectuntur verbum Dei, ad quod inſpiratio diuina eos allicit. ſicut econtrariò ex diabolo eſt, qui eius ſuggeſtionibus paret. Itaque ideò Phariſæi non audiebant verba Dei, id eſt, non 7

Eſſe ex Deo, & eſſe ex diabolo, quid.

cis

eis obtemperabant, quia non erant ex Deo, ſed ex diabolo; id eſt, quia non parebant inſpirationibus Dei, ſed diaboli. Vnde meritò eos Dominus reprehendit. In poteſtate enim illorum erat per auxilium gratiæ quod illis dabatur, vt deſinerent eſſe ex diabolo, & inciperent eſſe ex Deo. Non video quem vſum hîc habeat auxilium prædeterminans, quod potiùs hoc loco refellitur quàm ſtatuitur. D. Auguſtinus tract. 42. in Ioannem, ex Deo eſſe intelligit eos qui præſciuntur credituri; ex Deo non eſſe, qui præſciuntur permanſuri ſuâ malitiâ in infidelitate: quæ expoſitio noſtræ ſententiæ non officit. ſed germanior eſt quam dedimus, quam etiam probat Toletus ex Origene.

8 Octauum: *Amicus ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi; audire igitur cum gaudio vocem ſponſi, eidem obtemperando, amici eſt qui iam vt audiret accepit. non enim poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cælo. Itaque oblatam gratiam recipere non noſtræ fragilitatis eſt, ſed Dei præſidium hoc præſtat, iuxta verbum Ioannis Baptiſtæ; Nemo poteſt accipere quidquam, niſi Deus dederit, ſcilicet vt recipiat. Idipſum docet Apoſtolus dicens: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere. Quantum diſtant hæc à placitis contraria tenentium, qui aſtruere non verentur, hominem ex ſola innata ſua libertate diuinæ gratiæ conſentire, & ſe ad illam vltima diſpoſitione præparare.*

Reſpondeo apertam *συκοφαντίαν* iſtis verbis contineri: quis enim dixit aut ſcripſit hominem ex *ſola* innata libertate diuinæ gratię conſentire, & ad illam vltima diſpoſitione ſe præparare? Contrarium ſuprà nu. 1. ex Molina oſtenſum eſt: ſanè pluſquam decem locis apertè contrarium tradit. viderit qui hæc toties imponit, qua fide & conſcientia id faciat. Dicimus igitur hominem diuinę gratiæ pro ſua innata libertate poſſe conſentire, ſed non niſi cum auxilio eiuſdem gratiæ; ſicut qui habitu alicuius virtutis ſupernaturalis eſt præditus, poteſt pro ſua innata libertate vti illa virtute, ſed nõ niſi cum auxilio eiuſdẽ virtutis, vt ſup. c. 10. n. 14. fuſè oſtenſum eſt. ſolùm enim negamus auxiliũ quod voluntatẽ ad conſenſum prędeterminet. Quare libenter admittimus hominem nihil poſſe accipere ad ſalutem pertinens, niſi datum fuerit de cęlo. Negamus tamen id quod auctor hinc vult inferre, ſcilicet, nos gratiam oblatam non poſſe acceptare abſq; præſidio alterius gratiæ præuenientis, qua ad acceptationem prædeterminemur. Habita enim gratia præueniente quæ ſit ſufficiens, in noſtra poteſtate eſt per eamdem gratiam acceptare gratiam (id eſt, conſentire in id ad quod inuitat) abſque vlla prædeterminatione.

Homo pro ſua innata libertate cõſentit, ſed nõ pro ſola.

Oblatam gratiam poſſum acceptare viribus eiuſdem gratiæ.

Ineuitabiliter fieri quod Deus decreuit.

Eſth. 13.

Nonum, Iſaiæ 46. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas* 9
mea fiet. Omnia igitur quæ Deus conſilio ſuo determinat, & ſua voluntate abſolutè decernit, à ſuo conſilio & voluntate ſtabilitatem & infallibilitatē accipiunt. Detur igitur quod Deus decreuerit me iuſtificare hîc & nūc, & infallibiliter & ineuitabiliter ita erit. igitur nō pendet à mea ſola libertate variabili iuſtificatio mea: quomodo enim ſtaret conſilium Dei, aut quo pacto verum erit quod in ſacro eloquio alibi dicitur; Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere poteſtati, ſi decreuiſti ſaluare Iſrael? Cùm ergo decreuerit me ſaluare, ſi ſola hoc mea libertate agendum eſt, nonne pro meo libitu diuinæ reſiſtam voluntati, atque illius conſilium reddam inane?

Dictio ſola parergŭs addita.

Reſpondeo: Si hoc argumētum aliquid valet, probat Primò, Deum non poſſe aliquid decernere quod à ſola libertate hominis pendeat. ſic enim ratiocinatur: *Si Deus decreuit me iuſtificare, infallibiliter & ineuitabiliter eueniet: igitur non pendet à ſola mea libertate mea iuſtificatio; quomodo enim ſtaret conſilium Dei?* Atqui hoc manifeſte falſum eſt, & ipſi auctori repugnans. Secundò probat, directè noſtram iuſtificationem non pendere à noſtra libertate: ſed quia videbat auctor hoc ſanæ doctrinæ aduerſari, addit *ſola*, ſed præter propoſitum & connexionem ſententiæ. Si enim pendet aliquo modo à mea libertate, ita vt poſſim hîc & nunc non conuerti, quomodo ſtabit conſilium Dei? quomodo verum erit neminem poſſe reſiſtere diuinæ poteſtati? rurſus quomodo verum erit quòd ineuitabiliter eueniet? Itaque illa particula *ſola* nihil facit ad propoſitum aut ad vim argumenti, aut contra eos quibuſcum diſputat. Nemo enim illorum vmquam vel per ſomnium dixit iuſtificationem vel conuerſionem à *ſola* pendere libertate. Itaque nihil aliud hîc probatur, quàm iuſtificationem non pendere à noſtra libertate propter efficaciam diuini decreti, cui nemo poteſt reſiſtere; quod apertè videtur repugnare Scripturis & Concilijs, vt ſuprà cap. 6. & 7. oſtenſum eſt. Quod confirmatur; quia ſi Deus decreuit me iuſtificare, *ineuitabiliter eueniet*, vt hîc dicitur. Vnde infero: Ergo non pendet iuſtificatio à mea libertate. quod enim euitari non poteſt, liberum mihi non eſt, vt per ſe patet. liberè enim fit quod ita fit, vt vitari ab eo poſſit cui liberum dicitur. niſi fortè *liberum* voces, quod *non coactè ſed libenter fit*; quale liberum etiam Caluinus admittit. Dices fieri *ineuitabiliter* in ſenſu compoſito & ex ſuppoſitione; in ſenſu verò diuiſo & ſemota ſuppoſitione fieri *euitabiliter*. ſed hæc rima ſuprà c. 3. num. 15. 16. 17. eſt obturata, vbi oſtenſum eſt hæreticos non aliter ponere omnia ineuitabili-

Iuſtificationem non pendere à noſtra libertate, ex argumento auctoris conuincitur.

Liberum pro libente.

tabiliter euenire quàm in tali ſenſu compoſito, & ex tali ſuppoſitione, nempe ex ſuppoſitione diuini decreti cauſantis in creatura impulſus determinantes ad ſingulos actus.

Reſpondeo Secundò, facile eſſe Deo decernere, vt hîc & nunc conuertar abſque auxilio prædeterminante. Hoc enim decretum non fit niſi ſuppoſita præuiſione conditionata, qua præuidet me tali momento conſenſurum gratiæ, ſi ſic vel ſic interiùs ſuaſerit, allexerit, traxerit; conſenſurum, inquam, non *ſolis* naturæ viribus (hoc enim ſtolidè diceretur cùm iam gratia præſtò ſit quæ vires præbet) ſed per vires gratiæ. tunc tamen pro meo libitu poſſum reſiſtere gratiæ, & nolle conuerti. Vnde verum non eſt, quòd conuerſio *ineuitabiliter* fiet; ſicut nec Petri negatio ineuitabiliter euenit. Etſi enim actus liber, à Deo præſcitus vel præuolitus, *infallibiliter* fiat; quia diuina præſcientia, cui dicitur euentus infallibilis, falli nequit: non tamen fit *ineuitabiliter* ſpectata intrinſeca diſpoſitione; quia voluntas humana nullo modo ad illud aſtringitur, ſed manet adiaphora, vt in omni inſtanti, quatenus natura prior eſt ſuo actu, poſſit non agere. Non tamen propriè dicimur poſſe reſiſtere diuinæ voluntati in tali caſu, aut conſilium Dei reddere inane; quia conſiliũ & voluntas illa Dei ſupponunt præſcientiam euentus vel abſolutè vel ex hypotheſi futuri, & ſic ſignificaretur nos poſſe non facere, etiam facta ſuppoſitione contraria; quod ſine dubio falſum eſt. Suppoſito enim quòd ſis facturus, non potes non facere; ſed hæc neceſſitas ſuppoſitionis non pugnat cum libertate, cùm ipſa ſuppoſitio aliquid ſupponat quod ex noſtra libertate quodammodò pendet. vt ſuprà cap. 3. num. 16. declaratum eſt.

Non poteſt hom. conſilii Dei reddere inane, tamen abſolutè poteſt non conuerti.

10 Decimum eſt, 2. Cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* 1. Cor. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus* I E S V S, *niſi in Spiritu ſancto.* Reſpondeo: Ex his locis optime probat D. Auguſtinus lib. 2. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 8. nos nihil poſſe ad ſalutem pertinens abſque diuino auxilio: nulla tamen probabilitate colligit hinc auctor, nihil nos valere abſque auxilio quod ita ſit efficax vt voluntatem noſtram, priùs naturâ quàm operetur, ad operandum determinet. alioquin nullum auxilium præueniens erit *ſufficiens*, niſi quod per *ſe eſt efficax.* ſi enim non ſum ſufficiens cogitare aliquid boni abſque auxilio iſto efficaci, quis non videat hoc ſolum auxilium eſſe ſufficiens? Itaque qui hæc & ſimilia adducit vt probet auxilium efficax, perſpicuum eſt eum non agnoſcere vllum auxilium verè ſufficiens, niſi quod per ſe eſt efficax:

Non dari auxilium ſufficiens, niſi quod efficax, ex ſententia illius auctoris oſtenditur.

quod à ſana doctrina abhorrere ſuprà cap. 9. nu. 1. & 2. oſtendimus.

Vndecimum eſt, Cantic. 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem* 11
vnguentorum tuorum. A Sponſo profectò trahimur, dum efficaci motione præparamur. poſt eum currimus, dum libera noſtra voluntate trahentem ſequimur. ſi nos pro noſtra innata voluntate volendo & benè operando præuenimus Deum; profectò nos Deum, vt nobiſcum cooperetur, trahimus, non ipſe nos trahit. Reſpondeo: Si tantùm illi trahuntur qui efficaci motione præparantur, ergo nemo trahitur à Deo, niſi qui ſequitur & conſentit. atqui nemo ſine tractu Dei poteſt ſequi, iuxta illud Domini Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* ergo nemo poteſt conſentire Deo, niſi qui conſentit. conſequens eſt contra ſanam doctrinam: ergo & antecedens. Deinde quomodo libera voluntate ſequimur, ſi tractui illi non poſſumus reſiſtere? quomodo libera voluntate ſequimur, cùm ipſe priùs naturâ operetur & influat in noſtrum conſenſum, quàm noſtra voluntas in eumdem influat? Itaque *liberum* hîc & alibi vel idẽ valet quod *libens*, & *libertas* quod *libentia*, vel eſt ſine mente ſonus. Nec obſtat locus ille Cantici; Eccleſia enim deſiderans imitari Chriſtum, flagitat gratiam vt id poſſit perficere, vt rectè Haymo & alij. itaque tractum petit, quo præſtentur vires exequendi ſui propoſiti. Ex tali tractu ſequitur curſus, quia deſiderium currendi iam ſupponitur. Poteſt etiam dici non eſſe neceſſe vt omnes in particulari currant qui trahuntur; ſufficit vt multi currant. Eccleſia enim cùm ſit vnum corpus politicum, vt ipſa dicatur imitari Chriſtum, ſufficit vt perfectiores in ipſa id præſtent. Sic ad Epheſ. 5. Chriſtus dicitur *Eccleſiam ſuam mundare lauacro aquæ*, cùm tamen non omnes mundentur qui baptizantur. & apud Ezech. cap. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini*, &c. & tamen non omnes mundantur ſuper quos hæc aqua effunditur. Solùm enim ſignificatur huiuſmodi locutionibus, rem habere eam vim vt omnes per eam ſint ſanctificandi, ſi per ipſos non ſteterit, ſi gratiæ diuinæ non defuerint; & plurimos reipſa non defuturos. Simili modo illis verbis, *Trahe me*, &c. ſignificatur plurimos per illum tractum imitaturos Chriſtum, & omnes per illum poſſe, ſi velint. Poſſet etiam exponi de *tractu* quem vocant congruum, ſed non videtur ad mentem Scripturæ. Neque ex eo quòd gratia dicitur non prædeterminare voluntatem, ſequitur nos Deum benè operando præuenire, aut nos Deum propriè trahere ad operandum, non ab eo trahi: nam benè operari non poſſumus niſi à Deo præuenti, id eſt, attracti & allecti diuina inſpiratione, qua volũtas noſtra præparetur, vt

Non illos ſolos trahi qui efficaci motione trahuntur.

Explicatur locus Cantici.

vt iam bonum opus ſit in ipſius poteſtate. Sed neque voluntas ſic præparata præuenit Deum in efficiendo opere bono, quia non niſi per vires gratiæ illud efficere poteſt. fatemur tamen liberum arbitrium directè eſſe cauſam, cur hîc & nunc Deus influat in opus, tum per dona ſua, tum per ſeipſum; non autem Deum aut gratiam, cur liberum arbitrium hîc & nunc influat. Non enim ideò hîc & nunc fit hoc opus, quia Deus abſolutè vult illud hîc & nunc fieri, aut gratia ex ſe determinat voluntatem vt hîc & nunc illud faciat; ſed quia voluntas diuinitus præparata vult hîc & nunc illud facere. Non tamen ſolis naturæ viribus liberum arbitrium eſt illius cauſa; ſed vnà cum viribus gratiæ. ſicut viciſſim gratia eſt cauſa cur opus ſit ſupernaturale, vt ſuprà cap. 10. fusè oſtenſum eſt. Hinc tamen non ſequitur nos propriè trahere Deum ad operandum, quia Deus nos antè traxit. quamuis id ſenſu quodã admitti poſſit, quatenus liberum arbitrium eſt cauſa cur hîc & nunc Deus influat in opus, vt dictum eſt. Vnde Gregor. Arimin. dicit Deum ſequi determinationem voluntatis, vt oſtenſum eſt cap. 5. num. 9.

Lib. arbitrij directè eſt cauſa cur hic & nunc fiat opus.

12 Duodecimum eſt: *Qui affirmat nos trahere Deum vt nobiſcum operetur, contradicit Apoſtolo dicenti: Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis. & Anſelmo de lib. arb. cap. 3. vbi cùm dixiſſet; Fuerunt quidam ſuperbi, qui totam efficaciam in ſola libertate arbitrij conſiſtere ſunt arbitrati: poſtmodum adiecit loquens de conuerſione peccatoris in Deum; Totum imputandum eſt gratiæ, quia neque volentis eſt quòd vult, neque currentis quòd currit, ſed miſerentis eſt Dei. Omnibus enim, excepto ſolo Deo, dicitur: Quid habes quod non accepiſti? Sicut ergo illam rectitudinem nemo accipit niſi gratia præueniente, ita nullus eam conſeruat niſi gratia ſubſequente. Cùm legitur, Neque volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; non negatur in voluntate neque in currente aliquid prodeſſe liberum arbitrium, ſed ſignificatur non eſſe imputandum libero arbitrio quòd vult & quòd currit, ſed gratiæ. Nam cùm ait, Neque volentis neque currentis; ſubaudiendum eſt, quòd vult & quòd currit.*

Anſelmi ſententia.

Reſpondeo: Qui dicit nos trahere Deum antequam ab ipſo tracti ſumus, contradicit Apoſtolo: non autem qui nos iam tractos dicit poſſe quodammodò trahere Deum ad cooperandum, vt antè explicatum eſt. Teſtimonium Anſelmi etſi mutilum, & pro commodo auctoris poſitum (quod non ſemel in hoc opere contingit) nihil contra nos facit: integrè verò & ex fide poſitum, non mediocriter à nobis facit. neque habetur lib. de lib. arb. vt in margine annotatur, ſed

Vtrùm nos trahamus Deum.

lib. de concordia præſcient. & prædeſt. c. 3. *Fuerunt*, inquit, *quidam ſuperbi qui totam virtutẽ & efficaciam in ſola libertate arbitrij conſiſtere ſunt arbitrati* Hîc notat Pelagianos qui liberum arbitrium putabant ad opera vitæ æternæ per ſe eſſe ſufficiens. Deinde addit (quod in argumento de induſtria omiſſum) *Et ſunt noſtro tempore multi, qui liberum arbitrium eſſe aliquid penitus deſperant.* Quinam hi fuerint obſcurum eſt. Nam temporibus Anſelmi talem hæreſim viguiſſe, apud nullum ſcriptorem inuenio. crediderim fuiſſe Catholicos aliquos, qui vel ob prædeſtinationem, vel ob efficaciam motionis diuinę, putauerint voluntatem humanam non poſſe aliter facere quàm facit; propter quos videtur Anſelmus hoc opuſculum conſcripſiſſe. Deinde poſt duas columnas: *Si autem*, inquit, *voluntas per liberum ſeruando arbitrium quod accepit, meretur aut augmentum acceptæ iuſtitiæ, aut etiam poteſtatem pro bona voluntate* (id eſt, auxilium & opportunitatem implendi bonum aliquod propoſitum) *aut præmium aliquod; hæc omnia fructus ſunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia, & ideò totum imputandum eſt gratiæ.* Vbi non loquitur de conuerſione, ſed de operibus bonis & meritorijs poſt conuerſionem factis, & de præmijs eorum, quæ omnia dicit *eſſe imputanda gratiæ*, non quia gratia liberum arbitrium determinat; ſed quia vis merendi eſt à gratia, non tamen ſoli gratiæ, ſed etiam libero arbitrio imputanda ſunt, vt infrà dicit. Totum autem gratię imputãdum probat ex Apoſtolo: *Quia non eſt volentis quod vult*, &c. Vbi Anſelmus non intendit negare quin vires naturales hominis concurrant partialiter ad ſalutarem volitionem & curſum, ſed ſolùm vult ſignificare gratiam eſſe cauſam principalem, vt paulo inferiùs declarat, cùm ait: *Sicut illam* (rectitudinem voluntatis *nullus accipit niſi gratia præueniente*, *ita nullus eam ſeruat niſi eadem gratia ſubſequente.* Deinde addit (quod non debebat in argumento prætermitti) *Nempe quamuis illa ſeruetur per liberum arbitriũ, non tamen eſt tantum imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, cùm hæc rectitudo ſeruatur. quoniam illã liberum arbitrium non niſi per gratiam præuenientẽ habet & ſeruat.* Vbi manifeſtè Anſelmus vult liberum arbitrium eſſe cauſam partialem minùs principalem rectitudinis voluntatis accipiendæ vel conſeruandæ; gratiam verò principalem. Vbi *gratiam præuenientem* vocat omnem eam quæ datur vt iuſtificemur, ſeu vt habeamus rectitudinem voluntatis. Hęc enim præuenit noſtram iuſtitiam, & ſtatum meritorium. *Subſequentem* vocat omnem eam, quæ datur iam iuſtificatis vt in iuſtitia perſeuerent. ſimili modo paſſim accipitur à D. Auguſtino, lib. de nat. & gratia,

Totũ imputandum gratiæ, quoad vim merendi; vel quia principalis origo.

Gratia præueniens.

Subſequens.

gratia, cap. 32. & lib. 2. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 9. & alibi Nec obſtat quòd poſteà multis interpoſitis ait: *Et cùm legitur, Neque volentis neque currentis*, &c. quia etſi dicat, non eſſe imputandum libero arbitrio, quòd homo ſalubriter velit aut currat, ſed gratiæ; tamen non excludit liberi arbitrij cooperationem, quam ibidem dicit prodeſſe ad volendum & currendum. Si prodeſt, ergo partialiter cooperatur. Ex his patet, verba Anſelmi ne in ſpecie quidem fauere gratiæ prædeterminanti, nec excludere partialem cooperationem liberi arbitrij; niſi quis putet ita totum imputandum gratię, vt etiam totum non ſit in poteſtate liberi arbitrij; & liberum arbitrium non habeat ſuum partialem influxum, ratione cuius poſſit opus illud impedire, dum gratia præſens eſt; quæ ſententia apertè eſt Caluini l. 2. c. 3. *Anſelmi ſententia nõ ſauet gratiæ prædeterminanti.*

Addo ex verbis Anſelmi manifeſtè motionem illam prædeterminantem refelli, ſi integrè legantur. Nam paulo ante illa verba, *Et cùm legitur*, &c. ait: *Cùm aliquid dicit ſacra Scriptura pro gratia, non amouet omnino liberum arbitrium: neque cùm loquitur de libero arbitrio, excludit gratiam: quaſi ſola gratia aut liberum arbitrium ſolum ſufficiat ad ſaluandum hominem; ſicut videtur illis qui faciunt hanc quæſtionem. ita quippe intelligenda ſunt dicta diuina, vt hoc excepto, quod dixi de infantibus, nec ſola gratia, nec ſolum liberum arbitrium ſalutem hominis operetur. Quippe cùm dicit Dominus, Sine me nihil poteſtis facere. non ait, Nihil valet vobis veſtrum liberum arbitrium, ſed, Nihil poteſt ſine mea gratia. Et cùm legitur, Neque volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. non negatur in volente neque in currente aliquid prodeſſe liberum arbitrium: ſed ſignificatur non eſſe imputandum libero arbitrio quod vult & quod currit, ſed gratiæ. Velut cùm aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à ſe poteſt indumentum habere, dat veſtem: non tamen, quamuis ipſe habeat poteſtatem vtendi & non vtendi accepta veſte, ſi ea vtatur imputandum eſt induto, quia indutus eſt, ſed danti veſtem. quapropter ita dici poteſt, Non eſt induti quòd eſt indutus, ſed miſerentis, id eſt, veſtem dantis. multò verò magis hoc diceretur, ſi ille, qui dedit veſtē, dediſſet etiam poteſtatem ſeruandi eam & vtendi. ſicut Deus cùm dat rectitudinem præfatam* (id eſt, iuſtitiam) *dat etiam poteſtatem ſeruandi & vtendi, quia dedit priùs liberũ arbitrium ad ſeruandum illam & vtendum.* hęc ille. Quibus verbis clariſſimè excluditur auxilium prędeterminans, & ſtatuitur concurſus partialis liberi arbitrij, & vſus gratię ponitur in poteſtate lib. arbitrij abſq; noua gratia præueniente. quę omnia aduerſæ ſentẽtię repugnãt. Itaq; nihil eſt quod auctor de hoc teſtimonio cõtra noſtrã ſententiã ampulletur.

Gratia determ. ex Anſelmi verbis refellitur.

Explicatur exemplo.

Ad id quod vlteriùs addit, reſpondeo breuiter, non ſolùm non eſ-ſe inconueniens in conuerſione peccatoris liberum arbitrium & diuinum auxilium partialiter operari, vt contrarium ſanæ doctrinæ aduerſari omnino videatur: ſi enim non partialiter operantur (partialitate cauſæ vt ſæpè explicatum eſt) ergo vel gratia eſt tota cauſa operis, & ſic liberum arbitrium nihil facit; qui eſt error Caluini (etſi enim Caluinus ponat voluntatem concurrere, tamen quia ita trahitur à gratia vt non poſſit ei reſiſtere, totam cauſalitatem tribuit gratiæ, qua in re conſequenter loquitur, quia voluntas nihil agit liberè, ita vt poſſit operationem gratiæ impedire) vel liberum arbitrium eſt tota cauſa, & ſic gratia nihil agit; qui eſt error Pelagij. Tenenda igitur via media, vt dicamus liberum arbitrium eſſe cauſam partialem totius operis, & gratiam eſſe cauſam partialem eiuſdem totius operis; & ex his duabus cauſis partialibus conſtitui integram operis cauſam. Hinc tamen non ſequitur liberum arbitrium eſſe cauſam vnius partis operis, gratiam alterius partis, nimis à ratione aliena huiuſmodi collectio. Sicut dum duo mouent nauem, quam neuter ſuo tractu mouere potuiſſet, tota motio eſt à tractu vtriuſque, licet tamquam à cauſa partiali. duorum enim tractus vel impetus conficiunt vnā cauſam integram iſtius motus. Idem pluribus ſuprà cap. 10. n. 17. & 18. explicatum eſt. Similiter non ſequitur, gratiam ſi eſt cauſa partialis, non præſtare vires libero arbitrio. cauſa enim partialis eſt non ſolùm ſuppoſitum adiuuans & partialiter concurrens, ſicut cùm alter alterum iuuat in naue mouenda; ſed etiam vires partiales eiuſdem ſuppoſiti; vt vires naturales liberi arbitrij, & vires gratiæ ſupernaturalis, intellectus & ſpecies intelligibilis, &c.

Lib. arbit. & gratiam eſſe cauſas partiales.

Non eſt cauſa partis tantùm operis.

Neque verum eſt, quod hìc imponitur, nos dicere, *dum peccator ad Deum conuertitur, Deum non mouere hominem vt conuertatur.* ſolùm enim dicimus, Deum non mouere hominem motione præueniente, qua determinetur ad conuerſionem. qualem motionem ponit hic auctor dari in inſtante conuerſionis, priùs naturâ quàm liberum arbitrium aliquid ad conuerſionem conetur. putamus enim huiuſmodi motionem cum libertate non probè cōſiſtere, nec liquidò illi ſuas in conuerſione partes relinquere. alioquin vbique docemus Deum mouere hominem ad conuerſionem, plerumque etiam priùs tempore quàm conuertatur. & hæc motio fit formaliter per illuſtrationes & pias affectiones menti immiſſas, & tamdiu durat quàm iſtæ inſpirationes durant: vnde etiam in actu ipſo conuerſionis perſeuerant; ſed cum hac motione ſtare poteſt vt non conuertaris. Præter hanc

Deus mouet hominem vt conuertatur, nō tamen ita vt ad cōuerſionem adſtringat.

hanc motionem non ponimus aliam quæ noſtrum conſenſum præ-ueniat, ſed ſolùm cooperationem ſeu influxum in opus.

Poſt hæc addit auctor nos verba illa Apoſtoli, *Non eſt volentis*, &c. ſic interpretari, *Non eſt ſolius volentis neque ſolius currentis, ſed ſimul Dei miſerentis.* & hanc interpretationem ex D. Auguſtino Enchirid. cap. 32. refutat. Verùm hæc interpretatio non eſt Molinæ, aut cuiuſquam noſtrorum, ſed pro commodo auctoris appicta, vt ſæpè fit, ad vberiorem diſputationem. Longè aliter illa verba explicari à Molina conſtat ex Concordia ar. 13. diſput. 41. vbi cùm explicaſſet locum illum D. Auguſtini Enchirid. cap. 32. qui hîc adducitur, ſic concludit: *Quia ergo licet nos ipſi ſumus qui liberè nulláque neceſſitate adacti volumus & currimus vt oportet ad vitam æternam: nihilominùs quòd totum velle & currere & ſingula eius partes ſint qualia oportet, habemus à Deo præueniente & cooperante per ſuam gratiam pro ſua libera voluntate; verè dictum eſt à Paulo, Non eſt volentis neque currentis quòd velit & currat, vt ad ſalutem oportet, ſed eſt Dei miſerentis, qui ſuâ gratiâ & miſericordiâ tribuit nobis vt ita velimus & curramus. Contrà verò neque aptè neque verè diceretur, Non eſt Dei miſerētis, ſed hominis volentis & currentis, quòd velit & currat vt ad ſalutem oportet: de quo curſu loquebatur Paulus*, &c. Vnde patet illam interpretationem & refutationem ex D. Auguſtino nihil ad nos pertinere. Poſſet etiam alia expoſitio illius loci adferri, non minùs fortè ad mentem Apoſtoli; vt ſenſus ſit, eſſe filium promiſſionis, eſſe electū à Deo, conſequi iuſtitiam fidei, non eſt volentis neque currentis (nempe per ſolas vires naturæ, quomodo Iudæi volebant & currebant) ſed Dei miſerētis. Altera tamen expoſitio eſt probabilis, quam ſequitur etiam Anſelmus & D. Auguſtinus Enchir. c. 32. Neutro modo dici poteſt, *Non eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis.*

Explicatio illius, Non eſt volentis, &c.

Alia expoſitio.

13 Decimotertiò & poſtremò adferuntur duo loca. Prior, Prouerbior. 21. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* alter ad Philippenſ. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti* IESV. ſed prior ſatis explicatus eſt in reſponſ. ad tertium argumentum; alter in reſponſ. ad quartum. Hæc ſunt Argumenta ex Scriptura, quibus putat gratiam ex ſe efficacem & prędeterminantem euidenter probari. quorum pleraque eam euidenter potiùs euertunt; nulla probabiliter ſtatuunt.

CAPVT XII.

Reſpondetur ad definitiones Conciliorum quæ pro auxilio prædeterminante adferuntur.

ETſi ex ſupradictis facilè intelligi poteſt, ea quæ pro hac gratia à ſuis defenſoribus adferuntur, ſolùm ad hoc valere, vt contra Pelagianos eorumque reliquias probetur nos nihil ſine auxilio gratiæ præuenientis ad ſalutem poſſe; eaque perperàm ad probandam hanc gratiam determinantem detorqueri: tamen vt id magis appareat, ſimulque conſtet nullum ſolidum huius ſententiæ fundamentum eſſe, adferemus ea quæ ipſi ex Conciliis cap. 11. obiiciunt. quidquid enim ibi cótra Pelagianos definitum eſt vt credatur gratiam eſſe neceſſariam, hîc adducitur ad probandum gratiam quæ prædeterminet liberum arbitrium eſſe neceſſariam: idque ea confidentia & verborum pondere, ac ſi cum Maſſilienſibus negotium ageretur. Itaque initio cap. ſupponit auctor Molinæ & noſtrorum ſententiam eſſe errorem Maſſilienſium. Putat autem errorem Maſſilienſium eſſe, ſi dicas hominem abſque gratia prædeterminante poſſe bonum velle, & facere: quod ſuprà cap. 10. oſtenſum eſt omni ſpecie probabilitatis carere. Deinde adducit argumenta ex Canonibus quibus hanc ſententiam refutet, & ſimul gratiam determinantem eſſe neceſſariam probet.

Quæ Patres definierunt contra Pelagianos & eorũ reliquias, ab auctore adducuntur pro gratia determinãte.

Primum Argumentum ex Can. 4. Concil. Arauſicani ſecundi: 1
Si quis vt à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non etiam vt purgari velimus per Spiritus ſancti infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Deinde addit auctor: *Si à contrariæ ſententiæ fautoribus quæratur, quare ex duobus æquali auxilio & gratia ſufficienti affectis vnus conuertatur & alter non; ſine vllo timore reſpondẽt, Quia alter pro ſua innata libertate voluit, alter non. Quis adeò erit cæcus qui non videat Deum voluntatem hominis expectaſſe vt illũ conuerteret? ſiquidem ex mera ſua libertate operanti ſeu incipienti gratia confertur; quod expreſſe contra verba Concilij militat.*

Retorquetur argumẽtum.

Reſpondeo: Vt hoc teſtimonium aliquid valeat ad probandam gratiam determinantem, dicendum eſt etiam poſita illuminatione

&

& vocatione ſufficienti, Deum non expectare ſeu requirere ab homine vt conſentiat, ſed ipſummet præuenire hominem nouo auxilio, quo illum phyſicè prædeterminet ad conſenſum, quo poſito non poſſit diſſentire. ſic enim ſe hunc Canonem intelligere ſua argumentatione ſatis indicat. quod ſi verum eſt, quomodo dicit Dominus, Iſaiæ 5. *ſe expectaſſe à vinea ſua vuas, & illam dediſſe labruſcas? expectaſſe iudicium & iuſtitiam, illam reddidiſſe iniquitatem & clamorem?* & cap. 30. *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri?* quomodo requirit Dominus noſtrum conſenſum liberum vt nobis iuſtitiam infundat? *expectare* enim conſenſum, nihil eſt aliud quàm *requirere* ab homine vt conſentiat. quomodo iuſtificatio pendet à noſtra libertate? quomodo Deus minatur mortem æternam niſi conſentiamus, ſeu purgari velimus? an vult nos damnare pro opere quod à nobis non expectat, non requirit? Denique ex hac ſententia ſequitur Deum non expectare vt homo faciat vllum bonum opus; quia ipſe per gratiam ſuam efficacem, vt ipſi volunt, facit vt faciamus. Abſit igitur vt hæc ſit mens Concilij. Itaque dicendum eſt, Deum non *expectare*, id eſt, non requirere ab homine vt velit purgari priuſquam inſpirauit illi auxilium præueniens, quo illum ad hanc voluntatem alliciat, vt volebant Pelagiani & eorum reliquiæ, contra quos Concilium agit. vbi autem hoc auxilium dedit, iam omnino expectat, vt purgari velit: non quidē vt velit, aut velle illud inchoet per nudas liberi arbitrij vires, ſed per auxilium gratiæ acceptæ, quo poteſt tunc vti. Itaque non ſequitur: Deus expectat ab homine iam diuinitus præparato vt velit purgari, id eſt, vt conſentiat vocationi; ergo non operatur in illo vt velit. Item, Deus operatur in homine vt velit, ergo non expectat ab illo vt velit: quod manifeſtum eſt in bonis operibus & obſeruatione mandatorum. Expectat enim Dominus vuas à vinea ſua, Iſaiæ 5. & tamen ipſemet illas dat & facit in nobis. Petes, Quomodo expectat à nobis quod ipſe facit in nobis? Reſpondeo, Quia non facit illud abſolutè, niſi dependenter à libero arbitrio. Vnde in poteſtate liberi arbitrij eſt vt abſolutè faciat vel non faciat opus. Dico *abſolutè*, quia vt Deus faciat opus ex parte ſua, nimirum dando omnia quę ſunt neceſſaria ad illud, non pendet à libero arbitrio; nec liberum arbitrium poteſt id impedire. verùm, vt poſtquam ex parte ſua dedit ea quæ ſunt neceſſaria, faciat opus abſolutè, cooperando libero arbitrio immediatè ad opus, id pendet à libero arbitrio. Itaque Deus expectat vt cooperemur ſuæ gratiæ, & conſequenter vt velimus purgari, aliàs nos per gratiæ habitualis infuſionem non purgaturus. expectat vt faciamus

Incommoda quæ ſequuntur ex illa ſententia.

Explicatur Concilij decretum.

Expectat Dominus noſtrũ conſenſum, quando voluntas eſt excitata.

Expectat à nobis, quod facit in nobis.

Deus nō facit ipſum opus abſolutè in nobis, niſi dependenter à noſtra libertate: ſecus tamen ex parte ſua.

ciamus bona opera, aliàs regnum ſuum non daturus: imò neque opera ipſa in nobis abſolutè operaturus: facit igitur ipſa opera in nobis, quia vires præbet, allicit ad cooperandum, & nobis operantibus ſimul cooperatur: expectat verò quia nos non neceſſitat, non determinat præueniente impulſu; ſed totum relinquit noſtræ libertati, vt conſentiamus, & nos per noſtram libertatem, gratiâ eius corroboratam, determinemus ad opus. Multùm itaque fallitur auctor, dum hanc putat eſſe Gallorum ſententiam, cùm ſit Eccleſiæ Catholicæ doctrina.

Secundum, ex Can. 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri; non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur: aut humilitati vel obedientiæ humanæ ſubiungat gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit: reſiſtit Apoſtolo dicenti; Quid habes quod non accepiſti. &, Gratia Dei ſum id quod ſum.* & infrà addit auctor: *Quamuis ipſi gratiam Dei conſtituant; illam tamen ſubijciunt voluntati: hanc enim præire, illam pediſſequam ſequi in opere confitentur.* & infrà: *Ipſa ſola natura gratiam antecedit ſecundùm ipſorũ imaginationem, & prædeterminat. vnde pulſantibus nobis miſericordia confertur diuinitus, non autem conceditur vt pulſemus. quis non videat hos ſuam prædeterminationem ex ſeipſis habere, quam à Deo non accipiunt; ſuam volitionem ex ſe ſortiri, quam Deus ab ipſis accipit; nec eam inter ſua computare, niſi eum ipſi pro ſua innata libertate præuenirent.* Aculeos verborum omitto. 2

Reſpondeo Primò, nos non dicere dari miſericordiam (id eſt, gratiam iuſtificationis) credentibus & volentibus abſque gratia Dei, ſed per gratiæ auxilium, vt explicatum eſt cap. 10. & alibi. neque gratiam ſubijcimus voluntati, ſed vſum gratiæ. Apertè autem falſum imponitur cùm dicitur: *Hanc enim præire, illam pediſſequam ſequi in opere confitentur.* Quis id confitetur, & vbi? oſtenſum enim eſt ſuprà, gratiam ſemper præuenire alliciendo & trahendo voluntatem ad opus. in opere autem ipſo producendo non præuenire (vt vlut auctor) non etiam ſequi (vt ipſe imponit) ſed omnino ſimul naturâ in opus influere, vt oſtenſum eſt cap. 10. Neque dicimus, *liberum arbitrium gratiam prædeterminare:* prædeterminatio enim non dicitur niſi reſpectu alterius determinationis ſubſequentis; vt quando aliquid eſt non determinatũ ex ſe in actu primo, dicitur prædeterminare, dum

Vſus gratiæ voluntati ſubiicitur.

Prædeterminatio quid.

deter-

determinationem in actu primo accipit: hæc enim naturâ prior eſt quàm determinatio in actu ſecundo. Sic gratia efficax ab ipſis dicitur prædeterminare liberum arbitrium, quia eſt quiddam diuinitus immiſſum voluntati, quo ipſa præparetur, & vires roburque accipiat ad conſenſum, vt ipſi docent cap. 10. & 27. Vnde ſe habet per modum actus primi reſpectu voluntatis; eſtque naturâ prior quàm ipſum opus aut influxus voluntatis in opus: ac proinde meritò dicitur voluntas per illud prædeterminari. ſed ipſa gratia ſecundùm ſe & naturâ ſuâ eſt determinata in actu primo ad agendum; vnde non eget prædeterminatione. Verùm quia vt exeat in actum ſecundum, eget concurſu liberi arbitrij, eò quòd eius vſus & influxus ſit in noſtra poteſtate; ideò poteſt dici determinari ad operandum hîc & nunc, à libero arbitrio. quia liberum arbitrium poteſt ea vti, vel non vti; ac proinde eſt cauſa ſine qua non exiret hîc & nunc in opus. Nec in eo eſt quidquam incommodi, cùm liberum arbitrium id non faciat, niſi per vires gratiæ quibus iam eſt inſtructum, vt oſtenſum eſt c. 10. num. 13. & 14.

Reſpondeo Secundò, Si Canon iſte aliquid contra nos ſecundùm mentem auctoris probat; fatendum erit Primò, eum reſiſtere Apoſtolo, qui dicit, homini credenti, volenti, pulſanti per auxilium ſufficiens (abſque illo auxilio prædeterminante) dari miſericordiam: quod & ex terminis ſtatim abſurdum apparet, & repugnat ijs quæ habet auctor cap. 7. vbi dicit, *Si homo benè vteretur auxilio ſufficienti, Deus daret illi efficax per quod conuerteretur*: atqui hoc eſt conferre miſericordiam. Secundò fatendum erit, quando quis per auxilium ſufficiens abſque auxilio prędeterminante aliquid facit, illud non facere ſicut oportet ad ſalutem, neque id in ipſo fieri diuinitus aut per inſpirationem Spiritus ſancti, vt Canon habet. Tertiò, quando quis per tale auxilium abſque impulſu prædeterminante aliquid facit, tunc humilitati & obedientiæ humanæ ſubiungi gratiæ adiutorium. Quartò, talem conſenſum vel opus non eſſe donum gratiæ. Quintò, talem hominem habere aliquid quod non accepit. Sextò, eum non eſſe per gratiam id quod eſt. Septimò, gratiam in illo eſſe pediſſequam. Octauò, ſolam naturam in tali homine antecedere, & gratiam prædeterminare. Nonò, tali homini non concedi à Deo vt pulſet. Decimò, illam ſuam voluntatem ex ſe ſortiri. Hæc omnia euidenter ex Canone ſic intellecto ſequuntur, iunctis verbis auctoris. vult enim iſta incommoda ſequi ex eo quòd negetur motio illa prædeterminans. faceſſant igitur prædeterminationes iſtæ. Ex

Incommoda ex ſententia auctoris.

his intelligat quiuis quo iudicio hi Canones ſint producti.

Tertium, ex Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem aliquod bonum quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, aut ſalutari, id eſt Euangelicæ, prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque Spiritus ſancti illuminatione & inſpiratione, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu*, &c. 3
Nunc ſubſumit auctor: *Cùm ergo iſti Theologi defendant, quòd qui conſentit gratiæ iuſtificanti, & ad illam vltima diſpoſitione ſe præparat; abſque vlla inſpiratione gratiæ præmouente, ſed ſolùm ex innata ſibi libertate operatur; videant an hæretico fallantur ſpiritu, & an intelligant vocem Dei dicentis, Sine me nihil poteſtis facere.* Quis hæc & ſimilia plurima legens non putaret noſtros grauiſſimis erroribus implicitos? ſed reuerà nihil niſi fumos & vmbras eſſe ex dictis facilè intelligi poteſt. Reſpondeo tamen Canonem iſtum ne in ſpeciem quidem contra noſtram ſententiam facere, cùm non per naturæ vigorem, ſed tantùm per gratiæ præuenientis auxilium dicamus omne bonum ad ſalutem pertinens ab homine fieri poſſe. Quare veritati parcitur dum dicitur, *noſtros defendere, eum qui conſentit gratiæ iuſtificanti, abſque vlla inſpiratione gratiæ, ſolaq́; innata libertate operari.* nullum eſt in ſcriptis noſtrorum veſtigium, vnde hoc auctor potuerit colligere. & tantum abeſt vt defendant, vt pluſquam decem locis Molina refutet: vt cap. 10. oſtenſum eſt. Sed nimirum hoc auctor ex noſtra ſententia euidenter colligi putat, eò quòd dicamus voluntatem per gratiam non prædeterminari, eamq́ue poſſe gratiâ vti vel non vti, in opus eam intendere vel negligere. Itaque iuxta auctoris ſententiam; Qui affirmat hominem poſſe aliquid boni cogitare aut eligere per auxilium ſufficiens abſque gratia phyſicè prædeterminante, (quam ipſe putat hoc loco ſignificari nomine inſpirationis Spiritus ſancti) hic hæretico fallitur ſpiritu, contradicit Domino dicenti: *Sine me nihil poteſtis facere.* & Apoſtolo: *Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis.* denique hic aſſerit, hominem per naturæ vigorem aliquid boni ad ſalutem pertinens poſſe facere, &c. Multo fortaſſe veriùs diceretur, Qui negat hominem aliquid boni poſſe cogitare aut eligere per auxilium ſufficiens abſque auxilio prædeterminante, hæretico fallitur ſpiritu, vel certè per ignorantiam decipitur, & ſuammet vocem ignorat. Nam & ipſemet cap. 7. docet per auxilium ſufficiens aliquid boni fieri poſſe.

Incommoda ex ſententia auctoris.

Quartum, ex Can. 9. *Diuini muneris eſt cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. quòties enim bona agimus,* 4

mus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur. Non ergo, inquit auctor, *ſalua fide aſſeuerari poterit, quòd ſola ſua voluntate conuertitur.* Reſpondeo: Concedo totum. ſed quis aſſeuerat hominem *ſola* ſua voluntate conuerti? ſatis hæc impoſtura in ſuperioribus detecta eſt & reiecta. Non enim quia non fit conuerſio per auxilium prædeterminans, ideò *ſola* voluntate fieri dicenda eſt, vt hic interpretatur: alioqui quod fit per auxilium ſufficiens, fiet *ſola* voluntate; non erit diuini muneris, non operabitur illud Deus in nobis, aut nobiſcum. quæ omnia à ſano ſenſu ſunt aliena.

5 Quintum, ex Can. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari; quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Vnde ipſa Veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Infert auctor: *Si ergo liberum arbitrium per peccatum infirmum eſt, debile atque ſaucium, non poteſt propria virtute in opera conuerſionis, quæ ſani hominis ſunt, aſſurgere, niſi à Deo ſanetur ac roboretur, quod auxilio efficaci præueniente perficitur.* Reſpondeo: In hoc Canone nulla eſt vmbra auxilij prædeterminantis: ſolùm enim definitur, hominem non poſſe ſine gratia iuſtificari; quod etiam reliquiæ Pelagianorum admittebant. Itaque ſolùm valet contra puros Pelagianos. Notandum autem eſt auctorem hîc requirere auxilium efficax, vt liberum arbitrium debilitatum per peccatum originale, ſanetur & roboretur, vt valeat in opera ſani hominis aſſurgere. Quomodo igitur paſſim docet illud requiri ratione primæ cauſæ, quę priùs moueat & influat quàm cauſa ſecunda? deinde, ſi liberum arbitrium ita per gratiam efficacem ſanatur & roboratur, vt valeat in opera ſani hominis conſurgere, ergo poteſt opera ſani hominis edere abſque alio auxilio efficaci, quo ad ſingula prædeterminetur; iam enim eſt ſanum & corroboratum. vel ſi debet prætereà ad ſingula opera, per ſingula auxilia prædeterminari; quorſum dicitur ita ſanari & corroborari per auxilium efficax, quo conuertitur vt valeat in opera hominis ſani conſurgere? cùm non minùs egeat nouo auxilio ad iſta opera, quàm ſi ſanatum non eſſet; imò non minùs quàm ad ipſam ſanitatem adipiſcendam. Itaque verba ſunt hæc, quæ mentem non explent.

Hic requiritur auxiliũ efficax ratione debilitatis ex peccato relictæ.

ἀσύστατον.

6 Sextò, adducuntur Can. 14. 15. 18. 20. 23. ſed ſimpliciter & abſque auctario ſolito. vnde non eſt opus alio reſponſo, quàm nos hæc omnia libentiſſimè confiteri, & nihil vel in ſpeciem facere ad propoſitum auctoris. imò ſi iuxta illius mentem allegentur de auxilio prædeterminante, facile erit oſtendere multa ex illis ſequi quæ nullus

Catho-

Catholicus audebit admittere. vt hominem nihil boni poſſe facere per auxilium ſufficiens: ad omne opus bonum requiri gratiam prædeterminantem, quam habere non ſit in hominis poteſtate, & qua habita opus neceſſariò fiat. & alia huiuſmodi. In Can. 23. non parum videtur aduerſari ſententiæ illorum, cùm dicitur: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet.* Quomodo enim non faciunt eius voluntatem, cùm faciant opus poſitiuum quod ipſe ab æterno decreuit vt ab ipſis fieret?

Septimum, ex Can. 24. *Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed accipiant vnde viuant: ſic quippe vitis eſt in palmitibus, vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare: qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice viuere.* Addit auctor: *Quid ergo prodeſt cum tenentibus contrariam ſententiam gratiam adiuuantem non præuenientem ſua motione conſtituere, cùm hæc nihil conferat palmiti, vt incipiat ex vita quam accipit operari?* & infrà dicit, *illos ponere gratiam ſufficientem, quæ liberi arbitrij velle præcedat in ratione entis, non in ratione cauſæ; eamq; nihil cauſare in voluntate quo præmoueat illam vt operetur; ſed liberum arbitrium prius eſſe in cauſando ipsâ gratiâ. vt enim gratia adiuuet, expectat liberi arbitrij determinationem.* 7

Gratia non cauſat aliquid à ſe diſtinctũ, quo voluntas determinetur ad cõſenſum.

Duæ determinationes in volũtate, ex ſententia auctoris.

Reſpondeo: Qui tenent contrariam ſententiam, omnino conſtituunt gratiam præuenientem & præmouentem; cùm ipſa gratia præueniens ſit motio diuina, ſeipſa formaliter mouens & inclinans voluntatem ad operandum. Fatentur tamen hanc gratiam non cauſare motionem aliquam à ſe diſtinctam in voluntate, per quam fiat conſenſus, vel voluntas determinetur ad conſenſum priùs naturâ, quàm ipſa ad conſenſum concurrat; vt imaginatur auctor. Si enim gratia deberet aliquid à ſe diſtinctum cauſare in voluntate quo præmoueat illam vt operetur (vt hîc dicitur) iam duæ determinationes eſſent neceſſariæ in voluntate, priores naturâ quàm ipſa operatio voluntatis; nempe gratia efficax, & motio quam cauſat hæc gratia in voluntate vt operetur. Si dicas hanc motionem nõ diſtingui ab actu voluntatis; quomodo ergo eſt prior quàm operatio voluntatis? quomodo per illam præmouetur voluntas vt operetur? Illud enim *præmoueri*, ſignificat eam moueri priùs naturâ quàm operetur. eſt ergo aliud quàm ipſa operatio, & etiam quàm productio operationis. Nam producere operationem non eſt prius quàm operari; cùm operari nihil

nihil ſit aliud quàm operationem producere; & vitaliter operari, producere operationem vitalem in ſeipſo. Sed ſuperuacanea eſt huiuſmodi motio & commentitia, cùm ipſa gratia efficax ſit motio quædam per quam voluntas formaliter mouetur & impellitur vt operetur. Eodem modo non eſt neceſſe vt auxilium ſufficiens cauſet in voluntate aliquem motum à ſe diſtinctum, quo voluntas moueatur priùs naturâ quàm influat in conſenſum; cùm ipſam per ſe voluntatem moueat, trahat, & roboret ad conſenſum; ſic tamen vt voluntas poſſit huic tractui reſiſtere; quod neceſſarium eſt ad libertatem. Falſum igitur eſt, noſtros ponere gratiam ſufficientem quę liberi arbitrij velle pręcedat in ratione entis tantùm, non in ratione cauſæ. quia antequam velle ſit, incitat, impellit, & vires tribuit libero arbitrio vt illud eliciat: dum autem liberum arbitrium illud elicit, ſimul cooperatur vt cauſa partialis principalis. vnde ipſum velle procedit ab auxilio iſto, & tamquam à cauſa morali, nempe ratione tractus & ſuaſionis præcedentis; & tamquam à cauſa phyſica principali, ratione influxus realis in illud velle; à quo influxu habet quòd ſit actus ſupernaturalis. Vnde etiam falſum eſt, liberum arbitrium (noſtrâ ſententiâ) priùs eſſe, quàm gratiam, in cauſando velle: quia etſi liberum arbitrium quodammodò determinet gratiam, quatenus ea vtitur, vt hîc & nunc influat in opus (quod ſalua fide negari non poteſt) id tamen non facit, niſi iam corroboratum gratiâ, & ea ſimul cooperante. Secundùm mentem auctoris, gratia debet præcedere ipſum velle in cauſando; ac proinde aliquid cauſare effectiuè quod ſit prius quàm ipſum velle; & ſic manifeſtè ponit duas prædeterminationes in voluntate quæ ſint naturâ priores quàm ipſum velle, vt etiam inſinuauimus ſuprà cap. 9. in fine.

Præcedit gratia ſufficiens in ratione cauſa.

Quod ex Proſpero adducitur, ad rem non facit. non enim vult dicere, *gratiam conſtitui pediſſequam* ex eo quòd liberum arbitrium dicatur ea vti, eamque ad agendum hîc & nunc determinare (vt vult auctor) agit enim de baptiſmo paruulorum qui nondum poſſunt vti gratia: & dicit eos qui affirmant illis paruulis morituris dari gratiam baptiſmi, qui, ſi perueniſſent ad iuſtam ætatem, præſciebantur à Deo id viribus ſuis promerituri; iis autem non dari quos Deus ſciebat id non promerituros; eos, inquam, ſubiicere gratiam humanæ voluntati, etiamſi gratia videatur præuenire. quia etiamſi gratia detur ante merita voluntatis humanæ in illis paruulis; tamen datur propter merita ex hypotheſi præuiſa, & ita ſubiicitur humanæ voluntati, id eſt, datur propter meritum bonę voluntatis ſolis naturæ viribus con-

Gratiam eſſe pediſſequam, quid.

Explicatur mens D. Proſperi.

cipiendæ. Quid, obſecro, hæc faciunt ad ſententiam de qua diſputamus? quis non ſuſpicetur auctorem vel non intelligere quid dicat, & de quibus affirmet, vel non ex fide diſputare? Ad Can. 4. Concil. Arauſic. reſponſum eſt in ſolutione primi argumenti. Quòd verò hîc rurſus ingeritur noſtrorum ſententia, *Gratiam in principio non plus conferre actioni quàm ſi non eſſet*; &, *iuxta modum dicendi noſtrorum pro ſola innata libertate voluntatem operari*; ficulnea machæra eſt iam ſæpiùs repulſa. Omitto quæ de intellectu & voluntate diſſerit, quia ad rem non faciunt.

Octauum, ex Concilio Senonenſi celebrato contra Lutheranos 8 anno 1528. in præfatione: *Accedentem ad Deum, oportet primùm diuinæ gratiæ munere adiutum credere, deinde bonis operibus intendere: in quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur & gratia; primò tamen & principaliùs gratia. quapropter qui hominem benè operari, & ſalutem conſequi arbitratur abſque gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio aſſcribit, non gratiæ, Pelagianus cenſendus eſt*. Addit auctor mantiſſam ex more: *Caueant igitur qui contrariam ſententiam tuentur, ne Pelagianorum nomine recta ratione dicantur qui in bono opere libero arbitrio primatum aſſcribant, non gratiæ.*

Quomodo primatus tribuitur gratiæ in bonis operibus.

Reſpondeo: Non aſſcribimus primatum libero arbitrio, ſed gratiæ; tum quia gratia allexit & attraxit, antequam homo quidquam de bono cogitaret; tum quia vires tribuit; tum quia opus habet à gratia, non à libero arbitrio, quòd ſit ſupernaturale, & dignum cæleſti præmio. Putare autem primatum non poſſe tribui gratiæ, niſi ipſa prædeterminet voluntatem eamque moueat, & opus bonum operetur priùs naturâ quàm voluntas concurrat (vt auctor putat) non tam, vt apparet, eſt gratiæ tribuere primatum, quàm voluntati adimere libertatem. Si tamen ſpectemus in opere quòd hîc & nunc potiùs fiat quàm aliàs, huius circumſtantiæ præcisè conſideratæ primaria cauſa eſt libertas arbitrij, quamuis non ſine auxilio gratiæ, vt explicatum eſt cap. 10. Multa adferri poſſent ex dicta Synodo Prouinciali, quæ gratiæ determinanti aduerſentur. Vt, *In noſtra poteſtate eſſe gratiam Dei in vacuum recipere, & illi cooperari: illa vti, & non vti*; vt ibidem habetur. & decreto 15. *Voluntatem humanam præuenientis miſericordiæ auxilio præuentam ſe conuertere in Deum, Deo appropinquare ſe præparare*. Deinde addit: *Neque tanta tamen gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet; & cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. nec de-*

nique

nique tale ſit huiuſmodi Dei trahentis auxilium cui reſiſti non poßit. *Gratiæ motioni & tractui poſſe reſiſti.*
Quòd autem loquatur in ſenſu compoſito, patet ex ſequẽtibus: *Fruſtrà Stephanus Iudæos duræ ceruicis & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent. Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret, Spiritũ ne extinguerent, ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur.* Quod ait Synodus; *Ne momentum quidem præterire, in quo non ſtet ad oſtium & pulſet*; non ſic, arbitror, intelligi vult, quaſi omni momento actu pulſet (id enim apertè falſum eſt) *Gratia non rapit ineuitabiliter.* ſed quòd crebrò pulſet actu, qui pulſus diu manet virtute; & intereà præſtò ſit omni momento vt nos iuuet, ſi quantum in nobis eſt, per illas reliquias, vel per præſentes vires fecerimus.

9 Nonum, ex Concil. Mileuitano, Can. 4. Sed nihil hîc aliud definitur, quàm per gratiam non ſolùm dari notitiam mandatorum, vt ſciamus quid agere debeamus (ſicut affirmabat, tandem poſt Concilium Palæſtinum, Pelagius) ſed etiam vt diligamus & valeamus illud facere. quod teſtimonium nihil, vel in ſpeciem, noſtræ officit ſententiæ; ſed ex eo rectè colligimus poſita ſententia auctoris nullum dari auxilium ſufficiens, nullum quo valeamus bonum facere, præter illud quod per ſe eſt efficax, &c.

10 Decimum, ex Enchirid. Synodi Colon. de ſacramento Pœnitentiæ: *Hæc gratia*, inquit, *diſtinguitur in gratiam operantem & cooperantem, ſeu in præuenientẽ & ſubſequentem. Vtramque in ſacris eloquijs expreſſam legimus. Pſaltes ait: Et miſericordia eius præueniet me, & miſericordia Dei ſubſequetur me. Deus enim nolentem præuenit, vt & benè velit, & volentem ſubſequitur ne fruſtrà velit, ſed perficere valeat. Operans ergo gratia eſt, quæ præuenit & præparat voluntatem, vt voluntas bona fiat, & quæ priùs erat ſerua peccati, liberetur; cooperans verò gratia voluntatem iam bonam factam ſubſequitur, vt quod iam vult bonum, perficere poßit. Nam voluntas hominis quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere adimplendum, niſi per gratiam liberetur & adiuuetur, ſecundùm Paulinam ſententiam, quam impij* (Lutherani) *pro ſua impietate detorquent. Non eſt, inquit, volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. hoc eſt, non eſt volentis* (principaliter) *benè velle, neque currentis currere, ſed miſerentis Dei, qui operatur in nobis velle, id eſt vt aſſentiamur vocationi, & currere, id eſt operari, pro ſua bona voluntate. Itaque non ideò miſeretur Deus hominis, quia ipſe homo voluit & cucurrit* (per ſolas liberi arbitrij vires) *ſed iam homo voluit & cucurrit quia miſertus eſt Deus.* intellige, per ſuam vocationem & inſpirationem, vt ſupra c. 8.

num.7.& 8.ex Auguſtino explicuimus, ex quo omnia hæc deſumpta ſunt: quæ ideò adduxi, quia auctor inſinuat hîc in terminis noſtram ſententiam refelli.

Auxilium determinans non rectè dici gratiam cooperantem, adiuuantem, præparantē.

Sed respondeo, nos omnia hæc libentiſſimè admittere: imò multis modis gratiam determinantem ex his refutari poſſe. Non enim gratia determinans rectè dici poteſt *gratia cooperans*, ſed *operans* tantùm, imò *præoperans*, cùm priùs naturâ operetur conſenſum quàm noſtra voluntas; & ita operetur vt voluntas non poſſit reſiſtere. ſimiliter non poteſt dici *gratia adiuuans*, ob eamdem cauſam. quomodo enim adiuuat, quæ totum facit priùs naturâ quàm altera ei cooperetur, & cuius operatio non pendet vllo modo ab altera? Neque rectè dicitur *præparare* voluntatem ad conſenſum, cùm producat ipſum conſenſum independenter à libero concurſu voluntatis. Adde, ſi auxilium determinans eſt neceſſarium; verum erit quod ex illo loco Pauli inferebant Lutherani, velle & currere non pendere à libero arbitrio, ſed ſolùm à gratia. ideò enim volo, ideò curro, quia Deus ad hæc meam voluntatem ijs temporibus & momentis quibus prædeſtinauit vt vellem & currerem præmouet & prædeterminat, cui motioni reſiſtere non valeo.

Sed addit auctor alia quædam verba ex eodem Enchiridio poſt duas paginas, quæ difficultatem habere videntur, etſi non contra ſententiam quam ipſe oppugnat. *Hanc autem gratiam iuſtificantem* (inquit Enchiridion) *voluntas noſtra, vt ſuprà diximus, comitatur ac veluti pediſſequa ſubſequitur; non quidem tempore, ſed causâ tātùm & naturâ. Voluntas enim in iuſtificatione noſtra gratiæ quodammodò cooperatur, ſic vt iuſtificatio noſtra ſine voluntate & conſenſu accipientis non perficiatur.* Vbi videtur inſinuare conſenſum voluntatis eſſe naturâ poſteriorem quàm ſit iuſtificatio ſeu infuſio gratiæ. quam ſententiam, etſi ad pręſens negotium non pertineat, ſuprà cap.9. nu.11. oſtendimus eſſe falſam. Verùm ſi quis benè aduertat, Enchiridion per *gratiam iuſtificantem* non intelligit gratiam habitualem, ſed auxilium præueniens & perducens ad iuſtificationem. Patet id per exemplum quod ſubijcit, & eius applicationem: *Oculus*, inquit, *ſolem videre non poteſt, niſi ſolis lumen oculum præueniat vt videat. interdiu tamen ſole lucente libera eſt intuitio, hominiq́; liberū eſt oculos claudere, ne ſolis lumen admittat, aut aperire vt recipiat:. haud ſecùs impio liberum eſt præueniente ſe diuinæ illuminationis gratia à peccato reſurgendi eam accipere vel non accipere, Deo præuenienti & per bonum cogitatum ad pænitentiam excitanti dare vel negare conſenſum, velle vel*

Enchiridion no ponit Gratiā habitualem priorem diſpoſitione.

nolle

nolle pænitere, &c. quæ verba etiam apertè gratiam determinantem excludunt: ſicut & illa eiuſdem Enchiridij: *Septimò, retinendum eſt, ſitum eſſe in hominis voluntate vt gratiam Dei oblatam vel recipiat, vel repudiet.* Hæc & ſimilia non erant omittenda quæſtionem ex illo Enchiridio expendere volenti.

11 Vndecimum, ex Synodo Moguntina celebrata anno 1549. vbi cap. 7. ſic dicitur: *Talis autem iuſtificationis initium ex Dei gratia prouenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores ſunt, excitati & adiuti, & eidem gratiæ ſic excitanti & adiuuanti conſentientes & cooperantes, ad iuſtificationem diſponuntur.* Reſpondeo: Hoc teſtimonium apertè à nobis facit, dum inſinuat eamdem gratiam quæ excitat eſſe cooperantem & adiuuantem ad conſenſum. qui autem inducunt prædeterminationes, negant excitationem eſſe illam gratiam quæ parit conſenſum: ſed hoc tribuunt gratiæ prędeterminanti. Deinde adiuuare, & cooperari, non propriè conuenit gratiæ prædeterminanti, vt paulò antè oſtenſum eſt.

12 Duodecimum, ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Addit auctor de ſuo: *Contraria ſententia apertè profitetur, hominem actibus ex viribus naturæ profectis gratiam iuſtificantem adipiſci.*

Reſpondeo: Quorum eſt iſta contraria ſententia? Si noſtris tribuitur, vt hîc ſatis inſinuatur, aperta eſt impoſtura. Vbi enim hoc profitentur, non ſolùm apertè, ſed vel per vmbram? quibus verbis? ſed nimirum, quia non requirimus inſpirationem prædeterminãtem, ideò affirmat nos ponere hominem ſolis naturæ viribus poſſe iuſtificationem adipiſci. quaſi verò gratia non determinans non ſit gratia, aut qui per hãc gratiam aliquid facit, per vires naturæ id faciat. quod ſi verum eſt, quomodo cap. 7. dixit eſſe quoddã auxilium ſufficiens, quo ſi quis benè vtatur, dabitur ei efficax? Si dicat nos illo non poſſe benè vti ſine efficaci, quomodo ergo dicitur eſſe ſufficiens? quomodo dicitur, Si quis eo benè vtatur, dabitur ei efficax? nónne hæc meritò alicui videri poterunt offuciæ merę, & verborũ præſtigiæ animis hominum deludendis, vt putent auctorem agnoſcere auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci? Hæc fuſiùs proſecutus ſum, vt intelligatur quàm ſolidè, ſcilicet, illa ſententia ex Scripturis & Conciliis, à ſuis auctoribus confirmetur, & noſtra oppugnetur. ex quibus etiam colligi poteſt, quid de teſtimoniis Patrum (quæ plurima citantur) ſit

expectandum. Vnde non opus erit ſingula excutere, ſed ſolùm præcipua, in quibus aliquod veſtigium illius ſententiæ. Hoc interim monuerim, vix eſſe vllum, quod non multis modis contra illam ſententiam retorqueri poſſit.

CAPVT XIII.

Reſpondetur ad præcipua Patrum teſtimonia, quę pro gratiæ determinantis neceſsitate per quinque Capita adferuntur.

PRimum ſit ex S. Dionyſio, de diuinis nominibus cap. 5. ſub finem: *Exemplaria dicimus eſſe ſubſtantificas rerum rationes in Deo vnitè præexiſtentes, quas Theologia prædeſtinationes vocat, & diuinas bonasq́; voluntates, rerum diſtinctiuas & effectiuas, iuxta quas is qui ſupereſſentialis eſt omnia entia prædeſtinauit & produxit.* Ita ad verbum reddenda ſententia Dionyſij. Addit auctor: *Aperta igitur ſententia fuit D. Dionyſij, quòd Deus per ſuam voluntatem prædefiniuit omnia in particulari & produxit.* 1

Non poteſt intelligi vt vult auctor. Reſpondeo: Hoc teſtimonium, ſi aliquid probat, non ſolùm conuincit Deũ prędefiniuiſſe omnia bona in particulari, & ea in homine producere; ſed etiam omnia opera mala, ſaltem ſecundùm ſuas entitates & circumſtantias poſitiuas; quod non videri conſentaneum fidei Catholicæ oſtendimus ſuprà cap. 3. & 4. abſit vt tam ſancto & ſapienti viro tale dogma impingamus. Non ſic illum ſentire, confirmari poteſt ex Damaſceno lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 30. vbi etſi optimè ſciret hanc Dionyſij ſententiam, tamen affirmat *Deum omnia quidem præſcire, ſed non omnia prædeſtinaſſe, ſeu prædefiniuiſſe:* (vtitur eodem verbo, quo Dionyſius, προορίζειν) *vt ſunt*, inquit, *ea quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Idem docet Dialogo contra Manichęos, vt ſuprà diximus.

Mens Dionyſij. Quid ergo vult Dionyſius, cùm ait, *Iuxta quas omnia prædeſtinauit & produxit?* Loquitur de rebus per primam creationem productis, vt Pachimerius & Maximus exponunt. has enim omnes ipſe prædeſtinauit, & ſecundùm ſuam prædeſtinationem produxit; tales efficiens ſingulas, quales vt eſſent prædefinierat: nõ quòd nullæ aliæ ab ipſo prædeſtinatæ ſint aut productæ; ſed quia ex his exemplaria & prædeſtinationes in Deo eſſe clariùs elucet. Itaque iſta ad actiones liberi arbitrij non pertinent.

Secundum, ex S. Ephræm Syro in confeſſione ad Deum: *Quemadmodum terra, licet ſeminata, nequit à ſeipſa fouere germina ſine boni-* 2

tatis

tatis tuæ viſitatione: ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi beneficio gratiæ tuæ, niſi per ipſam fructificauerit iuſtitiæ fructum. Non ergo (infert auctor) *ſufficit gratiam Dei ſeu auxilium percipere, niſi gratia fructificet & faciat liberum arbitrium fructificare: cuius oppoſitum docent iſti Theologi cum ſuis, ponendo gratiam, quæ voluntatem præcedat eſſendo, ſubſequatur operando.*

Reſpondeo: Hæc criminatio iam ſæpè depulſa eſt; ſed nimirum auctor more ſuo interpretatur, gratiam non facere vt liberum arbitrium fructificet, niſi illud per eam ad fructificandum phyſicè prædeterminetur ita efficaciter, vt ei reſiſtere non poſſit. vnde paſſim vocat illam gratiam *potentiſſimam, efficaciſſimam; cui ſi quis poſſet reſiſtere, poſſet euertere conſilium Dei, & reſiſtere eius omnipotentiæ*, vt patet cap. 10. 11. 12. 26. 27. Nos autem, vt cor humanum per gratiam fructificet iuſtitiæ fructum, huiuſmodi prædeterminationem minimè requirimus, ſed dicimus ſufficere eam gratiam qua cor ſeipſum ad fructificandum determinet: ita vt illa ſtante poſſit ſe non determinare, & ei reſiſtere.

3 Tertium, ex D. Auguſtino de prædeſtin. Sanctorum cap. 2. *Quod ergo pertinet*, inquit, *ad religionem & pietatem, de qua loquebatur Apoſtolus, Si non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profectò nō ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus; ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipimus, ex Deo eſt. Quocircà ſibi nemo ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum, quod iam iſti fratres, ſicut ſcripta veſtra indicant, verum eſſe conſentiunt (vnde in omni opere bono incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt), ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hinc colligit auctor cap. 13. *Si D. Auguſtino credimus, peiùs Gallis hos Theologos erraſſe reperiemus Illi namque in bonis operibus principium & conſummationem Deo conferebant, in ſola fide noſtrum incipere, Dei autem perficere aſſeuerantes: hi verò in omnibus operibus bonis, ſibiipſis tribuunt initia; Deo autem adiuuāre, quod ipſi cœperint*, &c. quæ adiungit cum ingenti vehementia ῥητορείων.

Reſpondeo, fumos hos eſſe meros, & puerorum terriculamenta. neque enim noſtram ſententiam ex fide tractat, neque verba D. Auguſtini intelligere videtur. *Incipere* enim opus bonum, hoc loco, non eſt priùs naturâ inchoare actionem, quàm gratia cooperetur & iuuet (quo modo auctori noſtram ſententiam paſſim interpretari placet) *Explicatur mens Auguſtini.*

ſed

ſed eſt concipere propoſitum boni operis, v. gr. ſeruandæ caſtitatis, agendæ pœnitentiæ, &c. *Perficere* autem opus bonum, eſt illud vſque in finem exequi. *Inchoare fidem*, vel incipere credere, eſt concipere propoſitum credendi quale oportet; & actu aliqua credere. Galli igitur clerici initio dicebant hominem abſque gratiæ auxilio poſſe non ſolùm *credere*, ſed etiam *incipere bonum opus*, id eſt, concipere propoſitum benè viuendi; non tamen *perficere*, ſeu exequi in finem. poſteà verò conuicti, fatebantur *initium bonorum operum*, ſeu propoſitum rectè viuendi, eſſe ex gratia; volebant tamen *initium fidei* eſſe ex nobis. vnde D. Auguſtinus probat hîc etiam *initium fidei* eſſe ex gratia. Quid, obſecro, noſtra ſententia habet commune cum hoc errore Gallorum, qui non ſolùm *initium boni operis*, id eſt, omne bonum velle, ponimus eſſe à gratia, tamquam à cauſa principali; ſed etiam ipſum initium fidei, id eſt, affectum credendi, & iudicium illud quo iudicamus hæc eſſe credenda, nullumque eſſe animi bonum motum, qui non ſecundùm ſe totum, & omnes rationes ſuas formales, à gratia procedat? Quòd ſi argumentum auctoris aliquid contra nos valet, dicendum erit eos qui gratiam prædeterminantem non agnoſcunt, ſibiipſis (iuxta mentem Auguſtini) tribuere principium fidei & bonorum operum, Deo verò poſteriora; Gallis peiùs errare, initium bonorum operum ſibi in ſuam partẽ vſurpare; aperto Marte Apoſtolo reluctari, dicenti, *Quid habes quod non accepiſti*; teſtari initiis operum ſe gratiam mereri; quod Dei eſt, non furari tantùm, ſed rapere; ſibi ſufficientiam incipiendi adſcribere; in Spiritus ſancti dicta recalcitrare; D. Auguſtini doctrinam cum ludibrio reprobare; & ſimilia, quæ in hoc argumento auctor congerit. Non poſſum ſatis mirari, in tanta luce, adhuc eſſe aliquem tam Cæcilium.

Gallorum error.

Paradoxa.

Quartum, ex eodem libro D. Auguſtini cap. 6. *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt. volunt ergo iſti credere; nolunt autem illi. quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* 4

Reſpondeo: Non loquitur Auguſtinus de præparatione per gratiam prædeterminantem, ſed per vocationem congruam, vt patet ex lib. 1. qu. 2. ad Simplicianum, & oſtenſum eſt ſuprà cap. 8. nu. 6. 7. 8. per hanc enim dicitur Deus *miſereri*, & *præbere miſericordiam*. Auxilium prædeterminans non præparat voluntatem vt ipſa velit credere, ſed eodem momento quo eſt, ponit ipſum conſenſum, priùs naturâ, quàm voluntas cooperetur, vt ipſi affirmant. Itaque ex

Auxilium determinans non præparat voluntatem ad cõſenſum, ſed vocatio congrua.

ex hoc ipſo teſtimonio potiùs refellitur quàm ſtabilitur.

5 Quintum, ex cap. 15. eiuſdem libri: *Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit; ipſe in nobis, membris eius, præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat.* & infrà: *Ille facit in hominibus principium fidei*, &c.

Reſpondeo, nos hæc non negare, ſed libentiſſimè amplecti & certò tenere: hinc tamen non ſequi vlla probabilitate, nos ad voluntatem credendi debere prædeterminari, quod erat probandum.

6 Sextum, ex cap. 18. *Eligit ergo nos*, &c. Sed hîc nihil aliud dicitur, quàm nos eſſe electos à Deo, non quia per vires naturę futuri eramus ſancti & immaculati; ſed vt eſſemus ſancti & immaculati. quo modo hinc eliciemus auxilium prędeterminans? non magis premunt reliqua, quæ ex eodem Auguſtino auctor hoc cap. profert. Itaque non erat cur diceret, *eos qui gratiam prædeterminantem non agnoſcunt, D. Auguſtino in faciem reſiſtere, eiusq́; doctrinam cum ludibrio refutare & refellere.* Etiam Caluin. l. 2. Inſtit. cap. 3. à ſe ſtare Auguſtinum affirmat in gratia efficaci aſſerenda: & tamen contrarium verum eſſe ſcimus. potiore iure fortaſſe quis dixerit, eos qui gratiam prædeterminantem ratione dependentiæ à prima cauſa ſtatuunt, & hanc D. Auguſtini teſtimonijs confirmare ſtudent, non intelligere D. Auguſtinum, & ἀπροσδιόνυσα loqui.

7 Septimum, ex Cyrillo lib. de adoratione in ſpiritu; vbi cùm explicaſſet quomodo Angeli cunctantem Loth, vxorem & filias, apprehenſa manu eduxerint, ſubijcit: *Indicium autem tibi ſit valdè manifeſtum, dum non ſolis verbis nos extimulat, & adhortationibus menti immiſſis vt diſcedamus à peccato; ſed tantam benignitatem nobis etiam exhibet vniuerſorum Saluator Deus, vt efficaci ſubſidio adiuuet; ſecundùm quod ſcriptum eſt: Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. nam quia hominis natura non eſt multùm generoſa, nec ſatis virium habet vt malum effugere poſſit, opem illi fert ea in re Deus, & duplex beneficium concedere videtur, perſuadens admonitionibus, vt ſubſidium inueniamus, & fortiùs illud præſtans, quàm vt malum præſens & violentum præualere poſſit.*

Reſpondeo, hinc nihil aliud ſequi, quàm Deum non ſolùm monere & hortari, ſed etiam vires prębere, quibus ſimus potentiores malo: non tamē quia auxilium *efficax* nominat, ideò vult illud eſſe tam efficax, vt voluntatem prædeterminet, ita vt ei reſiſtere non valeat. Tale auxiliū non agnoſcere Cyrillum patet ex ſequētibus; *Salua animam tuã*, &c. Adde, Cyrillum hîc loqui de auxilio neceſſario ob ho-

V minis

minis debilitatem, non ob primæ cauſæ rationem. quid ergo facit ad præſentem cauſam?

Octauum, ex Hieronymi Commentarijs in cap. 2. ad Epheſios: 8
Vbi (inquit auctor) *tanto fœdere humanam voluntatem diuino auxilio aſſociari edocet, vt nō ſolùm opera, ſed & arbitrij ipſa libertas, Deum habeat auctorem. non eſt hæc iſtorum confeſſio, dicunt enim Dei auxilium & hominis liberum arbitrium partialiter ad opus concurrere, veluti duo trahentes trabem, quorum nullus alium iuuat, ſed pro proprijs viribus pondus quiſque portat: ſic aiunt diuinum auxilium hominis voluntatem non mouere, ſed ad opus illius etiam Deum ex parte operari: cuius contrarium aſtruit D. Hieronymus, dum ait quòd operationis & libertatis noſtræ auctor eſt Deus.*

Verba Hieronymi.

Reſpondeo: Vt appareat quàm dilutum ſit hoc teſtimonium pro gratia determinante; & hoc modo quidlibet ex quolibet, iuxta Anaxagoram, elici poſſe, referam verba Hieronymi: *Hæc ipſa fides non eſt ex vobis, ſed ex eo qui vocauit vos. hoc autem ideò, ne forſitan nobis cogitatio occulta ſubreperet; ſi per opera noſtra ſaluati non ſumus, certè vel per fidem ſaluati ſumus, & alio genere noſtrum eſt, quòd ſaluamur addidit itaque & dixit, fidem quoque ipſam non noſtræ voluntatis eſſe ſed Dei muneris. non quòd liberum homini tollatur arbitrium, & ſecundùm illud Apoſtoli ad Romanos, non ſit currentis neque volentis, ſed miſerentis Dei; verùm quòd arbitrij ipſa libertas Deum habeat auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cùm etiam nos bonum velle ipſe permiſerit: hoc autem totum propterea, ne quis glorietur à ſemetipſo, & non à Deo eſſe ſaluatum.* quæ verba potiùs egent explicatione ne videantur fauere Pelagianis, tantum abeſt vt vel in ſpeciem faueant gratiæ determinanti. Itaque non erat hîc vlla occaſio ſolitos figendi aculeos: quos ſuprà ſatis retudimus.

Quid Hier. vocet gratiā & donū Dei.

Pelagiani negarunt auxilium diuinæ protectionis & cooperationis.

Vt autem hæc & alia, quæ adduci poſſent ex Hieronymo contra Pelagianos, intelligantur: notandum eſt eum non tantùm vocare *gratiam & donum Dei*, id quod nobis per Chriſtum collatum eſt; ſed etiam *protectionem* & *cooperationē naturalem*, qua benignè nos protegit & cooperatur, etiam in operibus indifferentibus. Vtrumque enim auxilium negaſſe videntur Pelagiani, putantes ſufficere naturam à creatore ſemel eſſe conditam (quam vocabant gratiam primæ conditionis) nec opus eſſe vt poſteà Deus cooperetur: alioquin tolli liberum arbitrium. Et ſanè, non minus videtur difficultatis adferri libertati, ſi Deus ad ſingula cooperari debeat, quàm ſi gratia Chriſti neceſſaria dicatur. Hanc fuiſſe ſententiam Pelagianorum patet ex verbis

verbis Critobuli (quo nomine intelligit Pelagium) apud Hieronymum Dialogo 1. *Si in ſingulis rebus* (inquit Critobulus) *quas gerimus, Dei vtendum eſt adiutorio: ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumq́. aptare literis; tacere, loqui; ſedere, ſtare; ambulare, currere; comedere, ieiunare; flere, ridere, & cetera huiuſmodi, niſi Deus iuuerit, non poterimus? Reſpondet Atticus* (quo nomine intelligitur Hieronymus) *Iuxta meum ſenſum non poſſe perſpicuum eſt. Critobulus: In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia cuſtoditur* (id eſt, parcitur gratiæ, vſus gratiæ non requiritur) *ſi ne hoc quidem abſque Deo poſſumus facere? Atticus: Non ſic donata eſt liberi arbitrij gratia, vt Dei per ſingula tollatur adminiculum.* & quæ ſequuntur. Rurſus epiſt. ad Cteſiphontem: *Fraudulenter prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras, ne ſcilicet liberum arbitrium videaris amittere; & cùm Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia. Audite quæſo, audite ſacrilegium. Si, inquit, voluero curuare digitos, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit? Audi ingrate, imò ſacrilege, Apoſtolum prædicantem: Siue manducatis, &c. & illud Iacobi: Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut cras proficiſcemur, &c.* Ex quibus patet, Pelagium negaſſe auxilium diuinæ cooperationis & protectionis. Hinc Hieronymus interdum, dum explicat Scripturas, in quibus agitur de gratia Chriſti propriè dicta, admiſcet auxilium diuinæ cooperationis & protectionis, quod per prouidentiam ordinis naturalis confertur, & in ſtatu nudæ naturæ neceſſarium fuiſſet. ſic in cap. 2. ad Epheſios, fidem exponit eſſe donum Dei ratione vocationis, & creationis liberi arbitrij, & cooperationis. Quid iſta ad impulſum prædeterminantem?

Explicatur Hier. locus in argumento adductus.

9. Nonum, ex D. Proſpero contra Collatorem, cap. 5. *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia eſt. Illi in omnibus iuſtis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationũ ex Deo ſemper credimus prodire principia. Tu informe quid tertium, & vtrique parti inconueniens reperiſti, quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentia permaneres: quo modo autem non aduertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis cõuinceris dicere, gratiam Dei ſecũdùm merita noſtra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas?* His verbis putat auctor nos valdè premi.

Reſpondeo: Nos cum D. Proſpero & omnibus Catholicis, bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia; adeò vt nullus bonus animi ſit motus, qui non à Dei inſpiratione exordium ſumat; non tamen à motione aliqua prædeterminante, vt auctor intendit. Caſſiani ſententia media erat, quia (vt ex Proſpero cap. 4. 5. 10. clarè patet) cum Pelagianis, ponebat in plurimis bonam voluntatem (id eſt, propoſitum benè viuendi) præcedere, & gratiam eſſe pediſſequam: cum Catholicis ponebat gratiam in quibuſdam præcedere bonam voluntatem, & ita vtramque ſententiam ſolùm ex parte admittebat. Nam Pelagiani volebant bonam voluntatem in omnibus præcedere gratiam; Catholici in omnibus gratiam eſſe priorem. Noſtra ſententia etiam media eſt inter ſententiam Caluiniſtarum & Pelagianorum. Nam cum Pelagianis contra Caluiniſtas profitemur, in operibus pietatis ſaluum manere liberũ arbitrium, nec vlla neceſſitate ad ea impelli: *Neceſſitatem* voco omnem inclinationem & impulſum, cui non poſſis reſiſtere. cum Caluiniſtis contra Pelagianos fatemur, nullum opus bonum, ad ſalutem pertinens, poſſe fieri ſine gratia. Qui autem gratiam determinantem requirunt, etſi longiſſimè à Pelagianis recedant, non ideò tamen in ſententiam Catholicam incidunt. Oſtendere enim debent, ſe in alterum extremum non impingere. Si enim bona voluntas haberi non poteſt, niſi gratia præueniens mentem ad illam determinet, potentiſſimè, efficaciſſimè ad illam moueat, cui motioni nemo reſiſtere queat, vt ipſi aiunt: quomodo manet libertas arbitrij? quomodo non impellimur neceſſitate? quomodo in poteſtate noſtra eſt, diſſentire? Denique quid aliud volunt hoc tempore Caluiniſtæ? hæc apertè explicanda, vt mens humana poſſit capere.

Caſſiani ſententia erat media.

Noſtra eſt media inter Caluiniſt. & Pelagianorũ.

Si dicas fieri non poſſe vt id apertè explicetur, ſed eſſe fide tenendum; id ſatis non eſt, nec mens acquieſcere poteſt. Vnde enim conſtat, id eſſe fide tenendum? vbi vel Scriptura diuina, vel ſacra Concilia tradunt impulſum prædeterminantem, cui præſenti voluntas reſiſtere nullo modo poteſt, non tollere libertatem, non adferre neceſſitatem? Quænam Eccleſiæ definitio, vel traditio id habet? Vbi id oſtenſum fuerit, credemus, etſi intelligere minimè poſſimus, & maximis ac difficillimis fidei noſtræ myſterijs ſit obſcurius. Quòd ſi id oſtendi non poteſt; quo iure fides exigitur? qua prudentia credemus rem tam nouam, tam difficilem, ratione prorſus repugnante? Meritò itaque explicationem aliquam, in qua mens acquieſcat, requirimus; præſertim cùm ratio libertatis, nõ ſit ſupernaturale myſterium,

ſed

ſed res planè naturalis, Philoſophis perſpecta, & lumine naturali perſpicuè intelligibilis.

Non magis vrgent ea quæ adducuntur ex c. 15. 16. & 26. eiuſdem Proſperi, & ex Epigram. 9. &c. Quis enim neget gratiam genitricem bonæ voluntatis, & creatricem bonorum operum? Si tamen id ſano modo intelligas. non enim gratia creat bonum opus in nobis independenter à noſtra libertate: ſollicitat quidem, ſuadet, & allicit ad illud, præueniendo noſtram libertatem; nō tamen illud abſolutè producit & creat, niſi ſimul naturâ cooperemur: adeò vt in noſtra poteſtate ſit, efficere vt illud creet vel non creet. Hinc tamen nō efficitur, vt liberum arbitrium priùs naturâ, quàm gratia in opus influat, aut vt aliquod initium iſtius operis ſine ope gratiæ facere poſſit; vt ſuprà ſæpiùs demonſtratum eſt, maximè cap. 10. *Quomodo gratia ſit creatrix bonorum operum.*

10 Decimum, ex D. Fulgentio, epiſt. 6. cap. 6 *Vt ergo quædam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat: & vt quædam ad meliora conſcendant, gratia ipſius eleuat; & vt in æternum permaneant, ipſa gratia viuificat & conſeruat. Caueant igitur*, inquit auctor, *aduerſæ ſententiæ aſſertores, ne, quod Dei donum & gratia eſt, ſibi tribuant, & non in Domino, ſed in ſeipſis glorientur, dum ſibi partem, & partem Deo ſuæ iuſtificationis adſcribunt. Omnia namque donat & facit in nobis Deus, incipit, perficit, & perſeuerantiæ donum continuat.* Ecce quomodo ex pumice fontes eliciuntur!

Reſpondeo breuiter: Si id quod operamur, abſque auxilio determinante, tribuitur nobis, & non gratiæ, neque eſt donum Dei; ergo id quod fit, per bonum vſum auxilij ſufficientis, tribuitur naturç, non gratiæ: & qui dicit per tale auxilium aliquid fieri poſſe, in ſe, non in Domino gloriatur; ſibi partem & Deo partem ſuæ iuſtificationis adſcribit. quod & per ſe abſurdum eſt, & auctori repugnans. Fatemur Deum omnia donare & facere in nobis, & incipere, id eſt, dare velle; ſed dependenter à noſtra libertate; ſic vt poſſimus auxilio accepto vti vel non vti: non autem, vt auctor intendit, creando hæc in nobis independenter à noſtra libertate, & priùs naturâ, quàm voluntas liberè cooperetur. *Deus nō dat bona opera, niſi dependenter à libi arbitrio.*

11 Vndecimum, ex Athanaſio: *In tract. ſuper epiſtolas Pauli, in caput 2. ad Epheſios, explicans illud, Ipſius enim factura ſumus; vbi docet expreſſe, voluntatem noſtram à Deo immutari, & ipſa opera bona eſſe à Deo præparata, & prædefinita.*

Reſpondeo: Certum eſt tractatum illum non eſſe Athanaſij; ſed Theophylacti. nam eſt compendium Chryſoſtomi, & ibidem citat

Gregorium Theologum, qui Athanaſio poſterior. deinde nihil dicit amplius aut apertius quàm ipſe Apoſtolus; quod nos totum libenter amplectimur, & ex eo ſententiam aduerſam infirmamus. *Sumus igitur ipſius factura, creati in Chriſto*; quia per gratiam Chriſti, nobis in baptiſmo collatam, facti ſumus noua creatura, noui homines. Vtitur nomine *creationis*, vt quidam notant, quia ex nullis meritis præcedentibus, tamquam ex nihilo in moralibus. *In operibus bonis*, id eſt, ad bona opera: ideò enim renaſcimur in Chriſto, vt in nouitate vitæ ambulemus. *Quæ Deus præparauit*, præparando nobis gratiam, per quam bona opera faciamus: non illa tantùm quæ facimus, ſed etiam multa alia & perfectiora. Nõ tam parcè admetitur nobis Deus bona opera, vt ea tantùm quæ reipſa facimus, nobis ex parte ſua præparauerit; vt auctor intendit. Tantam enim dat gratiam, vt plura & perfectiora faciamus, & hortatur vt faciamus. cupit ergo illa fieri, & quantum eſt ex parte ipſius, præparauit illa, & prædefiniuit. nõ enim omnis prædefinitio eſt abſoluta, ſed eſt etiam prædefinitio conditionata, qua prædefinitur vt aliquid fiat, ſi ipſi cooperemur; ſi ipſius gratiæ non deſimus. Imò omnis prædefinitio bonorum operum, quæ fit ante præuiſam cooperationem, talis eſt.

Quomodo Deus præparauerit opera bona.

Duodecimum, ex Gregorio homil. 33. in Euang. vbi dicit, *Chriſtum traxiſſe per miſericordiam intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris.* 12

Reſpondeo, hunc *tractum* non fuiſſe motionem prædeterminantem, ſed vocationem cui poterat reſiſti. Etiam tentatio eſt tractus, & tamen non prædeterminat. *Trahitur* homo ad conſenſum internum, vel ſola obiecti oſtenſione, vel vlteriùs accedente aliquo præuio affectu voluntatis, qui oſtenſo obiecto vel naturaliter in voluntate reſultat, vel diuina inſpiratione concipitur; ſed tali tractui reſiſti poteſt. Ad opus autem externum, trahimur libero noſtro conſenſu: quo poſito, neceſſariò quidem ſequitur opus externum: ſed quia iſte conſenſus eſt in noſtra poteſtate, vt ſit vel non ſit, vt continuetur vel non continuetur; etiam opus externum liberum eſt.

Quomodo trahatur homo.

Decimumtertium, ex Anſelmo de concordia præſcientiæ cap. 3. 13
Vbi demonſtrat, inquit auctor, *nihil boni poſſe hominem operari, niſi Dei gratia efficaciter eum adiuuet, & mouendo præueniat. Ratio eius habet in hunc modum. Dubium itaque non eſt, quia voluntas non vult rectè, niſi quia recta eſt*, &c.

Reſpondeo: Etſi hoc quodam ſenſu admitti poſſit; tamen Anſelmus loco citato nihil tale dicit: ſolùm docet, voluntatem non poſſe

velle rectitudinem (id eſt, iuſtitiam, rectè viuere) niſi iam antè eam habeat: ac proinde non poſſe hanc rectitudinem habere à ſeipſa, ſed tantùm à Deo. Si enim à ſe haberet; haberet illá vel volendo, vel non volēdo. Non volendo, quia non poteſt illá velle, niſi eam habeat: neque etiam nō volendo, quia id per ſe abſurdum eſt & nulla mens capit. Hinc concludit hanc rectitudinem non haberi niſi per gratiam Dei. de efficacitate gratiæ ad operandum, nullum verbum. Sed quid Anſelmus ſentiat in hac quæſtione, ſatis oſtenſum eſt ſup. c. 11. n. 12. *Voluntas non poteſt habere à ſe rectitudinem, ſeu iuſtitiam.*

14 Decimumquartum, ex Bernardo lib. de gratia & libero arbitrio: *Igitur qui rectè ſapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrij, ſed diuinæ gratiæ in ipſo, ſiue de ipſo. Prima creatio, ſecunda reformatio, tertia conſummatio. primò namque in Chriſto creati ſumus in libertatem voluntatis; ſecundò, reformamur per Chriſtum in ſpiritum libertatis, cum Chriſto deinde conſummandi in ſtatum æternitatis.* Et infrà: *Cùm igitur conſummatio fieri habeat de nobis, ſiue etiam in nobis, non autem à nobis; creatio verò facta ſit & ſine nobis: ſola quæ nobiſcum quodammodò fit propter conſenſum voluntarium noſtrum in merita nobis reputabitur reformatio.*

Reſpondeo: Nihil in his verbis eſſe quod vmbram referat gratiæ determinātis. *Creatio* (id eſt, iuſtificatio) facta eſt ſine nobis; quia paruuli baptizati ſumus. *Reformatio* fit nobiſcum, quia bona opera quibus de die in diem reformamur, non fiunt per ſolá gratiam, ſed cooperante libero arbitrio. vbi Bernardus apertè indicat liberum arbitrium eſſe cauſam partialem noſtræ reformationis: & ſimiliter gratiam; quia hæc duo ad eam concurrunt. Quòd ſi gratia priùs naturâ illam efficeret, quàm liberum arbitrium, non diceret eam fieri nobiſcum, ſed ſine nobis; ſicut paulò antè dixit, bonas cogitationes fieri ſine nobis, quia præueniunt liberum conſenſum. *Si ergo*, inquit, *Deus tria hæc (hoc eſt, bonum cogitare, velle, & perficere) operatur in nobis, primum profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit. Si quidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, ſibi per conſenſum iungit*, &c. Vult itaque Bernardus, illud *ſine nobis fieri*, quod præuenit noſtrum conſenſum. quare ſi productio boni operis per gratiam, prior eſt noſtro conſenſu; perſpicuum eſt ſine nobis fieri. Accedit, quòd in producēndo velle, gratia non præueniat noſtrum conſenſum ſeu cooperationem, iuxta Bernardum, ſed comitetur vt ſocia; quod repugnat gratiæ prædeterminanti. Idem pulcherrimè docet Bernardus his verbis eodem loco columna penult. *Ipſa* (gratia) *liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat*

Lib. arbit. cauſa partialis Bernardo.

Gratiam nō efficere priùs naturâ.

Sententia D. Bernardi de gratia præueniente & adiuuãte.

minat cogitatum; ſanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in ceteris comitetur: ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur; vt mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim, per ſingulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc & totum illa: ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa. His verbis Bernardus Primò excludit manifeſtè gratiam prædeterminantem ad conſenſum: quia vult, tantùm in primo (nempe in ſeminando cogitatu) gratiam præuenire; in ceteris non præuenire, ſed comitari; ideò enim præuenire per bonam cogitationem (ſub qua intellige etiam præuiam affectionem voluntatis) vt ei cooperemur. Deinde ſtatuit gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales conſtituentes vnam integram cauſam operis; ita tamen, vt non pars operis à parte cauſæ, ſed totum opus ab vtraque parte cauſæ fiat.

Hæc ſunt præcipua teſtimonia Patrum, quibus auctor per aliquot capita nititur gratiæ ex ſe efficacis neceſſitatem demonſtrare.

CAPVT XIV.

Reſpondetur ad teſtimonia præcipua D. Thomæ, quibus auctor probat Deum efficaciter voluntatem hominis præmouere.

PRimum eſt ex 1. p. qu. 19. art. 8. vbi D. Thomas quærit, vtrùm voluntas diuina rebus volitis néceſſitatem imponat; & reſpondet: *Diuinam voluntatem quibuſdam rebus volitis neceſſitatem imponere, non omnibus.* rationem refert in efficacitatem diuinæ voluntatis: *Cùm enim*, inquit, *aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantùm ſecundùm id quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi vel eſſendi. cùm igitur diuina voluntas ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri. vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi. & ideò quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quibuſdam cauſas contingentes*, &c. 1

Reſpondeo Primò, hunc locum pertinere potiùs ad probandum, omnia eſſe à Deo præuolita & prædefinita, quàm ad probandum

Deum præmouere cauſas ſecundas ad ſuos effectus. nulla enim hic mentio illius motionis vel determinationis.

2 Secundò, vt iſte locus etiam illud probet, neceſſe eſt ſic intelligi (quomodo auctor & quidam alij eiuſdem ſententiæ videntur planè intelligere) Deum ante omnia, & veluti in primo inſtanti, prædefiniuiſſe ſecundùm entitatem omnes effectus futuros, non determinando quomodo ſinguli euenire deberent: in ſecundo ſtatuiſſe vt certi quidam ex illis fierent neceſſariò, alij autem contingenter: in tertio illis aptaſſe cauſas neceſſarias, his contingentes. Sed hoc nullo modo dici poteſt, quia ſic non ſolùm ſtatueremus omnia ineuitabiliter euenire (non enim creatura impedire poteſt omnipotentem efficaciam diuini decreti) ſed etiam faceremus Deum auctorem peccatorum, non ſolùm materialiter, quomodo prauum opus dicitur peccatum, quando non liberè fit; ſed etiam formaliter. nam Deus procuraret vt actus praui non ſolùm fierent, ſed etiam liberè fierent ab homine: in quo modo fiendi conſiſtit eorum malitia. ideò enim, v. gr. blaſphemia eſt peccatum formaliter & iniuria in Deum, quia eſt actus talis liberè & cum rationis iudicio factus. abſit verò vt diuo Thomæ tantum errorem impingamus.

3 Aliter ergo hic locus explicandus: nimirum ex efficacia diuinæ voluntatis prouenire, vt quædam neceſſariò, quædam contingenter eueniant; quia ex illa prouenit inſtitutio cauſſarum neceſſariarum & contingentium, & quòd talem modum operandi habeant. non enim hunc modum operandi habent à ſe, ſed ex intentione Dei, & infinita eius virtute: vnde quòd aliqui effectus neceſſariò eueniant, alij contingenter, eſt ex diuina ordinatione; non qua ordinauit vel decreuit ante præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum, vt ſinguli effectus abſolutè ſic fierent; ſed qua ordinauit, vt cauſæ ſecundæ talem operandi modum haberent; idque ſiue effectus illi ſint propriè à Deo voliti, ſiue permiſſiuè. *Explicatur locus D. Thomæ.*

4 Secundum eſt ex 1. p. q. 105. art. 5. vbi dicit Deum operari in omnibus rebus, ***non ſolùm tribuendo eis vim operandi, ſed etiam eas mouendo & quaſi applicando virtutes earum ad operationem, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum***. ergo diuus Thomas ſentit cauſas ſecundas debere determinari à cauſa prima ad omnes ſuas operationes.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Numquam enim D. Thomas dixit cauſas ſecundas debere ad ſingulas operationes ſuas phyſicè prædeterminari. Imò multis locis expreſsè docet, voluntatem hu-

manam non determinari à cauſa prima determinatione præuenien-te,vt patet 1.2.q.1.ar.1.& q.10. ar.4. & alibi. Quòd ſi voluntas humana non determinatur iuxta ipſius ſententiam,neque etiam res naturales. quia eodem modo de omnibus cauſis ſecundis loquitur.

Explicatur mens D. Thomæ.

Deum ſecundùm tria cauſarum genera operari in omnibus.

Quod ad præſentem locum attinet, D. Thomas volens oſtendere Deum tribus modis, ſeu ſecundùm tria cauſarum genera operari in omni creaturarum operatione; 1. *per modum finis*, 2. *per modum primi agentis*, 3. *per modum tribuentis formam & conſeruantis eamdem in eſſe*: vt hoc explicet, vtitur modis quibuſdam loquendi generalibus,qui nõ ita ſtrictè & rigidè ſunt accipiendi,ſed iuxta ipſius ſcopum. Vt igitur explicet Deum in omnibus operari per modum primi agentis; ſic ait: *Quando ſunt multa agentia ordinata* (*videlicet coordinatione eſſentiali*) *ſemper ſecundum agens, agit in virtute primi. nam primum agens mouet ſecundum ad agendum. Et ſic omnia agunt in virtute ipſius Dei.* Vbi notandum eſt,locutionem illam, *Agens ſecundum agit in virtute primi*, tripliciter poſſe intelligi. Primò, ratione cuiuſdam impreſſionis tranſeuntis & determinantis agens ſecundum ad agendum: quo modo illi intelligunt. Sed hunc ſenſum putamus omnino falſum; & ſi verus eſſet, non pertineret ad hunc modum operandi, quem D. Thomas ſecundo loco ponit, quo Deus operatur vt primum agens: ſed ad tertium, quo operatur vt tribuens formam vel virtutem operandi. Secundò, ratione virtutis acceptæ à primo agente, & hic ſenſus verus eſt,ſæpeque hæc locutio ſic vſurpatur, ſed pertinet ad tertium modum, quo Deus dicitur agere in omni actione, quia virtutem agendi contulit & conſeruat. Tertiò, ratione virtutis increatæ ipſius primi agentis cooperantis; quatenus nulla creatura poteſt operari niſi virtute diuina,cui ſubeſt, cooperante. & hic ſenſus pertinet ad hunc ſecundum modum. Simili modo illa locutio, *Primum agens mouet ſecundum ad agendum*, tripliciter poteſt accipi. Primò,vt primum agens imprimat aliquem veluti impulſum præuium in cauſam ſecundam, ad agendum. & hic ſenſus falſus eſt, vt ſatis oſtenſum eſt ſuprà cap. 3. & 4. neque ſi verus eſſet, ad hunc ſecundum modum pertineret,ſed ad tertium. Nam ſi cauſa prima deberet producere in cauſa ſecunda aliquid præuium, id pertineret ad vim agendi cauſæ ſecundæ,ac proinde ad tertium modum. Secundò, ratione aſſiduæ conſeruationis virtutis acceptæ; quæ conſeruatio eſt veluti continuata motio & virtutis collatio perennis. ſed hic ſenſus ad tertium modum pertinet, vt dictum eſt. Tertiò, quia actio ſeu motio cauſæ ſecundæ pendet ab actuali influxu cauſæ primæ,

Agens ſecundum mouet in virtute primi, quomodo intelligendum.

Primũ agens mouet ſecundum.

primæ, tamquam prioris & ſuperioris, ſub qua omnes operantur, & ratione huius dependentiæ dicitur cauſa ſecunda moueri à prima ad agendum. non enim poſſet vllo modo emicare in vllum actum, niſi Deus influxum ſuum vniuerſalem, à quo actus ille pendet in ratione entis, præberet. Simili modo dicitur Deus *applicare*, vel *quaſi applicare* cauſas ſecundas: quia earum applicatio, à Deo tamquam à cauſa ſuperiore ratione concurſus pendet. Hæc autem *applicatio* non eſt quid præuium diſtinctum ab operatione cauſæ ſecundæ. Nam nulla præuia applicatio requiritur in cauſis ſecundis ex vi ſubordinationis ad primam, præter eam qua virtutem illarum producit & conſeruat. producendo enim illarum virtutem, eamque aſſiduo influxu conſeruando, ex parte ſua ſufficienter eas applicat ad agendum præſente obiecto aut paſſo. itaque nulla alia præuia applicatio requiritur. Eſt ergo illa applicatio de qua D. Thomas loquitur, non præuia ſed concomitans, nempe ipſe influxus & cooperatio Dei, quatenus eſt ratio & cauſa coniunctionis agenti creato cum ſua operatione, & cum obiecto vel paſſo. Applicare itaque cauſas ſecūdas ad operandum apud D. Thomam, nihil eſt aliud quàm illis cooperari, & ſua cooperatione efficere vt cauſæ ſecundæ cum ſua operatione & obiecto vel paſſo coniungantur.

Applicare.

6 Hanc eſſe mentem D. Thomæ probatur, Primò, ex ipſis Thomiſtis. Nam Caietan. 1. p. qu. 14. art. 13. ſoluens primum argumentum Scoti, ait, hanc propoſitionem, *Cauſa ſecunda mouet ſeu agit inquantum mota à prima, non poſſe intelligi de motione præuia propriæ actioni cauſæ ſecundæ; quia ſic tolleretur contingentia ſeu libertas; ſed de motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem. talis enim eſt,* inquit, *cooperatio primæ cauſæ, ſecundùm modum cuiuſque cooperantis cuique cauſæ ſecundæ.* Deinde ſoluens ſecundum argumentum, dicit, *cauſam primam non reſpicere effectum cauſæ ſecundæ priùs, quaſi in aliquo inſtanti naturæ effectus attingatur à cauſa prima, & in alio à ſecunda; ſed dici priùs reſpicere, quia independentiùs & immediatiùs immediatione virtutis attingit effectum quàm ſecunda, eodem tamen inſtanti naturæ effectum ab vtraque attingi.* Itaque Caietanus reiicit à ſententia D. Thomæ, omnem determinationem, qua cauſa prima determinet ſecundam præueniendo aut præmouendo. Eadem habet quęſt. 19. art. 8. Eodem modo D. Thomam explicat Conradus 1. 2. qu. 79. art. 1. idem argumentum Scoti ſoluens: *Nota*, inquit, *propter Scotum, quod non debet intelligi, quaſi prima cauſa in aliquo inſtanti attingat effectum & operationem cauſæ ſecundæ in ſeipſa, quaſi habeat*

Probatur ex Thomiſtis.

Si prima cauſa moueret ſecundā motione præuia, tolleretur libertas.

Cauſa prima mouet ſecundam motione nō præueniente, ſed cooperante.

Conradus.

Cauſa prima non mouet motione præuia.

Prius attingit, quia per ſe intimius, id eſt, ſecundum gradum eſſentiæ.

vnam motionem præuiam actioni creaturæ voluntatis peccantis, & illa motio præuia prius producat pro aliquo inſtanti, quàm voluntas. ille enim ſenſus falſus eſt. Et infrà: *Quare in propoſito intelligas, iuxta Doctoris ſancti mentem, Deum primò concurrere ad actum peccati, quia videlicet voluntas non agit niſi in virtute Dei, quæ tamen ſolùm habet motionẽ cooperatiuam; & prius attingit cooperando, quia intimius attingit; & non imagineris modo Stoico, quaſi ſit aliqua duratio naturæ, in cuius primo inſtanti Deus attingat actum peccati, & in ſecundo creatura.* Eodem modo intellexerunt D. Thomam antiqui Thomiſtæ, vt Capreolus, Soncinas, Herueus, Silueſter. vt patet ex dictis cap. 5. Denique Thomas VValdenſis lib. 1. Doctrinæ fidei antiquæ cap. 28. dicit Anſelmum & D. Thomam non ponere vllam neceſſitatem antecedentem, reſpectu actuum humanorum. *Neceſſitatem antecedentem* vocat principium effectiuum & omnẽ diſpoſitionem, vnde actus neceſſariò ſequitur, ita vt à voluntate non poſſit impediri: qualis eſt omnis impreſſio, impulſio, motio, applicatio prædeterminans.

Secundò probatur hanc eſſe D. Thomæ mentem: quia hic modus operandi per concurſum, non ille per impulſum prædeterminantem faciebat ad propoſitum diui Thomæ, vt oſtenſum eſt.

Tertiò, quia alioquin prætermiſiſſet præcipuum modũ quo Deus in omnibus operatur, nimirum per concurſum ſuum, cùm tamen intenderit ibi omnes explicare; quæ ratio planè conuincit. Confirmatur ex reſponſione ad tertium, vbi repetens omnes modos, quibus Deus in omnibus rebus operatur, ait: *Ad tertium dicendum, quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum; & eſt finis omnium actionum, vt dictum eſt.* Hîc ponit tantùm tres modos pertinentes ad rationem cauſæ efficientis, quibus Deus effectiuè dicitur operari in rebus. Primò, quia dat formam ſeu virtutem operandi; vbi comprehendit omnem vim operatiuam, ſiue permanens ſit, ſiue tranſiens. Secundò, quia hanc virtutem aſſiduè conſeruat, nempe continuo influxu illam veluti creando. Tertiò, quia illam applicat ad agendum. Niſi per hanc applicationem intelligeret concurſum, vt dictum eſt, omiſiſſet præcipuum modum, & proprium primæ cauſæ. quod abſurdum eſt opinari de tanto Doctore. Denique, alioquin dicendum erit D. Thomam ſenſiſſe Deum propriè mouere & applicare voluntatem creatam ad odium Dei, ad blaſphemiam, ad volitionem adulterij, & alios actus peccatorum; ſicut artifex applicat inſtrumentum per præuiam impreſ-

preſſionem. quæ doctrina, quo modo non ſit hæretica planè, & blaſphema, non video.

7 Dices: Operationem cauſæ ſecundæ pendere à prima cauſa ſimul cooperante, non eſt propriè cauſam ſecundam moueri ad agendum à prima. *Obiectio.*

Reſpondeo: Fateor, non valdè propriè dici; tamen eſt tolerabilis locutio, qua etiam quidam alij DD. interdum vtuntur. minùs certè propriè dicitur Deus operari in omnibus rebus per modum finis, ex eo quòd omnes res agant ob aliquod bonum verum vel apparens, quod eſt quædam participatio ſimilitudinis ſummi boni: quo tamen modo loquendi vtitur eodem loco & alibi D. Thomas. valdè enim impropriè qui peccat dicitur operari propter Deum tãquam finem. minùs etiam propriè dicitur, Deum mouere & applicare cauſas ſecundas ad ſuas actiones, ſicut artifex ſecurim ad ſcindendum. Hac tamen loquendi forma tum D. Thomas, tum alij Doctores vtuntur ad perfectam ſubiectionem, qua creatura ſubeſt Deo eam regenti, ſignandam. Creaturæ enim non ſe habent propriè vt inſtrumenta reſpectu Dei: ſunt enim cauſæ principales habentes virtutem adæquatam ſuis effectis & permanentem. quod maximè locum habet in liberis, quæ ſeipſas ex ſua indifferenti poteſtate, ad quod libuerit, determinant. Dicuntur tamen eſſe veluti inſtrumenta ob tres cauſas. Primò, quia ſicut inſtrumentum habet omnem vim & impetum ab artifice: ita omnis natura creata habet omnem vim à Deo ſibi impreſſam. Secundò, ſicut nihil poteſt fieri ab inſtrumento niſi artifice actu mouente: ita nihil poteſt fieri à creatura, niſi Deo actu concurrente. Tertiò, ſicut artifex poteſt pro arbitrio ſuo vti inſtrumento ad quod ipſi placuerit: ita Deus omni creatura poteſt vti, & per eam omnia operari quæ placuerit: non ſemper eam impellendo, ſed interdum permittendo & ſinendo eam in quibuſdam agi ſuis motibus, in aliis nõ ſinendo. ita enim eam continet, vt abſque eius permiſſu, & niſi habenas illi relaxet, nihil omnino poſſit. hoc ſenſu dicitur eſſe in manu eius, ſicut ſecuris in manu artificis. Si loquamur de inſtrumentis naturalibus, quale eſt ſemen reſpectu virtutis genitricis à qua vim accipit, & calor naturalis reſpectu concoctricis, & multa accidentia reſpectu formæ ſubſtantialis à qua vel manant vel conſeruantur: ſic minùs impropriè creatura dicitur inſtrumentum Dei reſpectu operationis naturalis, & etiam liberæ modò bona ſit, vel ſaltem indifferens. Nam omnes res creatæ agunt virtute à Deo tamquam ſupremo opifice ipſis impreſſa. vnde per hanc cenſetur quo-

Dicuntur inſtrumenta ob tres cauſas.

que ipſe Deus operari tamquam per ſuum inſtrumentum: & ſic omnium rerum creatarum actiones in ipſum referuntur tamquam cauſam principalem, ſicut motus grauium & leuium referuntur in cauſam generantem quæ grauitatem vel leuitatem impreſſit. Actiones tamen malæ in Deum non referuntur: quia non proueniunt à virtute creata iuxta ipſius intentionem; ipſe enim vim liberi arbitrij ad eas non inſtituit: ſed ex prauo vſu illius virtutis.

Ex his patet quomodo intelligendum ſit quod ait diuus Thomas 1. p. qu. 83. art. 3. *Deus eſt cauſa prima mouens cauſas naturales & voluntarias.* Loquitur enim de motione cooperante, non præueniente. Eodem modo intelligendum illud 1. 2. q. 109. a. 1. *Actio cuiuſuis entis creati pendet à Deo, quantum ad duo. Vno modo in quantum habet ab ipſo perfectionem & formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipſo mouetur ad agendum.* Si enim per hanc motionem intelligeret aliud quàm concurſum, actio cuiuſuis entis creati non penderet à Deo quantum ad duo, ſed quantum ad tria, & D. Thomas omitteret illud tertium, quod eſt principale.

Tertiò obiicitur ex 1. 2. qu. 9. art. 6. vbi D. Thomas ait, *Voluntatem à ſolo Deo moueri tamquam à principio extrinſeco*: & ad 3. *quòd Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum, quod eſt bonum.* 8

Reſpondeo, hunc locum non habere difficultatem, nec ad rem pertinere: quia intelligitur de illo modo motionis quo id mouere dicitur, quod virtutem motiuam impreſſit; quo modo grauia & leuia dicuntur moueri à generante, quo exemplo ibi vtitur D. Thomas. hoc modo ſolus Deus mouet voluntatem, quia ſolus naturam voluntatis condidit. Adfert auctor alia quædam loca D. Thomæ, ſed minoris momenti, & facilè ex dictis explicari poſſunt.

Quartò, obiicitur ex D. Bonauentura in 2. d. 26. qu. 6. *Dicendum* (inquit Bonauentura) *quòd abſque dubio, ſicut auctoritates Sanctorum dicunt, neceſſe eſt ponere liberum arbitrium à gratia moueri & excitari. ab ipſa enim gratia operante præuenitur, & à cooperante ad opera meritoria eleuatur; ita quòd reſpectu operis meritorij, gratia eſt ſicut principalis motrix, & voluntas ſicut pediſſequa*, &c. 9

Explicatur S. Bonauentura.

Gratia dupliciter mouet lib. arb.

Reſpondeo: Iſta verba nihil faciunt pro gratia determinante: imò ea quæ ſequuntur in explicatione horum verborum apud S. Bonauenturam, manifeſtè illi repugnant. Mouet igitur gratia liberum arbitrium dupliciter: motione præueniente conſenſum, & motione comitante. Motio præueniens, eſt illa quam gratia formaliter per ſe-

ipſam

ipſam cauſat in voluntate, veluti pondus quoddam trahens & inclinans voluntatem ad conſenſum. Motio comitans eſt illa, quam effectiuè cauſat vnà cum libero arbitrio cooperando ad conſenſum, qui eſt motio quædam voluntatis. Vtrumque modum mouendi explicat D. Bonauentura in gratia habituali: *Mouet enim gratia habitualis motione praeueniente, quia praeueniendo opera noſtra meritoria, ſanat voluntatē; eamq; ad opera iuſtitiæ præparat*: & ratione huius effectus, vocatur (ex ſententia D. Bonauenturæ) *gratia praeueniens & operans*. tribuitur autem hæc motio gratiæ, tamquam operanti, *quia* (vt inquit Bonauentura) *gratia eſt influentia quædam à luce ſuperna procedens, quæ ſemper habet coniunctionem cum ſua origine, ſicut lumen cum ſole. Vnde non ſolùm tribuitur ei operatio ratione ſubiecti in quo eſt, ſed etiam ratione ſubiecti à quo eſt.* Vnde quod Spiritus ſanctus per ipſam tamquam per ſuum inſtrumentum facit in libero arbitrio (nempe liberum arbitrium purgando, ſanando & præparando ad opera iuſtitiæ) dicitur ipſa facere. *Mouet verò motione comitante*; *quia ipſa*, (inquit Bonauentura) *eſt diſpoſitio ad quemdam ſpiritualem motum, & pondus ſpiritale datum animæ, per quod habet ſurſum tendere. Et quoniam liberum arbitrium eſt natum ſeipſum mouere ſecūdùm actus in quos de ſe poteſt; cùm eſt adiutum & informatum gratiâ, excellentiùs mouet ſeipſum. ita vt, cùm liberum arbitrium ſit mouens & motum, gratia diſpōnat ipſum ſub ratione mouentis; & pro tanto dicitur gratia mouere liberum arbitrium: quia liberum arbitrium, gratiâ informatum, mouet ſeipſum.* & infrà: *Sicut voluntas mouet ſeipſam ad opera naturalia, ſic adiuta per gratiam, mouet ſeipſam ad opera meritoria.* hæc ille. Quòd ſi gratia cauſaret in voluntatē motionem præuenientē, quæ ipſam determinet; ineptè & falsò diceretur, gratiam ideò mouere voluntatē, quia voluntas gratiâ informata ſeipſam mouet, &c.

Quo modo gratia iuſtificationis dicatur praeueniens & operans.

Quo modo cooperans.

10 Concludit auctor: *Alios innumeros doctiſſimos viros poſſemus in hanc ſententiam adducere, præſertim Scholaſticos: verumtamen ſedit tantùm animo Sanctos referre, qui vno conſenſu, in materia fidei ita fidem inconcuſſam perficiunt, vt ei non liceat refragari.* Verùm de Scholaſticis oſtenſum eſt cap. 5. ex verbis eorum, omnes communiter huic ſententiæ refragari. & ſanè ſi aliqui ſunt, illi non erant in quæſtione tam ſubtili & tanti momenti omittendi. Ex Patribus & Scripturis, propter liberum modum loquēdi, facilius eſt ſpeciem aliquam & vmbram facere; nam etiam hæretici ex illis ſuam gratiam neceſſitantem probare contendunt. Sed longè aliam illis eſſe mentem, ſatis ſuperque oſtenſum eſt.

CAPVT

CAPVT XV.

Explicatur ſententia quæ ſtatuit auxilium præueniens non cooperari phyſico influxu in opus, ſed moraliter dumtaxat, eáque vindicatur.

POſt hæc auctor cap. 19. ſui tractatus, graui præfatione vſus, commemorat aliam quamdam ſententiam, veluti à noſtris Theologis, ad vim rationum quas ipſe adduxit declinandam, excogitatam; quam deinde fusè confutat. *Quidam*, inquit, *dum aliorum modum dicendi, ſatis Eccleſiæ documentis non cohærere conſpiciunt, dum illum fugiunt, in alium conſimilem vel eumdem corruerunt, & in Scyllam inciderunt, vitare Charybdim cupientes. Dicunt enim auxilium efficax negari non poſſe, illud autem nequaquam efficiens eſſe ſeu phyſicum, ſed morale, quod ſumit efficaciam ex parte motionis obiecti, & præſcientiæ diuinæ, ita vt ſemper maneat voluntas etiam in ſenſu compoſito libera*, &c. 1

De auxilio morali cooperante.

Non rectè illud explicat.

Verùm non rectè hanc ſententiam, quæ quibuſdam valdè probabilis videtur, explicat. Primò, quia non ponunt totam gratiam præuenientem in motione obiectiua, quæ fit apprehenſione obiecti per intellectum (vt hîc & alibi ſæpè imponit auctor) ſed etiam in motione formali voluntatis per pias affectiones diuinitus immiſſas, vt ipſemet auctor, ſibi non conſtans, ait initio c. 22. neque dicunt auxilium præueniens ſumere efficaciam ex parte motionis obiecti & præſcientiæ diuinæ. hoc enim inſulsè diceretur, & falsò. quid enim eſt *ſumere efficaciam ex parte obiecti & præſciētiæ diuinæ*, cùm præſcientia ſit ratione poſterior, quàm efficacia gratiæ; & ipſa efficacia conſiſtat, non ſolùm in motione obiectiua, ſed etiam in formali voluntatis inclinatione? & ſi in ſola obiectiua conſiſteret, non erat dicendum eam ſumi ex parte motionis obiecti, ſed eam conſiſtere in motione obiecti. quis mediocriter doctus Theologus ita proiectè ſuos conceptus efferat?

Secundò, non dicunt hi Theologi hanc gratiam non eſſe quid phyſicum, aut non mouere phyſicè voluntatem: conſtat enim, piam cogitationem & ſanctum affectum eſſe entia realia & phyſica, & voluntatem per hunc affectum phyſicè trahi & inclinari ad conſenſum; etiamſi fortè per cogitationem, non niſi morali modo trahatur.

Dico *fortè*, quia multi Doctores probabiliter docent, cogitationem non ſolùm obiectiuè, quatenus proponit voluntati ſuum obiectum,

obiectum, ſed etiam phyſicè concurrere ad actum voluntatis producendum. nec quidquam intereſt ad quæſtionem de efficacia gratiæ, vtrouis modo ſentias.

2 In his igitur ſatis conueniunt omnes cum Molina. Sed nunc quæſtio eſt, vtrùm hoc auxilium præueniens, conſiſtens in pia cogitatione intellectus & affectione voluntatis phyſicè concurrat cum libero arbitrio, ad productionem conſenſus operiſque boni, an ſolùm moraliter. Quidam putant auxilium præueniens non habere influxum phyſicum in conſenſum & opus bonum; ſed ſolùm moraliter ad illud cooperari, per modum ſuadentis & allicientis. poſito autem illo auxilio morali, Deum aſſiſtere libero arbitrio in actu primo per ſingularem & ſupernaturalem concurſum, qui ſuppleat defectum phyſicæ cooperationis illius auxilij. cùm enim auxilium illud præueniens (horum ſententiâ) non poſſit phyſicè cooperari, ſicut poſteà cooperantur habitus virtutum ſupernaturales, Deum ſingulari concurſu ſupplere illum defectum, prębendo maiorem concurſum & influxum, quàm præbet cùm adeſt habitus realiter cooperans: & hunc concurſum vocant gratiam adiuuantem. Hanc ſententiam tenent quidam docti viri; cuius etiam mentionem facit, vt poſteà deprehendi, doctiſſimus Suares lib. 3. cap. 4. de concurſu, motione & auxilio Dei, & in eam ſatis propendet, etſi nihil definiat: eſtq́ue ſine dubio non improbabilis.

An auxiliũ præueniens concurrat influxu phyſico in opus, an morali tantùm.

Quorũdam ſententia.

3 Molina verò docet, auxilium præueniens non ſolùm illo modo, ſed etiam phyſicè cooperari, ita vt realem influxum in conſenſum & opus bonum habeat, tamquam partialis cauſa, vnà cum libero arbitrio: nam ex libero arbitrio, & auxilio præueniente, conſtitui vnam integram cauſam boni operis, cuius principalis pars ſit auxilium præueniens, à quo opus habeat eſſe ſupernaturale; minùs principalis liberum arbitrium, à quo actus habeat quòd ſit actus liber & vitalis.

Verius influere phyſicè

Quæ ſententia mihi ſemper verior viſa fuit ob multas cauſas. Primò, quia Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. dicit hominem diſponi per excitantem & adiuuantem gratiam, vt ſe conuertat, conſentiendo eidem gratiæ. vbi indicatur eamdem eſſe gratiam quæ excitat, & quæ conſentientem adiuuat. Secundò, quia concurſus diuinus non dicitur propriè gratia adiuuans. hoc enim nomine ſignatur potiùs principium aliquod operatiuum concurrens cum libero arbitrio, quàm ipſa opitulatio & concurſus. Vnde Deus potiùs dicendus eſſet gratia adiuuans, quàm eius concurſus; quod tamen videtur duriuſculè dici. Tertiò, quia gratia adiuuans diſponit hominem

vt ſe conuertat, conſentiendo eidem gratiæ, vt inquit Concilium Tridentinum. At concurſus Dei non diſponit hominem ad conſenſum, cùm ſit ipſe conſenſus vt à Deo procedens: vnde non tenet ſe ex parte liberi arbitrij vt diſpoſitio, ſed ex parte conſenſus & effectus liberi arbitrij. Deinde homo non diſponitur vt conſentiat concurſui: quia ipſe concurſus à conſenſu non diſtinguitur, neque aliquid ſuaſit, aut inclinauit voluntatem ad aliquid, vt ei poſſet conſentire. Hoc enim verbum *conſentire* manifeſte indicat aliquam præuiam ſuaſionem vel tractum. Quartò, Gratia præueniens tribuit voluntati vires ad conſenſum eliciendum, & conuerſionem efficiendam ſecundùm diuum Auguſtinum, per quas vires liberum arbitrium dicitur ſe conuertere & diſponere ad iuſtificationem: ergo oportet vt concurrat & adiuuet. Vires enim dantur ad adiuuandum: ſi non adiuuant, ſunt otioſæ. oportet ergo vt gratia excitans ſit etiam adiuuans. Quintò, Deus non ſolet adhibere maiorem concurſum, quàm poſtulet præcisè vis actiua cauſæ ſecundæ, cui cooperatur. Non enim defectum virtutis actiuæ ſolet ſupplere cooperatiuum influxum augendo, ſed nouam vim creatam addendo. Neque cõtrarium accidit, dum confert gratiam excitantem, quia hanc producit præueniendo noſtram libertatem, eaque veluti inſtrumento vtendo: itaque vt cauſa propria & operatione determinata, non vt cauſa vniuerſalis per concurſum. vnde in illis actibus producendis non dicitur nobiſcum concurrere, ſed illos immittere & formare in nobis ſine nobis. Denique auxilium præueniens non minùs trahit & inclinat volũtatem ad opus bonum, quàm habitus, ſed multò magis: ergo cùm habitus præſertim infuſi cooperentur phyſico influxu in opus, non video cur iſtud auxilium non poſſit ſimiliter cooperari. Quod confirmatur, quia gratia præueniens eſt inclinatio quædam actualis in opus, & ſe habet per modum impetus impreſſi vel ponderis, quæ in rebus corporalibus manifeſtum eſt effectiuè ad motum concurrere: cur non idem, ſeruata proportione, dicendum in ſpiritalibus & motibus animæ.

Nec obſtat quòd opus ſit ſupernaturale: quia etiam gratia præueniens eſt ſupernaturalis, eiuſque ſupernaturalitas ad illum effectum abundè ſufficit. Phyſica enim ſupernaturalitas, quæ eſt in operibus noſtris, non eſt adeò ſublimis, quin ſupernaturalitas gratiæ præuenientis poſſit ei exæquari. Quòd ſi gratia ſolùm ſit ſupernaturalis quoad modum, idem dicendum erit de opere producto. Certè non video quomodo poſſimus plus ſupernaturalitatis ponere in voluntate audiendi Sacri, quàm in affectu præuio ad hoc diuinitus immiſſo.

Idem

Idem dico de omnibus aliis volitionibus bonis, & proximis affectibus ad illas præuiis. Similiter non obſtat, quòd homo interdum conuertatur ex memoria prioris excitationis, quę iam ceſſauit; quia numquam conuertetur, nec poteſt conuerti, niſi occaſione iſtius memoriæ rurſus à Deo excitetur, & illa gratia in illo renouetur, vt ad hoc bonum rurſus veluti incaleſcat. Inſerit enim ſe diuina bonitas ſæpenumerò illi memoriæ, quæ & ipſa, ſi ſeria eſt, & commouet hominem, non ſine diuino munere habetur. Eamdem ſententiam tenet Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 13. Ob has rationes hanc ſententiam iudico probabiliorem.

4 Nihilominùs, vt antè dixi, altera ſententia probabiliter teneri poteſt, nec quidquam eorum incommodorum quæ auctor obiicit ex ea ſequitur. Parum enim refert ad Eccleſiæ doctrinam, vtrùm dicas auxilium præueniens, phyſicum influxum habere in opus, an ſolùm moralem; vtrùm per modum cauſæ partialis phyſicè cooperetur libero arbitrio, an ſolùm in modum cauſæ moralis, ſuadendo & alliciendo. De hac enim re numquam fuit quæſtio in Eccleſia, ſed pertinet ad profundiores difficilioreſque quęſtionum incurrentium partes, quas ſicut non debemus contemnere, ita non habemus neceſſe aſtruere, vt inquit Cæleſtinus epiſt. 1. Satis eſt confiteri, nos nihil boni poſſe, niſi auxilio diuino præuenti & adiuti fuerimus. vtrùm verò ſit idem auxilium præueniens & adiuuans, & vtrùm auxilium pręueniens adiuuet phyſicè an moraliter, relinquitur ſcholis diſputãdum. *Hæc quæſtio est adiaphora.*

5 Neque verum eſt, quòd hîc auctor indicat, eos, qui hanc ſententiam tenent, iudicare alteram ſententiam non ſatis cum Eccleſiæ doctrina cohærere, aut in altera ſententia negari auxilium efficax. nam ſatis euidens eſt, Molinam conſtituere auxilium efficax, non quidẽ quod ex ſe efficax ſit, ita vt voluntatem prædeterminet; ſed quod ita mouet & allicit voluntatem, vt conſentiat: vel (vt Auguſtinus loquitur) quo Deus ita ſuadet, vt perſuadeat: ita vocat, vt liberum arbitrium vocantem non reſpuat. vt patet q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. per totum, & alibi ſæpè; nam in hoc auxilio conſtituit gratiam prædeſtinationis. Idem docent alij. *Molina conſtituit auxil. efficax.*

6 Dices: Si auxilium præueniens non influit phyſicè in opus, quomodo poteſt dici efficax? auxilium enim efficax debet habere vim efficiendi operis, & reipſa illud efficere; *efficere* autem, phyſicum influxum denotat.

Reſpondeo, dici efficax, iuxta hanc ſententiam, non quòd phyſicè & immediatè influat in opus, illudque producat; ſed quia facit vt *Quomodo auxiliũ phyſicè non cooperans dicatur efficax.*

liberum arbitrium per gratiam comitantem ſeu adiuuantem illud producat. ita enim ſuadet, allicit & inclinat liberum arbitrium ad opus, vt tandem cedat & conſentiat. Itaque eſt efficax operis nō phyſico, ſed morali modo. ſicut conſilium & ſuaſio hominis, quo aliquis mouetur ad bonum vel malum opus, eſt cauſa efficax illius operis.

Iſtam efficaciam ſufficere.

Quòd autem hæc ratio cauſandi ſufficiat, vt ratione illius poſſit dici efficax, probatur Primò, quia in negotio morali, vt aliquid dicatur 7
cauſa, ſufficit eſſe cauſam moralem. ergo vt dicatur cauſa efficax, ſufficit vt morali modo efficax ſit; quæ efficacia in eo conſiſtit, vt moueat naturam intellectu & ratione præditam ad agendum, ita vt reipſa ſequatur actio. Hoc enim eſt proprium cauſæ moralis, vt ipſa per ſe immediatè non producat phyſicè opus, ſed moueat naturam ratione præditam, ad illud producendum: moueat, inquam, vel imperando, vel ſuadendo, vel deprecando, vel ex vi pactionis præcedentis, &c. & conſequenter interior apprehenſio horum, vnà cum affectione præuia voluntatis, ſi qua inde orta fuerit, eſt etiam cauſa moralis, & quidem proxima. etſi enim phyſicè non influat in opus, tamen phyſicè afficit operantem, illumque in opus inclinat. Quare ſi is qui exteriùs ſuadet & allicit, poteſt dici cauſa efficax, cùm tamen actio eius ſit extra hominem; multò magis ipſa ſuaſio & allectio interior realiter animam afficiens & inclinans, poterit dici cauſa efficax operis.

Efficacia moralis in quo ſita.

In cauſa morali poteſt eſſe magna efficacia.

Secundò, quia in cauſa morali, poteſt eſſe magna efficacia, vt pa- 8
tet Primò in tentationibus, quibus homo ſine auxilio gratiæ non poteſt reſiſtere. Secundò, in viſione beatifica, quæ ſecundùm veriorem ſententiam, non influit phyſicè in actum amoris, ſed ſolùm morali modo ad eum mouet, & tamen adfert voluntati neceſſitatem. Tertiò, in intentione finis, quæ multorum ſententiâ nō cooperatur phyſicè ad electionem; tamen ex ea neceſſariò ſequitur electio, quando ſolùm eſt vnum medium. Quartò, in aſſenſu principiorum, qui ſimiliter multorum ſententiâ non concurrit phyſicè ad aſſenſum cōcluſionis; tamen hic aſſenſus neceſſariò ex illo ſequitur.

Quid requiratur ad gratiæ efficaciā.

Tertiò, quia ad efficaciam gratiæ præuenientis non requiritur vt 9
opus ex ea ſequatur neceſſariò, aut vt ei præſenti non poſſit reſiſti, vt defenſores auxilij ex ſe efficacis volunt; ſed ſufficit vt ita moueat voluntatem, vt ſecundùm diuinam præſcientiam ſequatur infallibiliter. Itaque ad hoc vt gratia dicatur efficax, non requiritur, vt phyſicè ad opus concurrat. quod confirmari poteſt ex diuo Auguſtino lib. 1. q. 2. ad Simplicianum, vbi gratiam efficacem conſtituit in vocatione

con-

congrua, vt oſtenſum eſt ſuprà, cap. 8. num. 7. 8. 9. atqui vt vocatio ſit congrua, non requiritur vt phyſicè producat opus; ſed vt perſuadeat voluntati conſenſum. Vnde etiamſi tota gratia præueniens conſtitueretur in cogitatione congrua diuinitus immiſſa, qua Deus ita rem obijcit animo, ſicut nouit aptum eſſe, vt eam amplectatur, nihilominùs rectè diceretur gratia efficax.

His poſitis, veniamus ad ſolutionem eorum, quæ auctor contra hanc ſententiam obijcit.

10 Primò obijcit: *Hanc ſententiam non ſaluare omnimodam libertatem actuum, quia in ea ponitur præſcientia: poſita autem præſcientia, neceſſariò ponuntur actus neceſſitate conſequentiæ; aliàs,* inquit, *præſcientia poſſet falli.* *Soluuntur obiecta.*

Reſpondeo, prorſus ſaluari omnimodam libertatem actuum; quia etiam poſitâ præſcientiâ, actus liberrimè fiunt: ita enim fiunt, vt ſpectata conditione voluntatis, & omnibus cauſis præuijs, poſſint non fieri. Nec obſtat, quòd ſuppoſita præſcientia neceſſariò fiant, vel potiùs neceſſe ſit eos fieri; quia per hoc non ſignificatur neceſſaria connexio actuum cum libero arbitrio, ſed cum præſcientia. Hæc autem non impedit vllo modo connexionem contingentem eorumdem actuum cum libero arbitrio. ſicut neceſſaria connexio, quam ijdem actus habent cum ſua entitate & exiſtentia (ratione cuius dicitur, *Si actus ſit, neceſſe eſt ipſum eſſe,* &c.) non impedit vllo modo, quin ijdem actus à libero arbitrio liberrimè fiant. Ratio eſt, quia tota illa neceſſitas ſequitur ipſos actus, eoſque ſupponit iam liberè productos vel producendos; ac proinde non magis impedit illorum libertatem, quàm ſi non eſſet: præſcientia enim actuum ſupponit ipſos actus, vel abſolutè vel ex hypotheſi futuros: ideò enim præſciuntur, quia futuri ſunt, vt ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt. cuius ratio eſt, quia omnis notitia quà notitia eſt, ſupponit obiectum ſuum. Itaque præſcientia, quatenus terminatur ad ipſos actus, tamquam ad obiecta ſua, eſt illis ratione poſterior: & conſequenter, connexio neceſſaria præſcientiæ cum actibus, eſt illis ratione poſterior. Idem alijs verbis ſignificamus, quando dicimus, eam ſuppoſitionem, quæ eſt in poteſtate voluntatis, vel pendet ab eo quod eſt in poteſtate voluntatis, nullo modo libertati repugnare: ſecùs eſt de motione prædeterminante, quæ nec eſt in poteſtate voluntatis, nec pendet ab eo quod eſt in poteſtate volũtatis. hęc enim eſt neceſſitas antecedens, ex qua ſequitur actus, non quæ ſequitur actũ: vnde libertati repugnat; iuxta Thomam VVald. lib. 1. doctr. c. 28. & D. Anſelm. c. 1. de concor. lib. arbitrij & prædeſt.

Præſcientiam nullo modo minuere libertatem præſcitorum.

Neceſſitas conſequens.

Obijcit Secundò: *Nullum bonum particulare poteſt voluntatem ſufficienter & efficaciter mouere; ergo quantumuis à Deo moueatur per aliquod bonum particulare, & quantumuis illud fiat amabile, tamen liberum mouere arbitrium efficaciter non poteſt. & ex conſequenti manifeſtum eſt; quòd auxilium morale, nullo modo efficax eſſe poßit, vt iſtius ſententiæ inuentores aſſerunt.* Antecedens probatur, *quia virtus paſſiua voluntatis ſe extendit ad bonum in vniuerſali. ſolus autem Deus eſt bonum vniuerſale. vnde ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam implet, vt obiectum.* 11

Nullum auxilium eſſe ſufficiens niſi efficax.

Reſpondeo Primò: Auctor hîc apertè indicat Primò, nihil voluntatē mouere ſufficienter, niſi quod eam mouet efficaciter; ac proinde nullum eſſe auxilium ſufficiens, niſi quod ex ſe ſit efficax: cuius contrarium ex Scripturis conſtare, ipſemet affirmauit cap. 7. Secundò indicat apertę, nullum eſſe auxilium efficax, niſi neceſſitatem adferat, ita vt ei reſiſti non poſſit. quod etiam contra fidem eſſe patet, ex dictis præſertim cap. 7. & 9. ſic enim tolleretur libertas in conuerſione, & in operibus bonis.

Vt aliquid dicatur mouere efficaciter, non debet adferre neceſſitatem.

Reſpondeo Secundò directè, nullum quidem bonum particulare ita mouere voluntatem, vt ei neceſſitatem adferat, & ipſa non poſſit reſiſtere: hoc enim modo ſolus Deus clarè viſus eam mouet, vt in argumento probatur. hinc tamen non ſequitur, quin multa bona particularia eam efficaciter moueant. Vt enim aliquid dicatur efficaciter mouere voluntatem, non requiritur vt ei neceſſitatem adferat, aut vt ei reſiſti nequeat; ſed ſatis eſt, vt eam reipſa ad conſenſum alliciat. nam conſilium & ſuaſio qua quis perſuadetur, efficax dicitur, etiamſi potuerit illi refragari.

Subiicit auctor, nomine noſtrorum, reſponſionem ſui argumenti talem: *Reſpondebunt forſan, quòd licet particulare bonum ex ſe ſit inſufficiens & inefficax ad mouendam obiectiuè voluntatem, ita vt ipſius capacitatem adimpleat; tamen ſi conſideretur vt eſt diſpoſita ex propriis viribus, cui diſpoſitioni Deus illius obiecti bonitatem attemperat, cuique ſcit Deus illam efficaciter inclinandam; hoc modo, iſtud auxilium morale, efficax redditur.* 12

Verùm hæc reſponſio, neque neceſſaria eſt, vt ex dictis patet, neque vera. non enim vt bonum particulare ex ſe ſit ſufficiens ad mouendam voluntatem obiectiuè, requiritur vt eius capacitatem adimpleat: niſi *mouere* idem ſit quod *neceßitatem adferre*: neque requiritur, vt Deus obiecti bonitatem diſpoſitioni voluntatis attemperet. Quis enim ita loquatur? Sed ſatis eſt, vt talem cogitationem menti inii-

iniiciat,& eo modo, itaq; conſentaneè affectibus, faciat illud bonum apprehendi, ſicut certiſſimè nouit voluntatem permouendam & alliciendam ad illius boni conſenſum & complexum. nemo enim, ſaluâ fide (vt multi putant) negare poteſt, quin Deus norit, qua ſuaſione interna poſita, quid voluntas ſit electura: & quis modus ſuaſionis ſit conſentaneus inſtinctibus & affectibus cuiuſque. Aliter enim ſuadendus eſt auarus, qui nihil niſi diuitias cogitat; aliter ambitioſus; aliter meticuloſus; aliter temerarius; aliter plerumque viri, aliter feminæ, vt optimè docet Gregorius in ſuo opere de cura Paſtorali. Idem plerumque ſeruat Deus, ſuas inſpirationes accommodans hominum affectibus, vt eos faciliùs ad ſe trahat. v.gr. auaris inſpirat, vt cogitẽt fluxas eſſe & viles terrenas diuitias, in cælo eſſe multo meliores & æternas: ambitioſis, vanos eſſe honores mundi, in cælo veros & ſolidos. quiſque enim faciliùs trahitur, ſi ei proponatur quod affectibus congruit. Denique facile eſt Deo interim auertere eas cogitationes, quæ impedirent conſenſum, & facere vt mens attentè conſideret, quod ei proponitur. *Suaſio congrua.*

Ceterùm, inquit auctor, *hæc attemperatio, non eſt ſatis congrua fidei inſtitutis*. Sed quænam, rogo, ſunt iſta fidei inſtituta? an forte fides docet, affectus & conditiones hominum nihil facere ad hoc, vt vocationi diuinæ conſentiant, vel ei refragentur? imò verò contrarium euidenter docet, multis Scripturæ locis. Mat. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethzaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. Ex quo apparet*, inquit D. Auguſtinus c. 14. de bono perſeuerantiæ, *quorumdam ingeniis inſitum eſſe naturaliter diuinum munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Ecce, quanti momenti ſit ad conuerſionem, vt vocatio ſit congrua affectibus eorum qui vocantur. Matth. 23. *Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua*. Quid ita? quia cùm norint proſapiam & educationem vulgarem, facilè contemnunt, tamquam ceteris ſimilem. Ad Rom. 9. *Offenderunt in lapidem offenſionis*. q.d. Ideò Iſraëlitę non apprehenderũt iuſtitiam, quia nolebãt credere in Chriſtum; offenſi eius humilitate & prædicatione. expectabant enim Meſſiam externa gloria & potentia illuſtrem, qui ipſis omnia regna ſubiiceret, & opulentos beatoſque in hac vita efficeret. Obſtabat itaque praua illa opinio, & perſuaſio de Meſſia, vnà cum auaritia & ambitione, quam putabant per Meſſiam explendam potiùs quàm obiurgãdam & euertendam. Matth. 19. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit* *Affectus hominũ naturales & acquiſiti multũ faciunt ad hoc, vt quis acquieſcat, vel refragetur diuinæ inſpirationi.*

trahit in regnum cælorum. & vt alia omittam; idipſum conſtat quotidiana experientia. quid enim cauſæ eſt cur pauperes, ignobiles, infirmi, faciliùs conuertantur ad fidem, quàm diuites, nobiles, robuſti, niſi quia illi minora impedimenta habent, & affectus rebus huius mundi minùs implicitos, magiſque ſentiunt ſe ope diuina egere? Itaque hæc ſententia doctrinæ fidei planè congruit: eamque paſſim docet D. Auguſtinus, vt oſtenſum eſt cap. 10. Locus autem ille D. Auguſtini de prædeſt. Sanctorum cap. 8. quem auctor obiicit, tantùm abeſt vt repugnet huic ſententiæ, vt ei multùm faueat. nam *vocatio congrua* eſt gratia illa quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, & à nullo duro corde reſpuitur. ideò enim tribuitur, vt cordis duritia penitus auferatur. Hæc eſt gratia, per quam Pater ita docet, vt audiamus & diſcamus; ita vocat, vt ſequamur; ita trahit, vt veniamus ad Chriſtum; per quam cuius vult miſeretur, vt eodem capite docet Auguſtinus: quæ conferenda ſunt cum iis quæ idem docet lib. 1. q. 2. ad Simplicianum. ad quem librum amandat Gallos cap. 4. vt ſciamus illum non mutaſſe ſententiam.

Gratia quæ non reſpuitur.

13 Obiicit Tertiò Canonem 4. Concil. Arauſicani. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit*, &c. deinde addit, *Singula verba huius Canonis ſententiæ aduerſariæ reluctantur.* Vt hoc probet, multa dicit ita perturbatè, vt quid ſibi velint, aut quomodo cohæreant, non intelligam. Ad Canonem illum ſuprà cap. 12. num. 1. abundè reſponſum eſt. Falſum autem imponit, dum inſinuat noſtros ponere, *Deum ſolum monere moraliter & ex obiecto; voluntatem autem ſe ſolam mouere phyſicè in actu conuerſionis.* Si enim de motione præueniente agatur, non ſolùm obiectiuam motionem ponunt, quæ fit per cogitationem congruam; ſed etiam formalem per affectum præuium. ſi de adiuuante, non ſolùm ponunt moralem per auxilium præueniens; ſed etiam phyſicam per ſingularem Dei cooperationem, quę ſupplet influxum phyſicum auxilij præuenientis, iuxta hanc ſententiam, vt dictum eſt. Itaque voluntas in actu conuerſionis, non ſe ſolam mouet phyſicè, quia non ſola motum conuerſionis producit; ſed eam Deus ſingulari & ſupernaturali influxu ſuo adiuuat, ſine quo auxilio, non poteſt vllum initium operi ſuo dare.

Non ſe ſola mouet voluntas in actu conuerſionis.

14 Obiicit Quartò: *Si Spiritus ſanctus*, inquit, *in liberum arbitrium noſtrum, vt à peccato purgari velimus, volitionem infundit, eamdemq; in nobis operatur (quod ſignificant illa verba, Per Spiritus ſancti infuſionem & operationem fieri vt velimus) ſecluſa quacumque præſcientia,*

efficax

efficax eſt ex ſe diuina operatio, vt illâ ſuppoſitâ purgari velimus. Voluntati enim eius quis reſiſtet? euidenti enim conſequentia ſequitur, Deus nos agit, ergo agimur. aliàs enim virtus Dei eſſet infirma. Agere inſuper & agi correlatiuè dicuntur: correlatiua verò ſimul naturâ ſunt. poſito ergo, quòd Deus operetur in nobis velle conuerti, ex ipſamet motionis diuinæ virtute fit, vt non poſſimus non velle. Morale autem auxilium, hanc efficaciam non recipit, vt ex ſe ſolo faciat velle. quis item aſſeueret, obiectum voluntatis volitionem infundere & operari; quod proprium eſſe conſtat cauſæ efficientis? hæc ille.

Reſpon. In hoc argumento multis modis apertè videtur tolli libertas in cõuerſione. Primò, cùm dicitur *volitionẽ qua volumus purgari, infundi à Deo.* Si enim infunditur à Deo, cùm hæc operatio Dei præueniat noſtrã libertatẽ, nec ab ea pendeat vt ſit vel nõ ſit; non eſt vllo modo in poteſtate noſtra, vt illa volitio ſit in nobis vel non ſit. quidquid enim à Deo infunditur ante noſtrũ conſenſum, nullo modo eſt in noſtra poteſtate. Si enim ipſa infuſio & operatio Dei, nõ eſt in noſtra poteſtate, neq; etiã id quod infunditur, quod eſt terminus intrinſecus & eſſentialis illius operationis. rurſus, ſi Deus infundit volitionem priùs naturâ, quàm voluntas conſentiat, ergo voluntas pro eo inſtanti ſe habet merè paſſiuè. Secundò, cùm dicit, *illam operationem* (qua Deus præueniendo libertatem, infundit volitionem) *eſſe ex ſe efficacem.* per hoc enim ſignificat, non pendere à libero arbitrio, quòd illa operatio volitionem efficiat. Si non pendet à libero arbitrio, ergo non eſt in poteſtate liberi arbitrij, vt illa volitio ſit vel non ſit. Tertiò, cùm vt probet illam Dei operationem eſſe ex ſe efficacem, dicit: *Voluntati enim eius quis reſiſtet?* Itaque iuxta hunc Doctorem, tam impoſſibile eſt reſiſtere gratiæ efficaci, quàm omnipotẽtiæ Dei. quod ſi verum eſt, quomodo ſaluatur libertas, quæ poſtulat vt poſſis reſiſtere? quomodo dicitur anathema ijs, qui dicunt liberum arbitrium excitatum & motum à Deo, non poſſe diſſentire? Quartò, cùm ait: *Euidenti enim conſequentia ſequitur, Deus nos agit, ergo agimur.* Per *agit*, intelligit motionem Dei efficacem præueniẽtem noſtrum conſenſum: per *agimur*, volitionem noſtram: alioquin ad rem non faceret. Itaque ſicut motio paſſiua neceſſariò ſequitur ex motione actiua, eique neceſſariò eſt connexa; ita noſtra volitio neceſſariò connexa eſt motioni efficaci. quare ſicut auxilium efficax, non eſt vllo modo in mea poteſtate, ita neque volitio ei neceſſariò connexa, in mea poteſtate erit. Quintò, cùm ait, *quòd virtus Dei eſſet infirma*, ſi fieri poſſet, vt Deo nos mouente per auxilium efficax, poſſemus non conſenti-

Videtur tolli lib. arb multis modis.

ſentire. Sextò, cùm, vt idem probet, dicit: *Agere inſuper & agi correlatiuè dicuntur. correlatiua verò ſimul naturâ ſunt.* Sub *agere*, intelligit gratiam efficacem quæ præuenit libertatem: ſub *agi*, volitionem noſtram. Itaque volitio noſtra erit prior naturâ, quàm conſenſus liber, ſicut gratia efficax prior eſt, ac proinde non poteſt illa volitio eſſe magis libera, quàm gratia efficax, vel aliud quiduis liberum conſenſum præuertens. Septimò, cùm dicit: *Poſito ergo quòd Deus operetur in nobis velle conuerti, ex ipſamet motionis diuinæ virtute fit, vt non poſſimus non velle.* Sermo eſt de *operatione* & *motione* præuenientе noſtram libertatem: nam alioqui ad rem non faceret. At quomodo poteſt eſſe libertas, ſi motio præueniens meam libertatem per ſe eſt ita efficax, vt non poſſim non velle? non enim in mea poteſtate eſt, vt illa motio ponatur: illa autem poſitâ, non poſſum eius efficaciam impedire. Ex his facilè intelligat eruditus lector, quales ſint rationes auctoris, quibus aduerſam ſententiam oppugnat; quibuſque fundamentis nitantur.

Reſponſio directa.

Vt autem directè reſpondeam: non dicit Concilium, volitionem 15
qua volumus purgari, infundi à Deo (& ſi diceret, opus eſſet benigna interpretatione, quia impropriè diceretur) neq; id verba præſeferunt; ſed dicit, *per infuſionem & operationem Spiritus ſancti, fieri vt velimus:* id eſt, per donum & auxilium preueniens, quod Spiritus ſanctus infundit nobis, fit vt velimus. per hoc enim donum operatur in nobis velle, vt ſuprà ſæpè explicatum eſt; quatenus per hoc donum ita voluntatem allicit, vt conſentiat. nemo autem vel per ſomnium dixit Morale auxilium ſe ſolo facere velle, vt hîc obliquè imponitur: cùm auxilium adiuuans, vel Deus per auxilium adiuuans, debeat libero arbitrio coöperari.

Quintò, obiicit Canonem 7. *Si quis per naturæ vigorem*, &c. ad quem ſuprà, cap. 12. num. 3. reſponſum eſt. Deinde ſubdit: *Quis non videat vltra prædicationem Euangelij & exhortationem, quantumuis hæc benè fiant; ex parte intellectus, requiri illuminationem; ex parte voluntatis, inſpirationem, quibus fiat & ſuauiùs fiat conſenſus?* quaſi verò hæc aliquis neget! aut quaſi (quod hîc falſò imponitur) diuerſam ſententiam tenentes, dumtaxat auxilium morale & Dei preſcientiam, quibus voluntas hominis conuertatur, conſtituant; cùm manifeſtum ſit, eos quàm maximè auxilium adiuuans requirere, vt ſuprà num. 3. diximus.

Capvt xvi.

Reſpondetur ad rationes, quibus auctor probare nititur prædeſtinationem eſſe certam, & effectus gratiæ efficacis certò euenire, non ex præſcientia, ſed ex vi & natura gratiæ efficacis.

1 Notandum eſt, dupliciter poſſe eſſe certum & infallibile Deo, effectum aliquem ex cauſa ſua prouenturum. Primò, ex eo quòd cauſa ad effectum illum naturâ ſuâ ſit determinata; ita vt poſitâ illâ cauſâ, nulla creatura poſſit impedire, quin effectus ex ea ſequatur. Itaque hoc ipſo quo Deus abſolutè ſtatuit cauſam illam facere, certum illi eſt effectum illum euenturum; certum, inquam, non ex vi præſcientiæ, ſed ex vi cognitionis cauſæ, ſeu ex conditione & natura cauſæ cognitę. hoc modo effectus cauſarum neceſſariò operantium, ſuppoſita cauſarum præuiſione, ſunt Deo certò & infallibiliter euenturi; & omnia quæ ipſe abſoluto decreto ſtatuit facere: cognoſcit enim illa certiſſimè euentura, in decreto ſuæ voluntatis, quod à nullo impediri poteſt.

Effectum quempiam prouenturum poteſt dupliciter eſſe certum ex natura cauſæ & ex vi præſcientia.

Secundò, non ex eo quòd cauſa ad effectum ſit determinata, aut effectus aliqua neceſſaria connexione ex cauſa dependeat, ſed ex infinita vi diuinæ præſcientiæ; quæ hoc ipſo quo aliquid vel abſolutè vel ex hypotheſi futurum eſt, ad illud ſe extendit & penetrat, illudque ab æterno anticipat; etiamſi in ipſa cauſa, vt eſt prior naturâ ſuo effectu, nihil omnino ſit, vnde certò ille effectus colligi poſſit. Nunc quæſtio eſt, vtro modo poſitâ gratiâ præuenienti, quam vocamus ef-
2 ficacem, certum ſit & infallibile nos conſenſuros? Molina & alij qui reiiciunt auxilium prædeterminans, dicunt id eſſe certũ, non ex conditione auxilij illius, quia id ex ea colligi certò non poteſt, eò quòd voluntatem ad conſenſum non adſtringat; ſed ex infinita vi diuini luminis, quod non ſolùm comprehendit naturam voluntatis & illius auxilij, ſed etiam penetrat ad omne id, quod in illa voluntate liberè & contingenter extabit, & facta quauis hypotheſi extaret. qui verò ponunt auxilium ex ſe efficax & prædeterminans, dicunt id eſſe certum ex conditione & natura illius auxilij; quod eſt eius naturæ, vt illo poſito, neceſſariò ponatur conſenſus. vtrique ſanè congruenter ſuis principiis.

Sententia Molinæ & aliorũ gratiã determinantem reiicientium.

Sententia aliorum.

Hanc Molinæ ſententiam oppugnat auctor c. 20. ſui Tractatus.

3 Primum Argumentum. *Aſſerere*, inquit, *prædeſtinationis effectus*

 per

per ordinem ad finem prædeſtinati cuiuſque in particulari certitudinem ſortiri ex ſola præſcientia Dei, non eſt Eccleſiaſticæ doctrinæ conſentaneum, quod expreſſa ratione tradit Doctor Angelicus in quæſt. diſput. de prædeſt. qu. 6. ar. 3. dicens: Non poteſt dici, quòd prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ, vt ſi dicatur, quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium, ſed cùm hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute: ſic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ euentus; & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis; nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra auctoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Vnde præter certitudinem præſcientiæ, ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem. Infert auctor: *Præſcientia igitur certitudinem prædeſtinationis & effectum eius non facit, ſed Deus præuidens & prædeſtinans, & operans omnia media ad ſalutem neceſſaria. nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui. non eſt ergo tuta illa auxilij moralis efficacis ſententia, quæ certitudinem eorum, quæ ad effectus prædeſtinationis attinent, in ſola tenet præſcientia Dei conſiſtere.*

Reſpondeo: Si inter *prædeſtinationis effectus* comprehendatur, non ſolùm auxilium *præueniens*, ſed etiam *adiuuans*, ſic non ex ſola præſcientia, ſed etiam ex conditione ipſorum effectuum certum eſt, finem prædeſtinati, id eſt, ſalutem conſecuturam. & hoc modo prædeſtinatus differt à non prædeſtinato ex parte ordinis mediorũ. nam ſi omnia media quæ Deus ab æterno præparauit prædeſtinato ſpectentur; ex illis neceſſariò ſequitur ſalus, ſuppoſita Dei ordinatione, de ſalute perſeuerantibus conferenda. Sic intellige D. Thomam loco notato. Si verò loquamur de ſolis illis effectibus prædeſtinationis, quibus Deus *præuenit* noſtram libertatem; ſic ex ſola pręſcientia, non ex conditione illorum mediorum certum eſt nos benè operaturos & ſalutem adepturos. Per *præſcientiam* intelligo præſcientiam ex hypotheſi futurorum, quæ non eſt ſcientia viſionis, ſed potiùs ſimplicis intelligentiæ. Vnde non ſequitur, prædeſtinationem non eſſe per electionem, quia præſcientia illa antecedit prædeſtinationem. priùs enim eſt Deum præſcire, hominem, ſi ei hæc ſeries auxiliorum præuenientium conferatur, perſeueraturũ, quàm velle iſta conferre; ac proinde poteſt eum ad illa eligere; & conſequenter prædeſtinatio poterit fieri per electionem. Vnde patet hanc ſententiam nullo modo eſſe contra auctoritatem Scripturæ vel Sanctorum, ſed ei eſſe planè con-

Præſcientia futurorum ex hypotheſi.

conformem. nam ex Scripturis & Patribus apertè colligitur auxilia præuenientia quibus à diuina prædeſtinatione in ſalutem dirigimur, non eſſe talia, vt ex eis neceſſariò ſequantur opera bona: & conſequenter ex illis præcisè certum eſſe non poteſt ea ſecutura. Sententia autem, quam D. Thomas refellit, loquitur de *præſcientia viſionis*, quæ euentum rei ſequitur. ac proinde non poteſt illa electio ad media ſalutis infallibilia locum habere. Verùm quomodo electio & prædeſtinatio, de qua S. Scriptura, & ſancti Patres loquuntur, ſit intelligenda, aliàs fortè copioſiùs dicetur.

4 Secundum Argumentum. *Ceterùm*, inquit, *neque iſtud quod iſti aſſeuerant Theologi, non mediocris alioquin peritiæ, Deum ſcilicet operationes voluntatis in ipſa liberi arbitrij potentia vt in cauſa prænoſſe, aliquo modo eſt tolerabile.* Deinde fuse probat, id verum non eſſe. & tandem concludit: *Cùm igitur in auxilio morali, neque ſit efficacia ex parte obiecti mouentis, neque ex parte præſcientiæ diuinæ actus voluntatis in eius libero arbitrio cognoſcentis; ſit vt eadem ſit priorum & poſteriorum ſententia, ſolo verborum apparatu differens. nullam namque in re motioni diuinæ gratiæ efficaciam tribuunt, quam eſſe neceſſariò confitendam ipſi fatentur.*

Reſpondeo Primò, falſum ſupponi & impingi, vt ſæpè aliàs, fortè vt facilior & luculentior ſit refutatio. Non enim docent noſtri, operationes voluntatis futuras poſſe certò præſciri in potentia liberi arbitrij, vt in cauſa; quaſi ex vi cognitionis liberi arbitrij infallibiliter cognoſci poſſit, quas operationes ſit editurum: ſed docent eas præſciri ex infinita vi diuini luminis, quod nõ ſolùm liberum arbitrium, & omnia quæ ipſum præuenient, allicient, vel impedient, comprehendit; ſed etiam penetrat ad omnes eius operationes & effectus: non quia aliquid in eo, vel in aliquo præuio videt, vnde certò colligi poſſint; ſed quia reipſa ab eo fient, vel data certa hypotheſi, fierent. Itaque operationes futuræ in libero arbitrio præuidentur à Deo, non ex vi cognitionis liberi arbitrij, ſed quia in libero arbitrio abſolutè, vel ex hypotheſi extabunt, & Dei vis infinita cognoſcendi ad omne verum penetrat. hoc ipſo enim quo aliquid eſt, erit, vel facta aliqua ſuppoſitione eſſet, habet veritatem obiectiuam; ac proinde intellectus diuinus, ratione infinitæ virtutis ſuæ, ſe ad illud extendit. Sic Molina paſſim docet Deum cognoſcere conditionales liberas, ratione infinitæ eminentiæ diuini intellectus ſupra liberum arbitrium, per quam fit, vt non ſolùm liberum arbitrium comprehendat, ſed etiam penetret ad omnia ea, quæ in ipſo, vel extabunt abſolutè, vel facta

Quomodo futura præſciantur à Deo.

quauis hypotheſi extarent. Videatur diſputatio 47. tota.

Sententia illa non eſt intolerabilis.

Secundò, Si eam ſententiam, quam auctor imponit, docerent, falſum quidem, meo iudicio, docerent, nihil tamen intolerabile. eam enim tenet Durandus in 1. d. 38. quæſt. 3. n. 9. nec ſcio ab vllo graui auctore duriore cenſura perſtrictam, cùm ex ea nihil incommodi contra ſanam doctrinam ſequatur. quid enim periculi, ſi affirmem Deum ita pernoſſe omnes inclinationes ſuæ creaturæ, vt conſideratis omnibus occaſionibus allicientibus & impedientibus, quas ipſi ſingulis momentis ſcit occurſuras, poſſit ex his certò colligere, quid per ſingula ſit amplexura, quid refutatura? non deſunt recentiores qui hanc ſequantur. 5

Efficacia non eſt ex præſcientia.

Tertiò reſpondeo, in concluſione multa inuolui, quædam vera, quædam falſa. Verum eſt, *in auxilio morali non eſſe efficaciam ex parte præſcientiæ.* quis enim hoc vmquam ſomniauit? præſcientia enim ſequitur: non dat efficaciam. ideò enim Deus præſcit, quia fiet; non contrà, vt ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt. Aliud eſt auxilium habere efficaciam à præſcientia, aliud infallibilitatem effectus auxilij efficacis pendere à præſcientia. hoc affirmant, illud negant. Verum item eſt, ſententiam priorum & poſteriorum eſſe reipſa eamdem, quod ad principalem quæſtionem attinet; nempe, *gratiam non prædeterminare*, ſolumque differre in quodam adiaphoro. Sed falſum eſt ex ratione auctoris conſequi, *in auxilio morali non eſſe efficaciam obiectiuã*; niſi per *efficaciam* intelligat eam vim, cui reſiſti non poſſit; vt ante notauimus. Falſum etiam, *nullam in re motioni diuinæ efficaciam tribui.* quæ & quanta efficacia illi tribuenda ſit, ſatis iam explicuimus.

Sententia illius auctoris de præſcientia futurorum.

Porrò vt auctor meliùs refutaret ſententiam illam Durandi, quam noſtris impoſuerat, explicat ſuam, quomodo Deus actus liberos præſciat. *Non negamus*, inquit, *Deum cognoſcere effectus liberos in ſuis cauſis immediatis determinatis & completis. Deus enim notitia viſionis futura contingẽtia in ſuis cauſis particularibus intuetur, quatenus ipſæ cauſæ determinationi diuinæ & diſpoſitioni illius ſcientiæ & volũtatis, quæ prima cauſa eſt, ſubſternuntur. Cauſæ namque particulares futurorum contingentium, quatenus determinationi ſcientiæ ac voluntatis diuinæ ſubiiciuntur, determinatæ ſunt & completæ, & non impeditæ ad ſuorum effectuum contingentium productionẽ. Cognoſcit igitur Deus effectus liberos in ſuis cauſis determinatis & cõpletis, cùm vniuerſas cauſas creatas in ſua eſſentia cognoſcat, prout eſt cauſa prima omnibus cauſis eſſe conferens, virtutem communicans, & determinationem præfigens ad operandum, cui mouenti, nihil valet reſiſtere.* hæc ille. 6

Qui-

Quibus verbis docet, Deum præſcire omnes futuras voluntatis operationes, quia præſcit omnes determinationes, quibus voluntas ad illas determinabitur: illas autẽ determinationes præſcit, quia ipſemet ſtatuit illas immittere. illis autem impreſſis, impoſſibile eſt operationes quas reſpiciunt, & ad quas voluntatem dirigunt, non ſequi, quia motioni diuinæ nemo poteſt reſiſtere. Verùm hæc doctrina, ſuprà cap. 3. refutata eſt. Fateor nulla ratione me poſſe aſſequi, quo modo per eam non inducatur fatum pluſquam adamantinum, & Deus non ſtatuatur auctor omnium operum prauorum, non minùs quàm bonorum, vt omittam alia incommoda quæ ibi deduximus. Deinde ex hac ſententia ſequitur, Deum non cognoſcere certò, quidnam ex quauis hypotheſi eſſet futurum. Si enim non poteſt cognoſcere effectus futuros, niſi in decreto ſuæ voluntatis, quo illos prædefiniuit, vel (quod in idem recidit) in determinatione voluntatis, quam ipſe illi imprimet; ſanè non poterit illos cognoſcere. quia neque Deus illos prædefiniuit, neque cauſa illorum vnquam ad illos determinata erit. niſi fortè dicatur, Deum etiam omnes illos, qui poſita quauis hypotheſi eſſent euenturi, prædefiniuiſſe, vt poſita tali hypotheſi euenirent, & ſtatuiſſe cauſam ad illos determinare; quod neceſſariò dicere debent, ſi conſequenter loqui velint. Sed reuerà, hoc modo tollitur (vt apparet) omnis præſcientia futurorum contingentium. hoc enim modo, nihil omnino fiet contingenter: nam fient omnia à cauſa determinata & neceſſariò operante, in qua quiuis facilè poſſit videre effectum. neque hæc præſcientia aliquid admirationis vel difficultatis habet. Quid enim miri eſt, Deum præſcire futura, ſi ipſe omnia in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis prædefiniuit, & ſtatuit cauſas ad illa determinare & mouere, idque ita efficaciter, vt nemo eius motioni poſſit reſiſtere? Vnde patet hanc ſententiam tollere præſcientiam effectuum, qui à cauſis prædeterminatis, & à Deo efficaciter præmotis & impulſis, non procedunt; ac proinde in re tollere præſcientiam non ſolùm futurorum liberè ex hypotheſi, ſed etiam futurorum liberè reipſa. nihil enim horum procedit à cauſa ſic determinata & mota. Addo hanc ſententiam etiam diuo Thomę refragari; qui nuſquam ponit futura libera præſciri in determinatione diuinæ voluntatis; quod euidens ſignum eſt illum talem determinationem non agnouiſſe; vt ſuprà capite 4. num. 10. inſinuauimus.

Fatum induci.

Videtur tolli ſcientia conditionalium liberarum.

Imò omnium liberè futurorum.

Rationes autem, quibus contendit probare non poſſe Deum in cauſa libera cognoſcere effectus futuros, cùm nihil contra nos faciant,

ciant,

ciant, ſed ſolùm contra ſententiam Durandi, prætermitto; quamuis non eſſet difficile oſtendere eas nec ſententiam Durandi efficaciter euertere.

CAPVT XVII.

Reſpondetur quibuſdam aliis argumentis & teſtimoniis ſacræ Scripturæ & Patrum, quæ pro auxilio determinante adferuntur.

POſt hæc, repetit auctor omnia pænè teſtimonia Scripturarum, Concilij Arauſicani & Patrum, quæ ſuprà adduxerat, eaque ſimili prorſus modo vrget, & aculeis ſolitis armat, vt gratiam phyſicè prædeterminantem ſtatuat, & moraliter mouentem euertat. Sed quia ad hæc ſuprà abundè reſponſum eſt, non erit opus ſingula perſequi, ſed pauca tantùm, vbi quid noui dicere videbitur.

Primum argumentum eſt, cap. 21. *Sol*, inquit, *non generat hîc & nunc ignem, niſi cauſa proxima producente & determinante ipſum operaretur: Dei autem cauſalitas per ordinem ad vniuerſos effectus nullatenus à cauſis ſecundis determinatur, ſed omnia determinat, à quo cuncta ſecundùm quemque modum eſſendi dependent, & in quo vniuerſa quaſi in fonte ſuo & origine præexiſtunt.* Et infrà: *Illud Determinat, omnia vincit impedimenta, vniuerſa præfigit ad operandum neceſſaria, accendit frigidum, durum emollit, & volens ex nolente facit. Liquet igitur, qui docent liberum humanæ voluntatis arbitrium diuinum auxilium præuenire operando vt agat determinatè, in Pelagij errorem inclinari; dum aliquid tribuunt voluntati ex ſola naturæ virtute, quo ſe diſcernit, & aliquid habet à ſe quod non accepit*, &c. 1

Dei cauſalitas omnia determinat, à nullo determinatur.

Rurſus videtur induci fatum.

Reſpondeo Primò, per hoc principium rurſus manifeſtè videri induci abſolutam omnium euentuum neceſſitatem, & Deum eſſe propriè auctorem omnium operum malorum, non minùs quàm bonorum; ac proinde nec eſſe vllum meritum aut demeritum, vt ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt. Neque quidquam iuuat, etiamſi millies dicatur liberum arbitrium per hanc determinationem non deſtrui, ſed ſanari, liberari, roborari, illuminari, & alia huiuſmodi: quia ad rationem libertatis contradictionis, de qua modò eſt quæſtio, pertinet indifferentia, indeterminatio, poteſtas ſe flectendi in vtramuis partem in omni inſtanti, quòd naturâ ſit priùs actu; eique omnis determinatio præuia repugnat, vt oſtenſum cap. 5. *Pendent* ſanè omnia à Deo, non quòd ipſe omnia prædefinierit vt ſic fierent; aut quòd cauſas ſe-

Omnia à Deo vt pendeant.

cun-

cundas prædeterminet aut præmoueat, vt ſic faciant; ſed quia nihil ſine ipſo vel volente, vel permittente & cooperante, fieri aliquo modo poteſt, vt ſæpiùs explicatum eſt. Quomodo autem dici poſſit, quòd liberum arbitrium determinet auxilium & motionem diuinam, ſatis explicatum eſt cap. 10.13.& 14.

Reſpondeo Secundò, concluſionem nullo modo cohærere cum antecedente, niſi dicatur errorem Pelagij fuiſſe, quòd negaret motionem prędeterminantem, & poneret ſolùm auxilium ſufficiens; quod ſine dubio nō ſolùm eſt falſum, ſed etiam ridiculum. In neutro enim eſt error, ſed Catholica veritas. Neque verum eſt, quod hîc rurſus imponitur, noſtros *docere liberum arbitrium præuenire auxilium diuinum operando*; quia liberum arbitrium per ipſum auxilium & vires ab ipſo formaliter acceptas operatur. Vnde nullum opus aut operis particulam tribuunt voluntati ex ſola virtute naturæ quo ſe diſcernat, vt ſuprà cap. 10. oſtenſum. De illo teſtimonio, *Quis te diſcernit*, &c. plura infrà.

2 Secundum habetur cap. 22. *Qui auxilium morale tenaci contentione defendunt, ex parte obiecti voluntatis motionem, illuminationem, atque alia quibus libero arbitrio bonum reddant amabile, conſtituunt; ex parte verò potentiæ voluntatis, auxilium ſufficiens aſſeuerant, quod potentiam iuuat, ſed velle non donat, neque operatur. Sed hæc eadem conſtituit Pelagius; nam quodam loco ait: His nos imperitiſſimi hominum putant iniuriam diuinæ gratiæ facere, quia dicimus, eam ſine voluntate noſtra nequaquam in nobis perficere ſanctitatem. quaſi Deus gratiæ ſuæ imperauerit aliquid, & non illis quibus imperauit etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtret; vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs facere poſſint per gratiam. & tamquam explicaturus, quam dicat gratiam, ſecutus adiunxit dicens; Quam nos, non vt tu putas, in lege tantummodò, ſed & in Dei eſſe adiutorio cōfitemur. Adiuuat enim nos per doctrinam & reuelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum diaboli pandit inſidias, dum multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Concludit auctor: *Attēdat igitur, ne Pelagij errori adhæreſcat, qui auxilium efficax morale aſſeuerat, & ne longè ab Auguſtino & Eccleſiæ doctrina recedat.*

Verba Pelagij.

3 Reſpondeo: Sententia eorum qui defendunt, non tenaci contentione, ſed probabili opinione, auxilium præueniens ſolùm moraliter cooperari & adiuuare, quadrupliciter differt à ſententia Pelagij. Primò, quòd Pelagius præter naturam liberi arbitrij non agnoſcat vl-

Diſcrimen inter ſententiam illorum & Pelagij quadruplex.

Gratia præueniens. lam gratiam præuenientem, quàm legem & doctrinam; vt oſtendit D. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti, cap. 7. & ſequentibus, vbi illa verba Pelagij citata habentur & expenduntur. Illi verò, præter legem & doctrinam interiùs exteriúſve propoſitam, ponunt etiam veram illuſtrationem intellectus per infuſionem luminis, & ſanctam cogitationem diuinitus immiſſam: ponunt etiam pium affectum præuium in voluntate, diuinitus excitatum.

Gratia adiuuans. Secundò, Pelagius totam gratiam adiuuantem conſtituebat in lege & doctrina, vt vbique impingit ei D. Auguſtinus, & cõſtat ex verbis Pelagij citatis, *adiuuat enim nos per doctrinã & reuelationem*, &c. Illi etiam in pio affectu præuio, & maximè in ſupernaturali cooperatione Dei, qua ſupplet defectum cauſæ creatæ; & poſt iuſtificationem, in habitibus infuſis: doctrinam quidem ſeu bonam cogitationem & pium affectum voluntatis ponunt morali quodam modo iuuare voluntatem ad conſenſum; ſupernaturalem autem cooperationem, phyſicè & reali influxu in opus, ſimili modo habitus ſupernaturales iuuant. Quòd ſi Pelagius præter legẽ & doctrinam ſtatuiſſet eſſe neceſſariam illuminationem mentis ſupernaturalem & auxilium ſupernaturale adiuuans, nulla ei quæſtio (vt D. Auguſtinus de gratia Chriſti cap. 47. teſtatur) mota fuiſſet: nam illuminatio ſeu bona cogitatio diuinitus immiſſa, ſufficiens videri poterat pro gratia excitante; cùm ex ea naturaliter affectus aliquis pręuius in voluntate reſultet: quamuis hic in ſubſtantia, ſupernaturalis non ſit. Sed id neceſſarium non videtur, quando ponitur diſtinctum auxilium adiuuans, quod ſupernaturale ſit: poſita igitur mentis illuminatione, qua bonum apprehendatur & cognoſcatur, & affectu ex ipſo reſultante in voluntate, erit in poteſtate voluntatis per auxilium diuinæ cooperationis illud amplecti conſenſu ſupernaturali, etiamſi in voluntate non præceſſerit affectus præuius in ſubſtantia ſupernaturalis. Sanè *Poteſt Deus cooperationẽ ſupernaturalẽ ponere in poteſtate hominis, etiamſi in voluntate non ſit affectus præuius ſupernaturalis.* nullo modo dubitari poteſt, quin Deus talem cooperationem ſupernaturalem in poteſtate hominis, poſita dumtaxat per piam cogitationem excitatione, etiamſi nulla in voluntate affectio præuia ſupernaturalis exiſteret, collocare potuerit. Quòd ſi Pelagio illis poſitis nihil controuerſiæ de gratiæ auxilio futurum fuiſſet; quanto minùs illis quæſtio moueri poteſt, qui præter illuminationem ſupernaturalem, & auxilium ſupernaturale adiuuans, ponunt affectum præuium in voluntate diuinitus excitatum & ſupernaturalẽ? Vtrùm autem iſte affectus præuius influat phyſicè in conſenſum voluntatis, an ſolùm moraliter, ſuo pondere voluntatem inclinando, vt ipſa cum auxilio ad-

adiuuante, quod ipſi adeſt in actu primo, conſenſum ſupernaturalem eliciat; diſputatur vtrimque à viris doctiſſimis probabiliter, neutra parte ad fidei doctrinam vllo modo pertinente, vt oſtenſum eſt c.15.

Tertiò, Pelagius etſi tandem Scripturis conuictus admiſerit aliquam gratiam internam; hanc tamen non requirebat, vt homo abſolutè poſſet bonum operari, ſed ſolùm vt faciliùs poſſet. illi verò eam requirunt, vt abſolutè poſſit.

Quartò, Pelagius non requirebat vllos habitus aut dona interna ſupernaturalia quibus homo iuſtificetur. Illi huiuſmodi dona interna requirunt, tum vt homo iuſtificetur, tum vt poſt iuſtificationem benè operetur.

4 Hinc patet Primò, quàm falſum ſit, quod auctor aſſerit, *Pelagium omnia conſtituiſſe, quæ illi, qui auxilium morale tuentur, conſtituunt*; cùm certum ſit, illum in primis non conſtituiſſe vllum auxilium adiuuans præter doctrinam & legem, & hoc ſolùm vt homo faciliùs poſſet bonum operari.

Patet Secundò, illos non negare illud quod ait Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 25. *Non lege atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna atque occulta, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates*: quia ad bonas voluntates fatentur opus eſſe interno & occulto, mirabili & ineffabili influxu, tum operationis præuiæ qua formetur in nobis pia cogitatio, & affectio ſupernaturalis; tum cooperationis ſociæ, vt illæ voluntates concipiantur: & vt ſint ſtabiles, opus eſt infallibili influxu, quo infundit habitum ſupernaturalem & Spiritum ſanctum.

5 Tertium, ex D. Auguſtino de gratia Chriſti, lib. 1. cap. 25. *Non ſolùm poſſe noſtrum donauit & adiuuat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis: non quia nos nō volumus, aut nos non agimus; ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* & cap. 5. *Scire debemus, quòd nec voluntatem noſtram nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam ex his tribus nos habere affirmat ex Deo. tamquam hoc ſit infirmum quod ipſe Deus poſuit in natura; cetera verò duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio, & ideò nō adiuuet vt velimus, non adiuuet vt agamus, ſed tantummodò adiuuet, vt velle & agere valeamus*, &c. *atqui grația, quam illi ponunt, ſolùm poſſe voluntati præſtat; ergo ſententia illorum accedit ad errorem Pelagij.*

Reſpondeo: Qui verba D. Auguſtini obiter legunt, eaque ex vulgari loquendi forma intelligunt, putant errorem Pelagij in eo fuiſſe, quòd etſi concederet libero arbitrio dari à Deo poteſtatem boni operis, ita vt verè poſſet illud facere; negaret tamen eſſe opus motione efficaci, per quam daretur etiam ipſum opus. Vnde putant habitum fidei, ſpei & charitatis, & auxilia præuenientia (ſi abſit auxilium per ſe efficax) nihil dare niſi poſſe, quod poſuit Pelagius. Hoc modo, qui ponunt gratiam determinantem, intelligunt Auguſtinum, quando ait contra Pelagium, *Deus non tantùm dat poſſe, ſed etiam velle: non ſolùm poſſe adiuuat, ſed etiam velle & agere.* & ita doctrinam ſanam ac Catholicam boni quidam & docti alioquin viri, & D. Auguſtini lectores aſſidui, putarunt aliquando eſſe errorem ipſiſſimum Pelagij. Sed longè alia eſt mens Auguſtini & Pelagij. vt patet ex lib. 1. de gratia Chriſti cap. 4. vbi Pelagij verba refert: *Nos*, inquit Pelagius, *tria iſta ſic diſtinguimus, primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id eſt, poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit; duo reliqua, hoc eſt, velle & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrij fonte deſcendunt*, &c. Per *poſſe* igitur, Pelagius intelligebat naturam liberi arbitrij, qua carere non eſt in noſtra poteſtate. Per hanc enim ſolam putabat nos poſſe implere totam legem, & mereri vitam æternam. hoc *poſſe* dicebat ſemper iuuari gratiæ auxilio, non tamen apertè explicabat quomodo iuuaretur. D. Auguſtinus cap. 6. interpretatur mentem ipſius fuiſſe illud iuuari per legem & doctrinam: nam Pelagius nullam aliam gratiam ponebat. *Velle* autem & *agere*, dicebat eſſe ſolius hominis; quæ ideò tantùm Deo tribuerentur, quia ipſe condidit naturam, ſine qua nec velle nec agere poſſemus. Itaque putabat Deum ſe volitioni & actioni non immiſcere, neque ad eam iuuare. Contra quem probat B. Auguſtinus, Deum non ſolùm dare nobis *poſſe*, id eſt, naturam liberi arbitrij, ſed etiam *velle*. non quòd volitio infundatur à Deo; aut quòd Deus ad illam determinet, vt imaginatur auctor; ſed quia per liberum arbitrium, & per doctrinam illud ſalutare velle haberi nequit, niſi Deus magis ſpeciali auxilio iuuerit. Item non tantùm *poſſe*, ſeu *poſſibilitatem* iuuari, id eſt naturam liberi arbitrij non ſolùm doctrina inſtrui; ſed etiam ipſum *velle & agere* iuuari, id eſt, dari auxilium vt velimus & agamus, ita vt velle & agere non tantùm ſit à libero arbitrio doctrinâ inſtructo, ſed etiam à peculiari Dei adiutorio. hoc autem adiutorium non eſt motio prædeterminans ſed cooperans & adiuuans. Hanc eſſe men-

Error Pelagij.

Quid Pelagius intelligat per poſſe.

Deus nō tantùm dat poſſe.

mentem Auguſtini clariſſimum eſt, tum ex verbis in argumento poſitis, tum ex totius libri decurſu. vbique enim ad *bonũ velle* contendit Auguſtinus requiri ſingulare adiutorium, præter naturam liberi arbitrij & doctrinam. Non enim eo libro eſt ipſi quæſtio cum Pelagio de gratia excitante, quà excitans eſt, ſed de adiuuante & cooperante, ſiue illa ſit eadem re cum præuia affectione voluntatis, ſiue diuerſa; ſiue ſit habitus ſupernaturalis, ſicut eſt poſt iuſtificationem; ſiue cooperatio ſupernaturalis, aut Deus ipſe vt cooperans, vt quidam volunt ante iuſtificationem.

6 Ex his patet, falſum eſſe quod ſubſumitur in argumento, *Gratiam quam ponunt Doctores qui motionem determinantem non agnoſcunt, ſolùm præſtare voluntati poſſe.* certum enim eſt, affectum præuium qui voluntati imprimitur, & auxilium cooperationis ſupernaturalis, iuuare ipſum velle & actionem. Idem dico de habitu. ſunt enim hæc peculiaria auxilia, quibus iuuamur vt velimus. Vnde apparet inanem eſſe antitheſim, quam facit inter gratiam per ſe efficacem, & auxilium quod illi ſtatuunt.

7 Poſt hæc addit: *Si igitur iſti auxilij moralis inuentores nobis conſenſerint, non ſolùm per gratiam ſufficientem potentiam adiuuari, ſed etiam per efficientem actum generari, nihil erit inter nos quæſtionis vt reor.* Omnino id conſentiunt & expreſsè docent; vt ex dictis patet; & tamen tota, vti reor, quæſtio & controuerſia adhuc conſtat. Non enim quæſtio eſt, an gratia diuina ſit cauſa phyſicè efficiens bonum opus (omnes enim fatentur eſſe aliquod auxilium phyſicè influens in opus, per modum cauſæ partialis) ſed vtrùm phyſicè prædeterminet voluntatem, & an habeat efficientiam phyſicam in opus priùs naturâ quàm voluntas. hoc enim eſt quod auctor totis viribus contendit probare; & quod nos omnino negandum cenſemus. Vnde non deberet illud auxilium vocari *auxilium phyſicum*, vel *auxilium phyſicè efficiens*, quaſi à noſtris negaretur omne auxilium phyſicè efficiens (hoc enim bonę fidei leges non permittunt) ſed vocandum eſſet auxilium phyſicè prædeterminans, aut per ſe efficax, vt conſtet de quo ſit controuerſia. Quòd autem noſtros inuentores auxilij moralis vocat, ſolitâ licentiâ facit. Nam Doctores Scholaſtici nuſquam expreſsè docent auxilium præueniens phyſicè libero arbitrio cooperari; & inter recentiores, perpauci. Vnde probabile eſt eos non agnoſcere, niſi cooperationem moralem.

Omnes fatentur eſſe aliquod auxilium phyſicè efficiens.

8 Quartum, ex cap. 17. Geneſis. *Vbi*, inquit, *repromiſit Deus patri noſtro Abrahæ dicens, Patrem multarum gentium conſtitui te; & in-*

quit Apoſtolus, Ideò ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio. quæ verba explicans D. Thomas, dicit: Vt promiſſio Dei ſit firma, non per operationes hominum, quæ poſſunt deficere, ſed ſecundùm gratiam quæ infallibilis eſt. & D. Auguſtinus ſic loquitur: Ideò ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit, &c. Hinc concludit auctor: *Ex quibus ſatis apertè colligitur, vt Deus promiſſionem ſuam adimpleat in credentibus, non expectare voluntates hominum, ſed ipſemet adimplet quod promiſit; dum per auxilium efficiens ſeu phyſicum gratiæ ſuæ, firmiter facit filios Abrahæ; neque voluntatibus eorum committit, ſed in eis ipſe agit quod promiſit.*

Reſpondeo: Hoc argumentum parùm fabrè conſutum eſt, vt pleraque alia. Satiùs fuiſſet illud ponere vt habetur apud B. Auguſtinum, de prædeſtinat. Sanctorum cap. 10. vbi probat fidem eſſe donum Dei ex diuina prædeſtinatione proueniens, hoc argumento: *Deus promiſit Abrahæ in ſemine eius fidem Gentium, ergo ipſe eam fidem erat daturus. ac proinde illa non erat prouentura ex hominis poteſtate* (intellige nuda abſque auxilio gratiæ, vt volebant Maſſilienſes, contra quos agit Auguſtinus) *ſed ex diuina prædeſtinatione*, vt cauſa principali. *promiſit enim*, inquit Auguſtinus, *quod ipſe facturus erat, nō quod homines: quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit vt illi faciant quod promiſit.* nempe quia ipſe ad hoc excitat & vocat nihil cogitantes & immerentes, ſicut aptum nouit vt ſequantur; & vt cauſa principalis cooperatur. homines autem, antequam à Deo excitētur, nihil faciunt quo promereantur, vt Deus impleat promiſſionem ſuam inſpirando vocationem. Addit Auguſtinus: *Alioquin vt promiſſa Dei compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate* (ſcilicet naturali, ante omne auxilium gratiæ.) Hæc eſt mens Auguſtini.

Explicatur locus D. Auguſtini.

Hinc autem nullo modo ſequitur quod intendit auctor, quando voluntas eſt diuinitus excitata & præparata per auxilium ſufficiens, Deum non expectare voluntatem hominis vt conſentiat, aut vt bonum operetur quo ipſum colat, & mandata cuſtodiat; neque voluntati hominis hunc cōſenſum & opera bona committere, ſed ipſummet per auxilium ſuum determinans illa operari. Si enim quia in fide & bonis operibus Gentiū, impletur diuina promiſſio facta Abrahæ, Deus ipſe per ſe hæc debet in illis operari, & non expectat eorum voluntates per auxiliū ſufficiens pręparatas; quomodo credere & bonū operari eſt illis liberum? quomodo laudē merentur, ſi credant & benè

Non ſequi quod auctor intendit.

Incommoda ex illius interpretatione.

benè operentur, cùm Deus hoc totum in ipſis faciat, vt promiſſa ſua impleat, nec ipſi poſſint impedire, quin faciat? quomodo Scriptura docet, Deum expectare vt miſereatur noſtri, vt benè operemur, vt vinea ſua vuas faciat, vt ficus fructum proferat? Sanè non video qua ratione hæc ſententia non manifeſtè libertatem in operibus bonis perimat.

9 Itaque dicendum eſt, non relinquere Deum impletionem promiſſorum ſuorum voluntati humanæ per gratiæ auxilium non adiutæ, vt volebāt Maſſilienſes, ſed ipſe ea implet; ex parte quidem ſua, dum Gentes ad fidem vocat, quæ vocatio non eſt in illorum poteſtate: abſolutè verò, dum vnà cum ipſis in cordibus eorum fidem ſeu actum credendi & alia bona opera operatur: & hac ex parte relinquitur impletio promiſſorum in poteſtate voluntatis diuinitus præparatæ. Ratio eſt, quia non promiſit fidem Gentium & bona illorum opera (quę ſub fide intelligenda ſunt) abſolutè & in ſeipſis ante præuiſionem cooperationis eorum quos ipſe vocare ſtatuerat, ſed ſuppoſita voluntate vocandi, & præuiſione cooperationis. Itaque vt impleantur diuina promiſſa qua parte reſpiciunt opera bona in ſeipſis, pendet à voluntate hominum diuinitus præparata, ſicut & ipſa opera pendent. Si tamen diuina promiſſio ſpectetur qua parte reſpiciunt bona opera in ſua cauſa, ſcilicet in vocatione ad fidem: ſic impletio eius non pendet vllo modo ab hominum voluntate, ſicut nec ipſa vocatio.

Quo modo nō relinquit Deus impletionem promiſſorum hominis voluntati.

Quo modo implet promiſſionem de fide Gentium.

Promiſſio illa poteſt comparari vel ad vocationem congruam, vel ad fidem ipſam & opera.

10 Quintò repetuntur aliquot aliæ Scripturæ, Ezech. 36. *Faciam vt in præceptis meis ambuletis*. Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. & ſimiles quas ſuprà adduxerat: ad quas cap. 11. abundè reſponſum eſt. nihil enim hîc noui adfertur, ſed eadem repetuntur, bile & ſucco lolliginis atrę non parùm ſuffuſa & tincta. Vnum tamen locum, quem ſuprà non excuſſimus, libet examinare, qui ſæpè à gratiæ determinantis propugnatoribus ingeri ſolet: is eſt, 1. Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? In hac euidentiſſima Apoſtoli intentione* (inquit D. Auguſtinus) *qua contra humanā ſuperbiam loquitur, ne quiſquā in homine ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectamq́; naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ qualeſcumque reliquias, nimis quantum exiſtimo abſurdum eſt. numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab homi-*

hominibus? Addit auctor: *Dicant ergo mihi poſt hæc Auguſtini verba, & Apoſtolicam ſententiam, moralis efficaciæ defenſores, dum homo ad Deum conuertitur & credit, ſperat, diligit, pænitet, taliter quòd per hos actus gratiam gratum facientem conſequitur, ſine auxilio aliquo phyſico & efficienti trahente, quomodo ipſe non ſeipſum diſcernit? quomodo non habet multa quæ non accepit, vnde poſſit gloriari? ſi quidem habet hos actus, quibus ab alio qui non conuertitur ſeipſum diſcernit.*

Reſpondeo Primò: Qui conuertitur & credit, ſperat, diligit, pœnitet, non id facit ſine aliquo auxilio phyſico trahente; nam intellectus eius realiter illuminatur, & voluntas affectu reali & phyſico trahitur & impellitur ad hos actus, non tamen ita vt per hunc tractum prædeterminetur, aut vt ei non poſſit reſiſtere, vt intendit auctor.

Secundò, dum ita tractus & incitatus conuertitur, & hos actus facit, non id facit per nudas vires naturæ (vt volebant illi, contra quos S. Auguſtinus ibi diſputat) ſed per vires gratiæ tum præuenientis, quæ moraliter iuuat (quæ ratio iuuandi quantam vim habeat, oſtenſum eſt cap. 15. nu. 8.) tum comitantis, quæ phyſicè iuuat. imò etiam præueniens non ſolùm moraliter, ſed & phyſicè iuuat, iuxta Molinam, & alios multos; quam ſententiam mihi quoque maximè probari oſtendi ſuprà cap. 15. num. 2. Itaque in his actibus non ſeipſum diſcernit (videlicet per ſuas vires) quia ſuis viribus illos actus habere nequit; ſed Deus illum diſcernit, quia à Deo excitatus, viribus gratiæ & auxilij diuini illos elicit. Dicitur enim Deus *illum diſcernere*, tum quia illum ad hæc vocatione congrua excitauit, vel vt D. Auguſtinus loquitur, *quia voluntas præparatur à Domino*: tum quia vires & auxilium ſuppeditauit, quo hæc præſtitit. Hinc tamen non ſequitur, quin etiam homo iam diuinitus excitatus, ſeipſum diſcernat. ſicut enim homo ſeipſum dicitur *emundare à peccatis, facere vas in honorem, conuertere, animam ſuam viuificare, facere ſibi cor nouum, & ſpiritum nouum*: ita etiam *ab alijs ſe diſcernere*; quia ipſe eos actus facit per quos formaliter diſcernitur, cùm poſſit non facere: alius non facit, cùm poſſit facere. Itaque homo etiam ſeipſum diſcernit ab alio tamquam cauſa effectiua diſcretionis: quod ſalua fide negari non poteſt. Verùm quia ſeipſum ad hoc primitus non excitauit, neque ſuis viribus id præſtat, ideò non poteſt in ſeipſo gloriari, quaſi hoc à ſe; id eſt, ſuis viribus habeat; ſed in Domino, qui immeritum vocauit & vires dedit, & cooperatus eſt. Sicut ſi duobus pauperibus Rex offerret duo regna, & alter acceptaret, alter per ſocordiam negligeret; qui acceptaſſet, non poſſet in ſe gloriari aduerſus alterum, quaſi ſua induſtria

Explicatur locus Apoſtoli, Quis te diſcernit.

Deus diſcernit credentē à non credēte duplici ratione.

2. Tim. 2. Ioel. 2. Ezech. 18.

Homo etiam ſeipſum diſcernit.

Non poteſt in ſe gloriari.

vel

vel meritis, non Regis liberalitate, regnum poſſideret. Itaque non ſequitur, eum qui conuertitur habere illos actus à ſe, & non accepiſſe à Domino: nihil enim eſt in illis actibus, quod non ſit ab auxilio gratiæ. nam etiam cooperatio & influxus liberi arbitrij ad illum actum, ſine auxilio gratiæ eſſe non poteſt: vt oſtenſum eſt cap. 10. n. 13. & 14.

CAPVT XVIII.

Reſpondetur Demonſtrationibus Theologicis auctoris, & aliis quibuſdam aliorum Rationibus, pro auxilio determinante concinnatis.

OMitto teſtimonia Conciliorum & Patrum, quæ rurſum ab auctore repetuntur: tum quia abundè ſuprà reſponſum eſt, tum quia vbique ſupponit auctor eos qui auxilium morale conſtituunt tantùm requirere ad conuerſionem, motionem obiectiuam, quæ fiat propoſitione obiecti; nullam autem præuiam affectionem piam in voluntate, nullam cooperationem ſupernaturalem gratiæ adiuuantis: quod falſum eſſe ſuprà cap. 15. oſtenſum eſt. Omitto quàm parùm feliciter argumentatio ex illis teſtimonijs plerumque procedat, etiamſi tam largo fundamento nitatur. Veniamus ad Theologicas Demonſtrationes, vt ipſe vocat, quibus auxilij diuini phyſica efficacia, qua liberum arbitrium phyſicè prædeterminetur, oſtenditur.

1 Prima Demonſtratio: *Auxilium de quo eſt ſermo, ſecundùm ſe & ex modo motionis diuinæ, & vt à Deo procedit, eſt efficax, vt colligitur ex verbis Domini: Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Qui autem auxilium morale comminiſcuntur, iſtam efficaciam non conſtituunt. motio enim moralis non eſt efficax ex ſe; expectat namque voluntatis conſenſum, vt efficaciam habere dicatur. nec prædeterminat voluntatem, nec præmouet; ſed ipſa ſuis viribus ſe determinat & mouet effectiuè. quam efficaciam nullo modo ſecundùm hanc poſitionem ſumit à gratia, ſed ab euentu contingenti. Itaque hanc motionem moralem, qualicumque cauſalitate polleat, ſemper effectus ſequitur contingenter: & hæc duo ſtant ſimul, quòd Deus me mouet efficacia morali ad credendum, & ego non credo, ſed reſiſto. ſuppoſita namque tota cauſalitate per ſe huius cauſæ, poſſum non conſentire, non credere, & reſiſtere. Non igitur eſt hæc motio efficax, niſi quia contingenter ſucceſſit effectus, cùm*

 tamen

tamen Veritas dicat; Sine me nihil poteſtis facere. & Apoſtolus; Quid habes quod non accepiſti? Concludit: *Iſta ergo ſententia, nullatenus ſanæ doctrinæ conſentit.*

Reſpondeo Primò ad maiorem, neque ex illis, neque ex aliis verbis Domini colligi gratiam, quæ ex ſe ita ſit efficax, vt voluntatem humanam prædeterminet, de qua eſt quæſtio, ſeu quæ ex ſe (id eſt, independenter à libero arbitrio) ſit efficax in actu ſecundo reſpectu operis, vt ſuprà ſatis oſtenſum eſt.

Explicatur locus Ioan. 6. Ad locum illum Ioannis: Non dicit Dominus, *Omnis qui audiuit à Patre, venit ad me*; ſed, *Omnis qui audiuit & didicit, venit ad me.* Vnde per *audiuit* non ſignificatur gratia determinans; fieri enim poteſt, vt quis audiat vocem Domini, & obduret cor ſuum, nolitque diſcere iuxta illud Pſal. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra,* &c. Senſus igitur eſt, Omnis qui audiuit ſeu percepit teſtimonium internum Patris de Chriſto; & ita audiuit vt *diſceret*, id eſt, vt aſſentiretur & crederet illi, hic venit ad Chriſtum; amplectitur illum tamquam Meſſiam & Filium Dei. Itaque in *auditione*, ſignificatur auxilium præueniens & interna vocatio; in *diſcere*, conſenſus & voluntas credendi. Sic tempore noui Teſtamenti, *Omnes ſunt docibiles Dei*, id eſt, ſunt diſcipuli Dei interiùs loquentis & docentis de Chriſto, quia nemo venit ad Filium, niſi quem Pater traxerit & docuerit interiùs. tamen in illorum poteſtate eſt, Patri trahenti reſiſtere, & docenti non aſſentiri.

Audire. Diſcere.

Secundò, ad minorem: Admitto illos in auxilio morali non conſtituere talem efficaciam; nempe qualem auctor requirit, per quam voluntas prædeterminetur. quia vt dicatur habere efficaciam in actu ſecundo, expectat conſenſum voluntatis cuius vſui ſubeſt, ita vt hæc efficacia ab vſu voluntatis quodammodò pendeat. vnde nec prædeterminat voluntatem, nec eam præmouet eo modo, vt non poſſit illi reſiſtere. Verum tamen non eſt quod imponit auctor, *voluntatem, iuxta hanc poſitionem, ſuis viribus (ſolis) ſe determinare & mouere effectiuè; & hanc efficaciam non ſumere à gratia, ſed ab euentu contingenti.* nam iuxta hanc poſitionem auxilium morale conſiſtens in pia cogitatione intellectus, & ſancta affectione voluntatis, iuuat voluntatem morali modo (nempe inſtar ſuadentis & allicientis) vt ſe determinet; ideò enim auxilium dicitur, quia iuuat. gratia verò adiuuans iuuat eam influxu phyſico in ipſam determinationem. Itaque voluntas non determinat ſeipſam ſolis naturæ viribus; ſed naturæ viribus eodem inſtanti temporis & naturæ adiutis per vires gratiæ: & determina-

Voluntas vt ſe ipſam in opere pietatis determinet.

minatio voluntatis, non eſt effectiuè à ſola voluntate, ſed etiam ab auxilio gratię. Hæc enim determinatio nihil eſt aliud quàm ipſe actus (quia omnis alia determinatio libertati repugnat) qui non poteſt à ſola voluntate abſque gratiæ auxilio fieri. Itaque voluntas efficaciam illam qua effectiuè ſeipſam determinat in opere bono, habet partim à natura ſua, partim ab auxilio gratiæ; non autem ab euentu contingenti. Verum quidem eſt, niſi effectus ſecutus fuerit, gratiam efficacem non eſſe, aut fuiſſe. ſed quis tam inſulſus eſt vt idcircò dicat, voluntatem ſumere efficaciam ab euentu contingenti? *Efficacia voluntatis unde.*

Quod addit auctor: *Itaque hanc motionem moralem, qualicumque cauſalitate polleat, ſemper effectus ſequitur contingenter*, &c. Libenter fatemur, imò neceſſarium ducimus, vt ſalua ſit libertas, omne auxilium præueniens tale eſſe vt ipſo poſito effectus ſequatur contingenter; quia fide tenendum eſt, effectum, id eſt conuerſionem & opus bonum, non ita ſeq̃ui ex auxilio præueniente, quin voluntas poſſit impedire vt non ſequatur; vt oſtenſum eſt ex Concil. Trident. cap. 7. Non tamen hinc ſequitur, hæc duo ſimul ſtare, Deus mouet me auxilio morali efficaci ad credendum, & ego non credo. nam hoc ipſo quo dicis efficaci, ſignificas effectum eſſe futurum; Deumq́; ſic mouere, ſicut præſciebat effectum ſecuturum. Admitto tamen, poſita tota cauſalitate, id eſt, vi efficiendi illius auxilij quam per ſe habet, me poſſe non conſentire & reſiſtere: quia fide tenendum eſt, liberum arbitrium motum & excitatum à Deo poſſe diſſentire: quamuis ſi eſt motio quam vocant congruam, non diſſentiet. Ex his patet, vt falſa veris inordinatè permixta in hac deductione minoris contineantur. *Effectum ſequi contingenter.*

Notandum eſt in hac Demonſtratione multis modis videri euerti libertatem in operibus bonis. Primò, cùm dicitur *gratiam ex ſe & ex modo diuinæ motionis* (ac proinde independenter à libero arbitrio) *eſſe efficacem (in actu ſecundo)*. Secundò, cùm requiritur vt gratia *non expectet conſenſum voluntatis* in opere producendo. Tertiò, cùm requiritur *vt præmoueat & prædeterminet voluntatem.* Quartò, cùm vult *voluntatem ſumere efficaciam* in actu ſecundo à gratia, gratiam autem hanc *habere ex ſe & ex modo motionis diuinæ.* Quintò, quando requirit vt effectus non ſequatur à gratia præueniente *contingenter.* Si enim non ſequitur contingenter, ergo voluntas non poteſt impedire, quin ſequatur. ac proinde ille actus non eſt in poteſtate voluntatis vt ſit vel non ſit. Item vſus gratiæ non erit in poteſtate voluntatis, nec illi ſubditus. ac proinde gratia rapiet ſecum voluntatem neceſſariò. Sanè non video quomodo clarioribus verbis poſſit *Multis modis videri libertatem euerti.*

tolli libertas; niſi quis expreſsè dicat voluntatem non eſſe liberam. Sextò, cùm requirit vt ſpectata *cauſalitate* ſeu vi efficiendi quæ eſt in gratia, non poſſit quis motioni gratiæ reſiſtere.

Secunda Demonſtratio: *Rurſus illud gratiæ auxilium quod ponunt, aut agit in actum tantùm, non autem in potentiã; aut præmouet ipſam potentiam ad operandum. Si primum aſſeuerent, fit conſequens quòd gratia & liberum arbitrium ſint cauſæ partiales actus; ſicut duo trahentes nauim. & ex conſequenti à principio operationis vſque in finem propriis ſolùm viribus medietatem operatur; quod nullus ſtante fide concedet. Si verò fateantur illud auxilium in proſecutione operis præadiuuare; ridiculum eſt voluntatem incipientem derelinquere, quam in progreſſu actionis iuuet; cùm longè maior ſit in principio difficultas cùm ſe de potentia in actum reducit, quàm dum iam reducta in actum operationem proſequitur.* 2

Quomodo ſingula auxilia agant.

Reſpondeo cum diſtinctione: Auxilium præueniens quod ponunt, agit in potentiam non effectiuè, ſed formaliter, ſeipſo potentias afficiendo, præmouendo & ad actum inclinando, vt ſuprà oſtenſum eſt. in actum agit effectiuè non phyſico modo, ſed morali, iuxta hanc ſententiam. Auxilium verò cooperationis, vel potiùs Deus per auxilium cooperationis, agit phyſicè & effectiuè non in potẽtiam, aliquid præuium actui in ea efficiendo; ſed in actum, ad quem producendum, vnà cum potentia concurrit. quodam tamen ſenſu dicitur agere in potentiam, eamque mouere, non motione præueniente, ſed comitante; quia cauſat actum qui eſt motus quidam in potentia exiſtens, quo ipſa mouetur. Sic intelligendus D. Thomas, & quidam alij Doctores, dum dicunt cauſam primam mouere cauſam ſecundam, non ſolùm quia virtutem tribuit, ſed etiam quia motum eius cauſat, eamque applicat. vt ſuprà cap. 14. ex Caietano & aliis oſtenſum eſt.

Gratiam & lib. arbit. eſſe cauſas partiales.

Ad alteram partem dilemmatis, fatemur gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales actus, ſicut duo trahentes nauim; vt ſuprà cap. 10. num. 17. & cap. 11. num. 12. Non enim gratia priùs naturâ facit totum actum, quàm liberum arbitrium, vt auctor iuxta ſua principia dicere debet; neque liberum arbitrium priùs quàm gratia: ſed omnino ſimul naturâ, cum mutua dependentia; ac proinde vt cauſæ partiales, vnam cauſam integram cõſtituentes. Hinc tamen non eſt conſequens, liberum arbitrium à principio operationis vſque in finem propriis ſolùm viribus, aut medietatem tantùm actus operari, vt iſte infert: tum quia liberum arbitrium non ſolis naturæ

ſuæ

ſuæ viribus, ſed etiam viribus gratiæ operatur; vtitur enim gratiâ, eiuſque auxilio facit opus; tum quia cauſa partialis, eſt cauſa totius operis, etiamſi ipſa non ſit tota cauſa operis. aliud enim eſt, eſſe cauſam partialem operis, aliud eſt eſſe cauſam partis operis, vt multis exemplis declarari poteſt; & auctor facilè in exemplo quod ipſe proponit perſpicere poterat. Cùm enim duo trahunt nauem, motus nauis totus eſt à ſingulis, tamquam à cauſa partiali: non autem dimidium ab vno & dimidium ab altero. Similiter ſinguli ſunt cauſa partialis totius impetus impreſſi, maximè ſecundùm Thomiſtas, qui docent non poſſe duo accidentia eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto: neuter tamen eſt tota cauſa illius motus vel impetus.

Ad tertiam partem dilemmatis reſpondeo, Auxilium præueniens non ſolùm in proſecutione operis, ſed etiam in principio ſuo modo præadiuuare; auxilium verò concomitans neque in proſecutione, neque in principio præadiuuare; ſed in vtroque adiuuare. Itaque vitatur illa abſurditas quam auctor colligit, parùm appoſitè applicans, id quod diuus Auguſtinus contra Semipelagianos dixerat; nempe, *Ridiculum eſſe, Deum voluntatem incipientem derelinquere, quam in progreſſu actionis adiuuet.* rectè hoc opponitur illis, qui dicunt, hominem ſuis viribus quoduis opus bonum poſſe incipere, firmiter volendo & proponendo; ſed in executione egere auxilio, vt dicebant Semipelagiani: contra quos dirigitur illa ſententia Concilij Arauſicani Can. 25. *Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus* (illud eligendo & proponendo abſque Dei auxilio) *& poſteà per Dei miſericordiam adiuuamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorē ſui priùs inſpirat, vt & Baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus*, &c. Locum illum Apoſtoli, *Quis te diſcernit*, qui hìc rurſus ingeritur, ſuprà ſatis excuſſimus. Ex hoc argumento facilè quis aduertat iſtum auctorem gratiæ determinanti duplicem operationem effectiuam tribuere, vnam quæ mouet ipſam potētiam, alteram qua influit in opus: quod etiam ſuprà aliquoties notauimus ex alijs eius rationibus & dictis. Itaque determinat voluntatem, & formaliter & effectiuè, & præuenit illam ſuo influxu in effectum: quare triplici modo eam prædeterminabit, ne fortè prædeterminationum inopiâ non operetur.

3 Tertia Demonſtratio: *Deus à malo in bonum humana corda conuertit, cor aufert adamantinum, carneum molléque ſubſtituit, iuxta illud Ieremiæ: Dabo eis cor carneum, &c. Si autem auxilium ſufficiens ſeu morale aſſeuerantes audiamus, non Deum à nobis cor auferre lapideum*

& præſtare carneum inueniemus,ſed nos pro liberi arbitrij facultate hæc ipſa facere intelligemus. Si enim duobus hominibus inæqualiter diſpoſitis per naturæ vires, æqualiter tamen morali motione per obiectum bonum illectis,alter conuertatur, alter ampliùs induretur, quanam cauſa conuerſionis vnius eſt & obdurationis alterius, nónne quia ille ſe determinauit in bonum,ex mera ſua voluntate atque naturæ virtute, alio in ſuo peccato perſeuerante? Igitur non motio moralis hunc,ſed ſua ſola facultas voluntatis conuertit.

Reſpondeo negando ſubſumptum: qui enim auxilium præueniẽs moraliter adiuuans ſtatuunt (quod iſte auxilium morale vocat) dicunt, *Deum auferre cor lapideum* & *dare carneum* tamquam cauſam principalem; quia ipſe ad bonum excitat, & ad illud amplectendum, tum per gratiam præuenientem,tum per cooperantem (quam auctor paſſim diſſimulat) nos iuuat, & amplectentibus, Spiritum ſuum gratiamque iuſtificationis infundit. cum hoc tamen conſtat, etiam nos per liberi arbitrij facultatem,gratia præueniente & cooperante adiutam,nobis cor nouum facere.

Ad confirmationem: Cauſa conuerſionis iſtius, in exemplo propoſito, diſpoſitiua quidẽ eſt motio præueniens, quæ in bona cogitatione & voluntatis præuia affectione conſiſtit: efficiens verò integra, liberum arbitrium cum adiutorio Dei. Conuerſus igitur eſt,non quia nuda voluntate voluit, ſed quia per auxilium gratiæ, non ſolùm præuenientis (quæ vt minimum moraliter iuuat) ſed etiam comitantis, quæ phyſicè concurrit, voluit & ſe determinauit, altero per propriam voluntatem nolente, cùm tamen ſimiliter poſſet velle.

Reſponſio, quam nomine aliorum ſubſtituit auctor,neque ex fide refertur,neque nobis eſt neceſſaria. quis enim ad argumentum proximum ita reſpondeat? *Deus præſciuit illum præſtiturum conſenſum illi auxilio, alium negaturum, atque ideò illa motione cor iſtius hominis emolliuit, vt conuerteretur, alterum autem indurauit.* nam prætterquam quòd hoc apertè falſum ſit, non rectè poteſt aptari propoſito. Itaque fruſtrà laborat,dum nititur hanc reſponſionem refutare. Sed nec benè eam refutat: aſſumit enim pro certo, quod multis videtur erroneum, *Deum non poſſe volitiones hominum in libero arbitrio intueri poſito quòd ab ipſo non moueatur efficiente & phyſico auxilio*, id eſt, motione prædeterminante. loquitur enim de illa intuitione, qua Deus illas abſolutè intueatur in libero arbitrio ſuis temporibus exiſtentes, non autem qua illas intueatur ex vi intuitionis liberi arbitrij. nam talis intuitio, nihil ad rem facit; nec, ſi de ea ſit ſermo, vim habebit

Deum non poſſe præuidere actiones voluntatis, niſi ad eas voluntatẽ prædeterminet, non videri ſanæ doctrinæ conſentaneum.

bebit argumentum: datur enim tertius modus illas præuidẽdi, nempe qua præuidẽtur neque ex vi cognitionis liberi arbitrij, neque ex vi prædeterminationis; ſed ex vi præſcientiæ diuinæ, & ex eo quod reipſa abſolutè, vel facta aliqua ſuppoſitione extabunt, vt ſuprà cap. 15. dictum eſt.

Sed, inquit, eadem eſt motio, quæ me in bonum promouet, & alteri cedit in malum; & ſicut Deus præſcit me conuertendum, ita pręſcit alterum indurandum: ergo mihi tribuenda eſt hîc conuerſio & emollitio, ſicut & illi durities.

Reſpondeo, non eodem prorſus modo hæc tribuenda libertati: nam *durities* ſeu mentis obſtinatio, qua iſte recuſat conuerti, eſt à ſolo libero arbitrio, tamquam à cauſa integra, gratiâ pręueniente & comitante nullo modo ad eam concurrente. quamuis enim gratia pręueniens ei adſit in actu ſecundo, & comitans in actu primo; tamen ſponte ſua, non vult illis vti, ſed ſua libertate obdurat cor ſuum. *conuerſio* verò huius, non eſt à ſolo libero arbitrio, ſed principaliter à gratia tum præueniente, tum adiuuante, qua hic voluit vti, cùm poſſet non vti, & ſuo libero arbitrio reſiſtere, ſicut alter. Itaque liberum arbitrium non eſt integra cauſa conuerſionis, ſed partialis tantùm, & quidem minùs principalis. Si tamen conſideretur præcisè illa circumſtantia conuerſionis, quòd hîc & nunc potiùs fiat quàm aliàs vel alio modo, huius cauſa directa & principalis eſt liberũ arbitrium, quamuis non ſine auxilio gratiæ: ſicut ſi conſideretur ſupernaturalitas actus, huius cauſa directa & principalis eſt gratia, etſi non ſine libero arbitrio. vt ſuprà cap. 10. fuſiùs oſtenſum eſt.

Durities eſt à ſolo lib. arbitrio.

Lib. arb. eſt cauſa directa & principalis quòd actus hic & nunc fiat.

4 Quarta Demonſtratio: *Rurſus qui in re minimè diſputanda nos diſputare compellunt, & nodum in ſcirpo quærunt, meminerint verborum Chriſti: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, &c. & orate ne intretis in tentationem. Qui hæc dicit, ſine orationibus poterat ſua nobis beneficia largiri, voluit autem nos noſtris orationibus admoneri, à quo beneficia hæc accipiamus. Confirmatur Eſth.* 14. *Domine Rex deorum & vniuerſæ poteſtatis, tribue ſermonem compoſitum in ore meo, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, &c. & ex verbis Prophetæ Ieremiæ: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. quibus verbis nos Dei gratia præueniri confitemur.*

Reſpondeo: Si hoc non eſt in re ad propoſitum minimè pertinente diſputare, & nodum in ſcirpo quærere, lectores iudices ſunto. quis enim negat conuerſionem, opera bona, & perſeuerantiam eſſe dona Dei? aut nos ad hæc non debere auxilio gratiæ excitari & iuuari?

hoc

hoc enim tantùm probat argumentum. teſtimonium Eſther ſuprà excuſſum cap. 11.

Quinta Demonſtratio: *Quo modo efficaci gratia auxilij præuenientis impellamur, manifeſtè Tridentina Synodus nos docuit, dicens: Declarat prætereà ſancta Synodus ipſius iuſtificationis exordium*, &c. vſque ad finem capitis. Cócludit auctor: *Gratiæ igitur auxilium efficax quod inſpirat & adiuuat, aliquid in voluntatem influit, quo diſponatur & iuuetur, quod obiectum nullatenus tribuit, nec de ipſo morali auxilio valet, niſi abſurdè nimis, explicari Concilium.* 5

Reſpondeo: Notanda erant & expendenda præciſa Concilij verba, quibus ille gratiæ efficacis & determinantis impulſus ſignificatur, & contraria ſententia reprobatur. ſed quia id fieri non poterat, ideò totum caput auctor tranſſcripſit, & lectorem in incertum diuinare permittit. Verùm hoc caput vel ſolum ſufficere poterat ad gratiam determinantem refutandam. Primò, quia Concilium pro eodem habet *gratiam præuenientem* & *vocationem*; nam præuenietem gratiam interpretatur vocationem: at *vocatio* non determinat liberum arbitrium; ergo nec *gratia præueniens*. Secundò, quia Concilium dicit hominem diſponi per gratiam *excitantem* & *adiuuātem* (quibus verbis omnem gratiam præuenientem comprehendit) vt ſe conuertat, eidem gratiæ liberè aſſentiendo: atqui homo non diſponitur per gratiam determinantem, vt ſe conuertat liberè aſſentiendo: tum quia eodem momento, quo gratia determinans ponitur, cóuerſio iam eſt; nec eſt in poteſtate voluntatis eam impedire: tum quia primo illo momento, quo gratia efficax immittitur, nullo modo aut vix poteſt eſſe plena deliberatio; ergo neque libera ſui conuerſio. non enim animus humanus ita raptim deliberare, & ex deliberatione conſentire poteſt. Tertiò, quia Concilium apertè dicit, *tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, poſſe hominem illam reiicere*; id eſt, illi præſenti non conſentire, illi reſiſtere. at gratiæ determinanti reſiſti non poteſt: ergo hæc non eſt illa Spiritus ſancti illuminatio, quæ ad conuerſionem eſt neceſſaria.

Refutatur gratia determinans ex loco quē auctor adducit.

Ex hoc tamen capitulo, argumentum aliquod, aduerſus auxilium morale ſumi poteſt, dum dicitur, *hominem per excitantem & adiuuantem gratiam diſponi ad ſe conuertendum, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando*; at non diſponitur per diuinam cooperationem vt ſe conuertat (diſpoſitio enim quæ datur ad aliquod opus faciendum, debet eſſe naturâ prior ipſo opere; cooperatio autem diuina non eſt prior naturâ quàm conuerſio) ſed ſolùm per auxilium præueniens

Argumētum contra auxilium morale.

ueniens. ergo auxilium præueniens eſt auxilium adiuuans, quo diſponitur homo vt ſe conuertat, & cui cooperatur dum conuertitur; idem ergo eſt auxilium præueniens & adiuuans: & conſequenter eadē gratia, quę ſeipſam formaliter excitat & vocat ante cōuerſionem, adiuuat & cooperatur in conuerſione. Verùm ad hoc argumentum reſpondebunt, quibus illa ſententia placet, gratiam præuenientem etiam adiuuare in conuerſione, non phyſico modo, ſed morali; & hoc ſufficere. tamen præter hanc opitulatione̅ dari aliam quæ in concurſu ſupernaturali ſita ſit; quam Concilium videtur inſinuare, cùm ait: *Neque tamen ſine gratia Dei, mouere ſe ad iuſtitiam libera ſua voluntate poſſit.* quæ reſponſio non eſt improbabilis.

6 Sexta Demonſtratio: *Chriſtus iuſſit nos orare, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Dei autem voluntatem exequi non valemus ſine eius auxilio & protectione. nemo enim ſuis viribus fortis eſt. Oramus igitur vt Deus nobis vires ſuppeditet, vt eius mandatis obſequi poſſimus, & tentationibus inimici reſiſtere. Confirmatur ex Secreta quæ dicitur Dominica quarta poſt Pentecoſten: Oblationibus noſtris, quæſumus Domine, placare ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Secundò ex illa: Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, &c. quæ verba cauſam efficientem ſignificant. Tertiò denique extat Oratio S. Benedicti Papæ VII. in Concilio Salegunſtadienſi, in qua expreſſe auxilium efficiens reale petitur: Adeſto nobis quæſumus Domine ſancte Spiritus, veni ad nos, & dignare illabi cordibus noſtris, doce nos quid agamus, quò gradiamur oſtende, quid efficiamus operare, eſto ſalus & ſuggeſtor & effector iudiciorum noſtrorum. & infrà: Iunge nos tibi efficaciter, ſolius tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum, & à nullo deuiemus à vero.*

Reſpondeo: Libenter fatemur nos Dei voluntatem facere non poſſe, abſque eius adiutorio; imò Deum ipſum facere, vt ipſius voluntas in nobis fiat, id eſt, vt eius præceptis obtemperemus. ipſe enim facit vt in præceptis eius ambulemus; ipſe operatur in nobis velle & perficere. ad hoc tamen non eſt opus auxilio prædeterminante.

Ad Primam confirmationem, *Deus compellit ad ſe rebelles voluntates*, non fato, non ferrea neceſſitate, non rigida illa motione prædeterminante, cui nemo queat reſiſtere, ſed minis & terroribus, immiſſa cogitatione iudicij Diuini, & pœnarum inferni; idque eo modo vt voluntas ab his concutiatur, nempe hæc aſſiduè menti obuerſando, & alias cogitationes impediendo. *Compellit noſtras voluntates rebelles.*

Ad Secundam, oramus *vt noſtras actiones aſpirando præueniat*, *Præuenit actiones noſtras.*

 non

non determinando nos ad illas, ſed inſpirando quid & quomodo pro ſingulis occaſionibus velle, eligere, dicere, & agere debeamus. deinde vt *adiuuando eas proſequatur*, partim præuiam inſpirationem fouendo, partim nouo modo animando, & conſtantiam inſpirando, partim ſua cooperatione concurrendo.

Ad Tertiam: Verba quæ aliquid vrgere in illa oratione videntur, ſunt, *Quid efficiamus operare*; *eſto ſuggeſtor & effector iudiciorum noſtrorum.* &, *Iunge nos tibi efficaciter*, &c. In primo petitur, vt non ſolùm oſtẽdat, quid agere debeamus, ſed vt etiam illud operetur. Operatur autem Spiritus ſanctus opera noſtra, quia ad illa nos excitat, vires præbet, & cooperatur. quod totum fieri poteſt, etiamſi auxilium præueniens phyſicè non concurrat ad opus, & multo minùs requiritur ad hoc impulſus ad ſingula opera phyſicè prædeterminans.

In ſecundo petitur, vt non ſolùm ſuggerat bona decreta, ſed vt etiam curet ea executioni mandari: quod eo modo facit, quo facit vt in præceptis eius ambulemus.

In tertio petitur, vt Spiritus reddat Patres reipſa & cum effectu concordes & vnanimes inter ſe, ex vera in Deum charitate. Illud *efficaciter*, non ſignificat gratiam determinantem ex ſe efficacem, vt auctor intendit (qui ſicubi nomen efficaciæ vel efficiendi audiatur, ſtatim imaginatur gratiam phyſicè prædeterminantem) ſed illum modum diuinę inſpirationis ex quo ſecuturus eſt effectus. Idem enim eſt, *Iunge nos tibi efficaciter*, quod *ita nos ad te allice, vt reipſa ſequatur effectus, tibiq́; ſimus in vera charitate coniuncti.* Si enim dicimur efficaciter ſuadere, quando perſuademus, etiamſi is qui perſuaſus eſt, facilè potuiſſet refragari; multo magis Deus dicetur efficaciter nos ad ſe trahere, ſibique iungere, quando eo tractus modo vtitur, quo certiſſimè nouit nos ſponte acceſſuros, non nudis noſtris viribus, ſed auxilio gratiæ, quod tunc eſt in noſtra poteſtate. Prætermitto quòd ait illam orationem eſſe S. Benedicti VII. in Concilio Salegunſtadienſi, cùm Benedictus VII. multis annis ante illud Concilium obierit, & hæc oratio non in illo Concilio, ſed in tractatu quodam de modo incipiendi Concilia, qui multò eſt illo Concilio antiquior, habeatur.

Septima Demonſtratio: *Prætereà dum homo opus ſuæ conuerſionis exercet, & gratiæ Dei vocantis auxilio aſſentitur, iſta operatio & conſenſus eſt ſimul cum gratia iuſtificante. hanc enim operationem gratia ſequitur quaſi naturali conſequio. Si igitur actio illa & conſenſus virtute liberi arbitrij ſolius editur, iam ſine gratia iuſtificante poteſt homo* 7

ex

ex vi ſuæ natiuæ voluntatis aliquid operari cui debeatur gratia gratum faciens. Cùm enim ad eam ſe diſponat viribus ſuis, eamdem aſſequitur iuxta oppoſitam ſententiam. Gratia namque omnibus offertur, ſiue bonis, ſiue malis; quare autem hic accipiat, ille reſpuat, ſola poteſt eſſe ratio, quia hic diſſenſit vocanti & mouenti, ille autem ſua innata voluntate conſenſum præſtitit. Ceterùm aſſerere quòd poßit homo viribus naturæ aliquod opus perficere, cui ſtatim infallibiliter donetur gratia, Pelagianum eſt, vt teſtatur D. Auguſtinus, de gratia Chriſti cap. 23. &c.

Reſpondeo: Hæc Demonſtratio falſum ſupponit, & imponit, conſueto artificio. Quis noſtrorum Theologorum vmquam dixit, actionem illam & conſenſum, quo quis conuertitur, virtute liberi arbitrij *ſolius* edi; aut hominem *ſolis* viribus naturæ, ſe ad eam completè diſponere; aut conſenſum noſtrę voluntatis in bonum, *ex vi naturæ eſſe*, aut gratiam præuenire? Nimis frigidæ ſunt iſtæ impoſturæ, & iam ſæpiùs ſuprà detectæ. Ad probandam gratiam determinantem, omitti debebat *ſolius*, hoc modo: Actio illa & conſenſus quo quis conuertitur, non editur viribus liberi arbitrij; ergo fit per gratiam phyſicè prædeterminantem. hæc conſecutio bona eſt: ſed quia antecedens eſt hæreſis, auctor addidit *ſolius*. Sed hoc modo nihil pro gratia determinante concluditur.

Ad confirmationem: Quòd ex duobus ſimiliter vocatis alter oblatam gratiam acceptet, alter reſpuat, rectè dici poteſt ex *ſola libertate* prouenire: non quòd is qui acceptat, ſola libertate ſua acceptet, ſed quia ex ſola libertate illud diſcrimen oritur, ita vt non ex diuerſitate auxilij præuenientis. vbi illud *ſola* non excludit gratiæ cooperationem: (quaſi illud diſcrimen poſſit fieri abſque cooperatione gratiæ, ex parte eius qui venit) ſed ſolùm diuerſitatem auxilij pręuenientis. cùm enim integra cauſa conſenſus conſtet duabus partibus, libero arbitrio & gratia præueniente; quòd iſte hîc & nunc conſentiat potiùs quàm ille, referendum eſt non in diuerſitatem gratiæ, ſed in libertatem arbitrij, quæ immediatè poteſt in oppoſita, vtendo gratia, vel non vtendo, prout libuerit. ſicut enim conſenſus ab altera parte cauſæ (gratiâ) habet quòd ſit ſupernaturalis; ita ab altera parte (libero arbitrio) habet quòd hîc, & nunc, & ab hoc potiùs fiat, quàm aliàs, vel ab altero, vt ſuprà cap. 10. demonſtratum eſt.

Quomodo diſcrimen ex ſola libertate dicatur prouenire.

8 Octaua Demonſtratio: *Qui phyſico auxilio contradicunt, & morali efficaciæ adhæreſcunt, non ſolùm antiquæ ſanæq; doctrinæ Eccleſiæ non conſentire videntur, ſed Philoſophorum Principem ac Philoſophiæ principia ſimul & demonſtrationes naturales aſpernantur. eſt enim*

celebre naturæ principium, cuius meminit Ariſtoteles: Omne quod mouetur, ab alio mouetur, vſque dum ad primum mouens immobile perueniatur, quod eſt Deus; quem cauſam cauſarum dixere Philoſophi, vniuerſas cauſas ab eo moueri ſignificantes. Vnde Ariſtoteles 8. Phyſicorum textu 33. duplicem aſsignat differentiam inter primam & ſecundam cauſam: altera eſt quòd prima mouet ſecundam, non item ſecunda primam. altera eſt, quòd ſecunda cauſa ſine prima mouente mouere non poteſt: prima autem ſine ſecunda benè valet operari. addit exemplum in baculo, qui ſine mouente manu non mouebit, ſignificans vniuerſas cauſas eſſe vt inſtrumenta primæ. Omnia hæc quæ lumine patent naturali, iſti auxilij moralis aſſertores negare non verentur. aiunt enim liberum hominis arbitrium ſine Deo realiter & phyſicè mouente operari, Deum inſuper à libero arbitrio dependere, & in omni ipſius auxilij operatione prædeterminari: non enim mouet nos Deus in voluntatem noſtram agendo, ſed exſpectat ipſam, vt incipiat operari, quam incipientem iuuat. quæ fuit ſententia Caſsiani, &c.

Reſpondeo: Hæc Demonſtratio nihil eſt aliud quàm miſcella confuſio eorum, quæ vel apertè falſa ſunt, vel prauè detorta. Satis oſtenſum eſt, non illam de morali efficacia ſentẽtiam, doctrinę Eccleſiæ & veræ philoſophiæ principijs repugnare. viderint illi, qui impulſum phyſicè prædeterminantem ad omnia opera requirunt, vt ſuam tam benè ab huiuſmodi cenſura vindicent. Illud autem celebre Ariſtotelis principium; *Quidquid mouetur, ab alio mouetur*; non agit de omni motu, ſed tantùm de motu corporali, de quo conſiderat Phyſicus: vt patet ex lib. 8. Phyſicorum textu 33. vbi illud demonſtratur; vnde ad rem non pertinet. Deinde non eſt ſic intelligendum, quaſi ad ſingulos motus noua quædam impreſſio & impulſio in mobile ab alio fieri debeat, qua ad motum incitetur, vt vult auctor (hoc enim figmentum eſt, rationi & experientiæ repugnans) neque Ariſtoteles vſquam talem rationem mouendi neceſſariam eſſe cenſuit, vt qui etiam concurſum Dei cum cauſis ſecundis videatur ignoraſſe. Senſus igitur eſt: Nullum corpus poſſe ſecundùm ſe totum à ſeipſo moueri, ſed ſemper debere diſtingui id quod per ſe primò mouet & quod per ſe primò mouetur. quod ipſe ſic probat: Omne quod mouetur, vel violentè mouetur, vel naturaliter: ſi violentè, clarum eſt ab alio moueri: ſi naturaliter, vel mouetur ab intrinſeco, vt animalia; vel ab extrinſeco, vt inanimata, quæ mouentur à generante quod virtutem impreſſit. reducitur autem omnis motus ad vnum principium immobile, quia motus corporũ inferiorum reducitur in motũ corporũ cæle-

Quomodo illud Ariſtotelis pronuntiatum intelligendum.

Quomodo iuxta Ariſtotelẽ omnis motus reducatur in vnũ principium immobile.

cæleſtium, quorum virtute ſunt producta: horũ motus in intelligentias, quæ cælos mouent. hæ autem mouentur à primo ente, non motu locali, vel phyſico influxu (ſic enim ſunt immobiles iuxta Ariſtotelem) ſed metaphoricè, ſicut appetitus ab obiecto appetibili. ideò enim mouent, iuxta Ariſtotelem, vt imitentur primum ens. Vnde patet quàm friuolum ſit, vrgere illud principium Ariſtotelicum, vt probes Deum omnes cauſas effectiuè ad ſuas operationes determinare. Alio modo magis intrinſeco reducitur omnis motus in vnum principiũ immobile: quia omnis virtus motiua in eſſe & conſeruari eſſentialiter dependet à Deo, & in operari à cooperatione Dei. vnde *cauſa cauſarum* dicitur Deus, non propter illam motionem fictitiam, ſed quia cauſas omnes produxit & conſeruat, & eis cooperatur. Quæ hîc ex 8. Phyſicorũ textu 33. adferuntur de cauſa prima & ſecunda motus, prorſus ad rem non pertinent. nam Ariſtoteles non loquitur de cauſa prima abſolutè, quæ eſt Deus; ſed de cauſa prima in quouis motu locali, qualis eſt homo, v.g. dum mouet manum, & manu baculum, & baculo lapidem, & lapide aërem: primum mouens eſt homo, quia non mouetur ab aliquo extrinſeco; ſed ſi mouetur, à ſeipſo, ſeu per aliquid ſui mouetur: ſecundum eſt manus, quia mouetur ab alio (nempe ab ipſo homine) & mouet aliud (baculum) tertium eſt baculus, quartum eſt lapis, vltimum eſt aër, qui mouetur tantùm & non mouet. vult Ariſtoteles oſtendere, omnem motum corporalem procedere ab aliquo, quod vel immobile eſt, vel ſi mouetur, non mouetur ab extrinſeca cauſa. Itaque non intendit per hæc ſignificare, *Vniuerſas cauſas eſſe vt inſtrumenta Dei.* numquã hoc illi ὐδ᾽ ὄναρ in mentem venit. Reliqua, quia meræ ſunt offuciæ, quas ſuprà ſuis locis, præſertim cap. 10. refutauimus, reſponſo non egent.

9 Nona Demonſtratio: *In omnibus cauſis agentibus ordinatis, illa quæ ſubſequuntur neceſſe eſt agere (agant* fortè vult dicere*) in virtute primæ; ſicut in rebus corporalibus intuemur. corpora namque inferiora in virtute corporum cæleſtium operantur. In ordine autem vniuerſarum cauſarum agentium, Deus eſt prima cauſa, quia mouet manens immotus, vt probat Ariſtoteles. Deus ergo vniuerſarum actionum, ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium, eſt cauſa præſtantior; vnde cum omnibus & in omnibus ſimul agit.*

Reſpondeo Primò: Libenter concedimus concluſionem, nempe Deum in omnibus & cum omnibus agere. *In omnibus*, non impulſum determinantem ad ſingulos actus imprimendo, ſed virtutem agendi conferendo, & aſſiduo influxu conſeruando. *Cum omnibus*, ad *Deus operatur in omnibus & cum omnibus.*

 effe-

effectus omnium cooperando. & hac ratione poteſt dici cauſa principalis cuiuſuis effectus, ſi vel bonus ſit, vel in ratione entis conſideretur. Ex his tamen nihil ſequitur pro gratia determinante.

Secundò, concedo etiam maiorem, ſi intelligatur de cauſis eſſentialiter ordinatis, vti ſuprà cap. 4. ex Scoto oſtendimus. Probatio tamen maioris, non aptè cohæret, quia corpora cæleſtia non ſunt tales cauſæ reſpectu motus corporum ſublunarium, nec cæli ſuperiores reſpectu motus inferiorum. quamuis aliquo ſenſu dici poſſit, ſublunaria in virtute cæleſtium corporum agere. Admitto etiam minorem. Sed ratio illa ex Ariſtotele initio ſeptimi Phyſicorum, eam non probat: Ariſtoteles enim ſolùm loquitur de motibus corporalibus, vt antè oſtenſum. Hinc apparet, quanto iudicio hæc omnia ſint confuta.

Decima Demonſtratio: *Rurſus, omnis actio, quæ ceſſante cuiuſpiam* 10
agentis impreſſione permanere non poteſt, quòd ſit ab illo agente euidenter colligitur: ſicut manifeſtari colores eſt impoſsibile, niſi adſit ſolis illuminatio, quæ aërem illuſtret. Sol igitur huius manifeſtationis colorum cauſa eſt. Similiter in motibus violentis manifeſtatur. ceſſante namque virtute mouentis impreſſa mobili, ceſſat motus. Impellens igitur cauſa eſt illius motus: Deus autem nõ ſolùm omnia, quæ quoquo modo ſunt, facit eſſe cùm primò eſſe incipiunt; ſed quamdiu ſunt, eſſe in eis cauſat, ea in eſſe conſeruans. Sic etiam potentias & operationes, non ſolùm rebus cùm primò conditæ ſunt indidit, ſed ſemper eas in illis cauſat & conſeruat. ex quo patet, quòd ceſſante influxu diuino omnis operatio ceſſaret. in illum igitur reducitur, ſicut in cauſam primam.

Reſpondeo concedendo concluſionem, ſi intelligatur de influxu diuinæ cooperationis, qui non præcedit influxum cauſæ ſecundæ, nulla enim operatio ab vlla cauſa procedere poteſt, niſi Deus ſimul per ſuum influxum ad eam cooperetur: ſic ſpecies viſibiles à coloribus diffundi non poſſunt, niſi lumine cooperante. Hinc tamen non ſequitur, ad ſingulas operationes creaturæ requiri motionem præuenientem & determinantem, de qua eſt quæſtio. Non enim Deus eodem modo facit & conſeruat omnia ſuo influxu, etſi auctor confusè de omnibus & eodem modo loquatur. aliter enim ſubſtantiam rei facit & conſeruat, aliter potentias, aliter operationes; & inter operationes, aliter liberas, aliter neceſſarias. ſubſtantiam rei facit aliquando ſolus, aliquando per cauſam ſecundam, cui ad hoc vim determinatam impreſſit. conſeruat autem ſolus intimo influxu; etſi cauſæ ſecũdæ poſſint iuuare extrinſecùs fouendo temperamento, & impediendo quæ temperamentum perimunt. Potentias facit & conſeruat

Quomodo Deus omnia faciat & conſeruet.

per

per ſubſtantiam rei ad hoc determinatam, ex qua promanant. Operationes neceſſarias facit per cauſas naturâ ſuâ ad hoc determinatas: liberas verò non per aliquam cauſam naturâ ſuâ determinatam, neque per aliquam impreſſionem præuiam, quæ illam determinet; ſed per cauſam indeterminatam (quæ ſeipſam determinare & cohibere poteſt) Deo per ſe, tantùm concurſum cooperatiuum præbente. Loquor de *liberis non malis.* nam *malas* actiones non dicitur Deus ſimpliciter operari per creaturam, cùm eo fine vires & concurſum ei non dederit; ſed tantùm vt cauſa vniuerſalis, concurſu indeterminato: vt oſtenſum eſt cap.4. *Deus non dicitur ſimpliciter operari malas actiones.*

Hinc patet, Deum longè aliter operari & conſeruare potentias rerum & operationes naturales, aliter liberas. quare etiamſi ad illas réquiratur aliquid præuium determinatum, non tamen idcircò etiam ad has tale quid opus erit. Si argumentum auctoris aliquid probaret prò gratia determinante, fatendum eſſet non magis poſſe nos impedire ne fiant & conſeruentur in nobis operationes liberæ, quàm neceſſariæ, aut ipſæ potentiæ. Si enim Deus hæc omnia operatur in nobis influxu præuio & determinante, non magis poſſumus impedire illud quàm iſtud.

11 Vndecima Demonſtratio: *Denique quidquid applicat virtutem actiuam ad agendum, eſt cauſa illius actionis. artifex namque virtutem rei naturalis applicans ad aliquid agendum, dicitur eſſe cauſa illius actionis. ſed omnis applicatio potentiæ ad operandum eſt principaliter à Deo. conſtat enim, omnes virtutes operatiuas, ad operationes ſuas applicari per aliquem motum corporis ſeu animæ. Primum autem principium vtriuſque motus eſt Deus. eſt enim primum mouens omnino immobile. & ſimiliter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ potentiæ ſeu virtutes ad operandum, reducitur in Deum dupliciter; & ſicut in primum appetibile quod mouet finaliter, & ſicut in primum appetentem qui effectiuè agit. Ex quo fit conſequens omnem operationem, ſiue corporalem, ſiue ſpiritalem, Deo tamquam primo agenti tribui, & præſtantiſſimè mouenti.*

Reſpondeo: Hoc argumentum, ſi legitimè formetur, ſolùm concludit Deum eſſe cauſam principalem actionum noſtrarum; quod libenter concedimus de actionibus bonis: verùm hinc non ſequitur, illum ad eas prædeterminare. Porrò multa rurſus hîc partim vera, partim falſa, partim parerga confuſè miſcentur. minor propoſitio, propriè loquendo, eſt falſa: ſi enim omnis applicatio potentiæ ad operandum eſt principaliter à Deo; ergo Deus eſt cauſa principalis, cur *Deus non eſt auctor principalis applicationis omnium potentiarum.*

cur quis membra ſua faciat *arma iniquitatis*, *& ſeruire iniquitati ad iniquitatem*: vt quòd hic applicet manum ſuam ad furta, homicidia, ſacrilegia, linguam ad blaſphemias, oculos ad turpitudines, mentem ad cogitationes & machinationes iniquas, voluntatem ad electiones & volitiones prauas. ac proinde erit auctor principalis cur hîc & nunc omnia iſta fiant. qui enim eſt principalis cauſa applicationis potentiæ ad operandum, eſt cauſa cur opus hîc & nunc fiat: etiamſi alia ratione non cooperetur. vt qui applicat ignem domui, eſt cauſa cur hîc & nunc fiat incendium: qui ſemina terræ applicat, eſt cauſa cur hîc & nunc ſeges exurgat. quare Deus erit principalis auctor cur hîc & nunc omnia opera praua, ſiue interna, ſiue externa, fiant. Accedit quòd etiam liberum arbitrium videatur euerti. Nam hæc applicatio, qua Deus applicat potentiam voluntatis ad ſingulas operationes ſuas, non eſt in poteſtate voluntatis, vt ſit vel non ſit, quia præuenit omnem noſtrum conſenſum, iuxta illorum ſententiam. Actio enim illa qua aliqua potentia à cauſa extrinſeca applicatur, neceſſariò eſt prior actione illius potentiæ, cùm ſit eius cauſa. Illa autem applicatione poſita, non eſt in poteſtate voluntatis impedire, quin ex ea ſequatur operatio: ergo illa operatio non eſt vllo modo in poteſtate voluntatis.

Quadam tamen ratione, etſi non propriè, poteſt admitti, potentias à Deo applicari, videlicet actione comitante, non præueniente; quatenus ſuo concurſu eſt cauſa operationis potentiæ, vnà cum ipſa potentia. Operatio enim cuiuſque potentiæ poteſt dici eius quædam applicatio, qua applicatur formaliter obiecto vel paſſo. Sed hoc communiter nomine applicationis non intelligitur, verùm aliquid præuium operationi.

Ad confirmationem minoris: Verum non eſt, *omnes virtutes operatiuas ad ſuas operationes applicari per aliquem motum corporis aut animæ*: quod intelligo de motu præuio, quo ipſa virtus operatiua ex parte ſua applicetur priùs naturâ quàm agat. de tali enim eſt quæſtio: nam omnis potentia completa naturaliter operans, ſatis naturâ ſuâ eſt determinata & applicata (quantum quidem ex parte operantis neceſſe eſt) ad operandum, modò adſit ſubiectum in quod operetur: vnde non requiritur vllus motus præuius ex parte ipſius, ſed ſolùm ex parte patientis, vt conſtituatur intra ſphæram virtutis, vt patet, cùm ignis calefacit aquam, & magnes trahit ferrum. hæc enim prorſus immota agunt. Potentia verò, cuius operatio ſubiecta eſt voluntati, applicatur à voluntate motu præuio ipſius voluntatis (quo

poſito,

poſito, potentia illa neceſſariò operatur) huiuſmodi tamen applicatio non requiritur vt voluntas ad ſuas actiones applicetur: nam ipſa ſeipſam applicat per ſuam liberam actionem, ad eamdemmet actionem, quatenus hæc virtute ſupra ſeipſam reflectitur, vt ſuprà cap. 10. oſtenſum eſt. Putare autem voluntatem per motum aliquem præuenientem debere applicari à Deo, ſicut potentiæ inferiores applicantur à voluntate, neſcio quo modo non ſit euertere ipſius libertatem. Poſita enim applicatione voluntatis (quæ nihil eſt aliud quàm voluntatis imperium) potentiæ illæ neceſſariò operantur, nec vllo modo poſſunt refragari, aut reſiſtere voluntatis imperio. Vnde earum actus non ſunt intrinſecè liberi, ſed ſolùm per denominationem extrinſecam ab actu voluntatis: hoc eſt, non ſunt liberi reſpectu potentiæ à qua eliciuntur, ſed reſpectu voluntatis per quam imperantur. Pari itaque modo, ſi voluntas creata ad ſuos actus debet applicari à Deo vi imperij diuini; illi actus non erunt liberi reſpectu voluntatis creatæ, quæ neceſſariò tunc operatur, nec poteſt refragari illi imperio; ſed ſolùm reſpectu Dei qui liberè voluntatem creatam ſic applicat. Prætereà hæc ſentẽtia de applicatione per modũ imperij ſeu efficacis volitionis, non benè cohæret cum alia ſentẽtia auctoris, quam vbique tradit de prædeterminatione voluntatis per impulſum intrinſecum. Cùm enim per imperium voluntatis inferiores potentiæ applicantur ad ſuas actiones, nihil præuium illis imprimitur quo prædeterminentur, ſed ipſa volitio abſoluta operis in voluntate exiſtens, eſt ſufficiens ad illas potentias determinandas, propter naturalem dependentiam earum à voluntate in operando. Vnde qui dicunt cauſas creatas ad ſuas functiones immediatè applicari vi imperij diuini, non requirit intrinſecas motiones aut impreſſiones, quibus ipſæ prædeterminentur, cùm extrinſeca illa per imperium diuinum ſufficiat. Itaque auctor hìc duas ſententias, quæ diſtinguendæ erant, commiſcet, vel vtrumque determinationis modum ſtatuit & requirit, nimirum extrinſecum & intrinſecum.

His addo, etiamſi minor concederetur, nihil facere ad propoſitũ. Nam neque applicatio localis, neque animalis (qualis eſt potentiarum animæ per imperium voluntatis) requiritur in cauſis creatis propter ſubiectionem earum ad cauſam primam; ſed propter diſtantiam paſſi, aut obiecti; vel propter dependentiam potentiarum animæ à voluntate. Neque hæc applicatio fit immediatè à cauſa prima, ſed interuentu ſecundarum, ſicut quæuis alia cauſæ ſecundæ operatio. Nos autem hìc diſputamus de quadam applicatione quæ requiratur

in cauſis ſecundis ratione eſſentialis dependentiæ à cauſa prima, idque etiam tunc quando omnia alia neceſſaria ad agendum, & omnis extrinſeca localis aut animalis applicatio eſt poſita; quam ſolus Deus immediatè in cauſa-ſecunda efficiat. Itaque illa applicatio nihil facit ad præſens negotium.

Illa autem ratio; *Deus eſt primum mouens omnino immobile, ergo eſt primum principium omnis motus animæ & corporis*; parum valet. nam Deus non dicitur primum mouens ab Ariſtotele, quòd omnis motus ſit ab ipſo immediatè & effectiuè, ſicut auctor intendit; ſed quia omnes motus corporales vltimò in illum reducūtur. Nam eius amore intelligentiæ mouent cælos, cæli autē moti ſunt cauſa inferiorum & motus eorum. Poteſt tamen Deus dici principiū omnis motus, non ob illam rationem; ſed quia omnem virtutē motiuam creauit & conſeruat, & operanti ſuo influxu (quem Ariſtoteles ignorauit) immediatè cooperatur. non tamen ideò dicendum eſt, ipſum eſſe cauſam principalem applicationis liberi arbitrij ad omnes ſuos actus. quòd enim ſinguli hîc & nunc fiant, cauſa principalis eſt libertas, non Dei applicatio. Fateor tamen reſpectu ſubſtantiæ actionis habere quamdam principalitatem in cauſando, ob rationem ſupradictam.

De duplici reductione motuum voluntatis in Deum.

De duplici illa reductione omnis motus voluntatis in Deum, nimirum vt in cauſam efficientem & finalem, ſuprà cap. 14. dictum eſt. Certum eſt, impropriè dici, *motus prauos reduci in Deum, tamquam in primum appetibile, Deumq́; finaliter ad eos mouere*. Si enim hoc propriè verum eſſet, dicendum eſſet omnes peccatores dum furantur, mœchantur, occidunt, blaſphemant, operari propter Deum, moueri ad hæc affectu erga Deum, quærere in his & intēdere Deum, & ſimilia, quæ pias aures offendunt. Non minùs impropriè dicitur, *omnes motus voluntatis reduci in Deum, tamquam primum appetentem, qui effectiuè voluntatem ad eos moueat.* quia Deus non appetit vt iſti motus fiant, nec voluntatem ad eos effectiuè mouet. nuſquam D. Thomas hoc ſecundo modo locutus eſt; & ſi alicubi ſimile quid dixiſſet, benigna interpretatione ex mente auctoris eſſet mitigandū. nam in proprietate ſermonis (quo modo tamen hęc ab auctore intelliguntur) non videntur vllo modo tolerāda. hinc enim peſſimę hæreſes ſtabilirentur. Ex his patet, non omnem operationē corporalem & ſpiritalem tribui Deo, tāquam primo mouenti per aliquā motionem præuiam, qua potētia operatiua applicetur: imò huiuſmodi motionē videri multis libertati repugnare, Deumq́. auctorē peccatorū facere.

12 Duodecima Demonſtratio: *Hoc ipſum* (omnem operationem corporalem & ſpiritalem Deo tribui, tamquam primo agenti, ac præſtantiſſimè mouenti) *Sacrarum litterarum teſtimonia confirmant. dicitur enim in libro Sapientiæ: Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Sola ergo mala quæ odit non facit Deus. bona autem omnia diligendo conſeruat, quæ amando ſimiliter fecit. Bonas igitur operationes diligit & operatur, iuxta illud Iſaiæ: Omnia opera noſtra operatus es in nobis. & illud Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. & illud Apoſtoli: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere. His euidentiſſimis teſtimoniis & demonſtrationibus obluctantur, qui moralis auxilij efficaciam aſtruunt, ne nobiſcum confiteantur, quod eis difficillimum eſt intellectu, Deum mouere voluntatem noſtram effectiuè & phyſicè.*

Reſpondeo: Illa teſtimonia non probant omnem operationem corporalem & ſpiritalem tribui Deo tamquam primo mouenti; ſed vt ſummum, id tantùm probant de bonis: de quibus id fatemur. non tamen eo modo, quo intendit auctor, vt Deus motione præuia ad eas determinet, non enim hoc illa vel alia vlla Scripturæ teſtimonia poſtulant, vt ſæpè oſtenſum eſt. Itaque non obluctantur illi euidentiſſimis teſtimoniis & demonſtrationibus, ſed prauis interpretationibus & principiis, cum quibus ſanam doctrinam conciliare, à quibus falſam & erraticam abdicare neſciunt. Quàm enim ſint euidentes illæ Demonſtrationes, ſatis iam demonſtratum arbitror. Non negant, quin Deus voluntatem effectiuè & phyſicè moueat, ſed negant id fieri per aliquam impreſſionem præuiam, qua voluntas phyſicè prædeterminetur, aut cui non poſſit reſiſtere, de qua ſola eſt quæſtio.

Poſt hæc addit auctor, *Difficulter capi poſſe, Deum liberũ arbitrium noſtrum omnipotenti virtute realiter agere, & voluntatem noſtram liberam ad vtrumlibet permanere.* Sed quo modo id difficulter capi poteſt, ſi ad rationem libertatis non requiritur niſi indifferentia iudicij, nempe vt iudicetur medium eſſe ad finem indifferens; quod capite 7. tamquam fundamentum ſuæ diſputationis conſtituit? non ἀσύστατον. enim difficile eſt, animo concipere, voluntatem omnipotenti virtute Dei ad vnam partem, conſtante hoc iudicio, determinari. Nam Caluiniſtæ & Lutherani hoc benè concipiunt. At non ſolùm difficile, ſed omnino impoſſibile videtur animo concipere, voluntatem verè liberam ad vtrumlibet permanere, & tamen eam virtute omnipotente ad alteram partem motione præuia determinari, cui motioni reſiſtere nequeas. nam apertè contradictionem implicare videtur.

Ad veram enim libertatem in vtrumlibet, non ſufficit illa iudicij indifferentia, ſed maximè requiritur indifferentia voluntatis; cui directè illa prædeterminatio repugnat. Mirum autem eſt, quod hîc inſinuatur, omnipotentiá Dei in mouendo libero arbitrio deficere, ſi ita me moueat, vt ei poſſim reſiſtere; quaſi non poſſit virtus omnipotens mouere, niſi omnem vim ſuam in motum explicet. vt omittam Scripturam quæ tot locis docet homines reſiſtere Spiritui ſancto, vocationi diuinæ, Deo pulſanti, &c. de quibus ſuprà.

Decimatertia Demonſtratio: *Propoſito diuino impoſſibile eſt ali-* 13
quam creaturam obſiſtere, aut eius beneplacitum impedire, ſeu determinationem inuertere. cauſarum enim naturalium infirmitas in cauſa eſt, vt per alias cauſas fortiores, poſſit earum actio caſſari. Dei autem omnipotentia immenſa, nulla ex parte infirma eſt, neque cuiuſquam creaturæ virtute vincibilis. non igitur totius naturæ vis volitionem eius valet infirmare, qui operatur omnia conſilio ac propoſito voluntatis ſuæ. Deinde id probat teſtimoniis Scripturę, & cõcludit: *Liquet ergo, quòd ſi efficax intentio, abſolutumq́ propoſitum diuinæ voluntatis ponitur, hominem volentis ad ſe conuertere, non benè conuenit motio moralis efficax, cui humana voluntas facilè valeat reſiſtere, ſed efficiens auxilium phyſicum neceſſariò conſtituendum eſt, quod omne liberum humanæ voluntatis vincat arbitrium, tollat duritiam, ſubigat reſiſtentiam.*

Reſpondeo: Hic rurſus apertè docetur ad conuerſionem requiri tam efficacem & potentem motionem præuenientem, vt ei voluntas nullo modo reſiſtere queat; alioquin fore vt poſſit reſiſtere omnipotentiæ Dei, & inuertere abſolutum ipſius propoſitum & decretum. quod qua ratione cum doctrina Eccleſiæ de libero arbitrio, & cum cap. 5. ſeſſ. 6. Concilij Trident. vbi dicitur, *Inſpirationem diuinam, qua quis conuertitur, poſſe abiici*; & Can. 4. vbi definitur, *Liberum arbitrium motum & excitatum à Deo, poſſe diſſentire*; conſiſtere poſſit, non video. Cùm enim vt illa motio exiſtat, non ſit vllo modo in mea poteſtate (vt quæ præueniat libertatem, & detur ex ſolo Dei beneplacito) & illa exiſtente, non poſſim vllo modo eius efficaciam impedire, aut ei reſiſtere; euidens omnino videtur, eius effectum, qui eſt meus conſenſus (id eſt, actus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, &c.) in mea poteſtate non eſſe. Sed de hoc ſatis ſuprà præſertim cap. 7. & 9.

Reſponſio directa. Tripliciter poteſt aliquid eſſe volitum à Deo.

Vt autem ad rationem allatam directè reſpondeam: Notandum eſt, aliquid tripliciter poſſe eſſe volitum à Deo abſoluta voluntate. Primò, ante omnem præſcientiam determinationis cauſæ ſecundæ,

ſiue

ſiue nulla iſtius præſcientiæ habita ratione. Secundò, ſuppoſita præſcientia conditionata. Tertiò, ſuppoſita præſcientia abſoluta illius determinationis. Quando voluntas diuina primo modo eſt abſoluta, ei reſiſtere non poſſumus: quia non poſſumus impedire quin talis voluntas ſit in Deo. concepta enim eſt independenter à noſtra libertate, omnem eius motum præueniendo: & eâ poſitâ, non poſſumus impedire eius efficacitatem; vt ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt. Confirmatur, quia ex vi talis voluntatis abſolutæ vel ſequitur prædeterminatio intrinſeca in voluntate hominis ad opus à Deo volitum, cui prædeterminationi non poſſumus reſiſtere; vel ſaltem extrinſeca per modum imperij, cui etiam reſiſti non poteſt: ſicut potentiæ inferiores non poſſunt reſiſtere imperio voluntatis. De huiuſmodi voluntate abſoluta intelligendum eſt illud Pſal. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra.* Eſther 13. *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Iſaiæ 14. *Omne conſilium meum ſtabit.* Sed negamus hoc modo actus liberos hominum in particulari eſſe volitos, aut prædefinitos à Deo. Vnde nec conuerſio ſingulorum in particulari ſic prædefinita eſt: ſi tamen per conuerſionem accipiamus liberum hominis conſenſum, non autem auxilia præuenientia quibus inducitur ad conſenſum: hæc enim poſſunt eſſe abſolutè prædefinita, & hanc Dei voluntatem, qua parte iſta auxilia reſpicit, impedire non poſſumus.

Si ſecundo modo voluntas diuina dicatur abſoluta, eſt maior difficultas. nam huic voluntati videmur poſſe reſiſtere, cùm non prædeterminet voluntatem noſtram per aliquam motionem præuiam illi immiſſam, ſed ſolùm ſic moueat ſicut nouit ſecuturam. Vnde non immutat ipſius naturalem modum operandi cum indifferentia ad vtrumlibet. Quare ſicut ſi hæc voluntas eſſet conditionata, ei poſſemus reſiſtere; ita etiam poterimus cùm eſt abſoluta: quia non aliter mouet noſtram voluntatem, quàm ſi eſſet conditionata. Ex altera tamen parte non videmur ei poſſe reſiſtere; quia eſt voluntas verè abſoluta, vt ſupponimus: atqui diuinæ voluntati abſolutæ non poſſumus reſiſtere, vt communiter Doctores tradunt. Quòd autem ei ſupponatur præſcientia conditionata, hoc non facit eam minùs abſolutam aut efficacem; ſed potiùs facit eam magis efficacem, & minùs impedibilem. quia præſcientia illa ſuppeditat Deo varios modos infallibiliter exequendi quidquid abſoluta voluntate decreuerit abſque intrinſeca voluntatis noſtræ prædeterminatione.

Verùm quidquid ſit, ſiue dicamur huic voluntati poſſe reſiſtere,

ſiue (quod mihi magis probatur) non poſſe ; certum tamen eſt nos poſſe reſiſtere motioni præuenienti qua mandatur executioni, ſeu per quam conuertimur, ſi nuda illius motionis efficacia ſpectetur. quod idcircò addo, quia ſi conſideretur illa motio vt ſubeſt præſcientiæ diuinæ qua præſcitur euentus ex tali motione ſecuturus, ſic non poteſt ei reſiſti; quia iam ſupponitur euentus futurus. Verùm iſtud non poſſe, non eſt abſolutè & ſimpliciter non poſſe, neque prouenit ex nuda efficacia iſtius motionis; ſed eſt non poſſe ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione: quo modo etiam impoſſibile eſt reſiſtere tentationi, ſuppoſita præuiſione lapſus, & impoſſibile eſt te non facere quod ſupponitur præuiſum à te faciendum. Itaque veriſſimè dicitur; Stante motione Dei efficaci, & intentione abſoluta conuertendi hominem, poteſt nihilominùs, ſpectata nuda efficacia illius motionis, liberum arbitrium reſiſtere, ita vt non ſequatur conuerſio. Vtrùm verò cōuerſio & reliqui actus boni ſint omnino abſolutè à Deo prædefiniti & decreti, ſuppoſita dumtaxat præſcientia conditionata; alia eſt quæſtio, alibi diligentiùs tractanda. Sufficit nobis hoc loco, quòd etiamſi ponerentur ſic præordinati, nihilominùs motio illa præueniens, qua Deus mandaret executioni, non idcircò deberet prædeterminare liberum arbitrium, nec eſſe ita efficax, vt ei reſiſti non poſſet.

Si tertio modo voluntas diuina dicatur abſoluta, nimirum ſuppoſita præuiſione abſoluta determinationis noſtræ voluntatis; certum eſt, neque illi, neque motioni quæ eam conſequitur, reſiſti poſſe. Sed hoc libertati non repugnat: quia motio illa non eſt præueniens, ſed concomitans determinationem liberam voluntatis; vnde non adfert aliquam neceſſitatem antecedentem, ſed ſolùm comitantem: ſola autem neceſſitas antecedens libertati repugnat, vt ſuprà cap. 3. oſtenſum eſt. Confirmatur, quia hæc neceſſitas, quam adfert illa voluntas abſoluta & eius operatio, eſt ſolùm ex ſuppoſitione eius quod eſt in noſtra poteſtate; nimirum determinationis, & nutus ſpontanei noſtræ voluntatis: neceſſitas autem ex ſuppoſitione non repugnat libertati, quando ipſa ſuppoſitio libertati ſubeſt. hoc modo putamus opera noſtra prædefinita à Deo abſoluta voluntate abſque iniuria libertatis. Hinc tamen non ſequitur, quin poſſimus omnibus motionibus præuenientibus, & diuinæ voluntati, quatenus prior eſt, determinatione liberi arbitrij præuiſa, reſiſtere: quia vt eſt prior, non habet rationem prædefinitionis abſolutæ reſpectu noſtri operis liberi, propriè loquendo; ſed ſolùm con-

conditionatæ: quamuis reſpectu auxilij præuenientis rationem abſolutæ prædefinitionis habeat.

Caput XIX.

Explicatur & defenditur ſcientia media, quam præſcientiam conditionatam vocamus.

1 Triplicem Molina in Deo ponit ſcientiam, *naturalem*, *liberam*, & *mediam*. *Naturalem* vocat, cuius obiectum eſt omnino neceſſarium, nullo modo pendens à libertate Dei vel creaturæ; vt notitia eſſentiæ diuinæ, & omnium eorum quæ in illa eminenter vt poſſibilia continentur. *Liberam* vocat, cuius obiectum pendet à decretis Dei liberis: talis eſt ſcientia viſionis, quæ extendit ſe ad omnia, quæ reipſa in aliqua temporis differentia exiſtunt. *Mediam* vocat, quæ verſatur circa obiectum cuius veritas non pendet quidem à decreto Dei libero, cùm illam anticipet & præueniat; pendet tamen à libertate creaturæ; & ita hæc ſcientia partim conuenit cum naturali, partim cũ libera. ex parte enim obiecti eſt libera; ex parte ſubiecti neceſſaria, vtpote libertatem Dei præueniens. vnde vocatur ab ipſo *media*. talis eſt notitia omnium actuum liberorum, & eorum quæ his neceſſariò connexa, qui reipſa numquam ſunt futuri, tamen eſſent futuri, poſita certa conditione mentem excitante. Alij verò hanc ſcientiam vocant *præſcientiam conditionatam*, vel *conditionalem*, non quòd ſit propriè præſcientia, cùm hæc ſolùm futura reſpiciat; ſed quia ſi conditio poneretur, tranſiret in præſcientiam. Itaque eſt præſcientia non futuri abſolutè, ſed futuri ex hypotheſi, ſeu, poſita conditione; & ideò vocatur præſcientia conditionalis: quamuis re vera ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & rerum poſſibilium, pertineat. *Triplex in Deo ſcientia.*

2 His poſitis, multi qui ponunt gratiam prædeterminantem, & præmotionem cauſæ primæ, paſſim impugnant hanc præſcientiam conditionatam, eamque negant eſſe in Deo; & dicunt eſſe nouitiam inuentionem, omni fundamento probabili S. Scripturæ & ſanctorum Patrum deſtitutam, atque adeò impoſſibilem. Illa enim poſita vident gratiam prædeterminantem parùm eſſe neceſſariam. Nam facilè explicatur quomodo Deus certiſſimè norit hominem conuertere, & ad omne opus bonum dirigere, abſque vlla prædeterminatione. Alij illam non audent negare, ſed dicunt eam niti prædefinitione diuinæ voluntatis: ideò enim Deum ſcire quid voluntas creata poſita *Sententia eorum qui hãc ſcientiam negant.* *Alij hanc referũt ad prædefinitionem diuinam.*

poſita quauis conditione eſſet factura, quia ipſe prædefiniuit vt illud tunc faceret. Volunt enim Deum prædefiniuiſſe non ſolùm quidquid reipſa futurum eſt, ſed etiam quidquid poſita quauis hypotheſi futurum eſſet; ſicque omnia tam ea quæ ex hypotheſi, quàm quæ abſolutè futura ſunt, cognoſcere in determinatione ſeu decreto ſuæ voluntatis.

Refutatur ſententia negantium hãc ſcientiam.

Vtraque nobis ſententia refutanda eſt, vtriuſque rationes diſſoluendæ. Ac primùm in Deo verè eſſe præſcientiam conditionalem, qua certò norit quid voluntas creata, poſita quauis hypotheſi illam aliquo modo excitante, eſſet volitura & factura, mihi cum multis viris doctiſſimis noſtræ Societatis omnino certum videtur. Dico, *poſita quauis hypotheſi quæ voluntatem aliquo modo excitet ad opus ſiue mediatè ſiue immediatè*; quia non loquimur hîc de hypotheſi prorſus extranea, quæ nullam cum opere habeat connexionem, nec vllo modo hominem moueat. Ex tali enim hypotheſi nihil reipſa, cùm ponitur, ſequitur. Vt ſi petas quid faceret Petrus tali tempore in Hiſpania, ſi Paulus eo tempore Romæ dormiret? Hoc enim ſciri non poteſt, quia nulla eſt connexio inter opera Petri, & ſomnum Pauli, de quo ille non cogitat. Vnde talis propoſitio ſemper eſt falſa, ſiue dicatur hoc facturus, ſiue oppſitum. Nam tali propoſitione ſignificatur dependentia quædam operis à conditione tamquam à cauſa vel occaſione operis, quæ dependentia non reperitur quãdo conditio non excitat voluntatem. Vnde etiamſi reipſa eo tempore & illa hypotheſi poſita opus eſſet futurum, (v g. Petrus dormiente Paulo eſſet ſcripturus) tamen falſa eſſet propoſitio; Si Paulus eo tempore dormierit Romæ, Petrus ſcribet in Hiſpania. De huiuſmodi ergo hypotheſi non loquimur. Secùs tamen ſi talis hypotheſis eſſet cogitata, tunc enim non cenſeretur extranea, & aliquid ex ea ſequeretur, v.g. aliqua alia cogitatio vel volitio, vel nihil ſequeretur, animo ad alia ſe conuertente. Et hoc dicimus Deum optimè noſſe, v. g. quid Petrus tali tempore, in tali diſpoſitione animi, corporis, & reliquarum circumſtantiarum faceret, ſi talis cogitatio illi incideret. debet enim hypotheſis coniungi cum reliquis omnibus circumſtantijs quæ ad opus poſſunt iuuare, vel illud impedire. Vnde ſi ad nihil volendum vel faciendum ex tali cogitatione eſſet permouendus, id etiam Deus ſciret, & vnde illa omiſſio eſſet prouentura. Nam in omni huiuſmodi præſcientia actus liberi vel omiſſionis liberæ, debet etiam ſciri ex qua occaſione ille actus vel omiſſio eueniret. 3

De quali hypotheſi ſit ſermo.

Debet mentem excitare.

Probatur ex Scripturis.

4 Hoc modo explicata illa præſcientia, probatur Primò ex Scripturis,

ris. Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Hîc Dominus prædicit actus liberos ex hypotheſi, qui tamen abſolutè non erant vnquam futuri: ergo certò præſciebat illos, poſita illa hypotheſi, fuiſſe euenturos.

Ad hoc reſpondetur dupliciter. Quidam enim non auſi negare quin Dominus id certò præſciuerit, dicunt illum id præſciuiſſe, quia ſtatuerat illis dare gratiam prædeterminantē ad pœnitētiam, ſi apud eos ſigna illa facere voluiſſet. Sed contrà, quia hoc eſt euertere præſcientiam conditionalium liberarum: hęc enim propoſitio, Si viſis ſignis eos determinauero ad pœnitentiá, agent pœnitentiam, non eſt conditionalis libera ſed neceſſaria, quę cuiuis homini eſt euidēter nota ex terminis. Deinde cum tali gratia etiam ciues Corozain & Bethſaidæ egiſſent pœnitentiam. quomodo ergo Dominus exprobrat illis, quòd pœnitentiam non egerint, & præfert illis Tyrios & Sidonios? Potuiſſent enim illi ciues reſpondere; Si nobis gratiam determinantem dediſſes, quam Tyrijs & Sidonijs daturus fuiſſes, & nos pœnitentiam egiſſemus non minùs quàm ipſi. quomodo ergo illos nobis præfers? Debet enim fieri comparatio inter illos ſub eadem gratia & ijſdem auxilijs: alioquin non eſt cur alter alteri in promptitudine obediendi pręferatur. Quid enim miri eſt eos conuerti qui habent auxilium prædeterminans, & non conuerti qui illo carent, cùm ſine illo conuerti nequeant, & illud habere non ſit in eorum poteſtate? Certum ergo eſt fieri comparationem ſub ijſdem auxilijs, & Dominum præſciuiſſe Tyrios & Sidonios Gentiles acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi illa adminicula externa & interna habuiſſent, quæ cùm haberent ciues Corozain & Bethſaidæ Iudæi, noluerunt pœnitere: quod etiam expreſſè docet D. Auguſtinus, lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 14.

Reſpōſio quorumdam.

Refutatur.

5 Alij reſpondent, Dominum loqui in confuſo, nimirum multos ex Tyrijs & Sidonijs fuiſſe cōuertendos, ſi eius ſigna vidiſſent. Id enim ſciri potuiſſe ex præſenti illorum diſpoſitione: quia etſi eſſent idololatræ, & maximis peccatis obnoxij, tamen non erant malè affecti erga Chriſtum, nec impediebantur imaginatione & expectatione Meſſiæ, qui ſęculari potentia & gloria emineret, ſicut Iudæi. Itaque certum erat multos ex ipſis magnitudine miraculorum, & prædicationis efficacia fuiſſe conuertendos.

Reſponſio aliorū, Dominum loqui in confuſo.

Sed contrà Primò, quia inde ſequeretur Chriſtum nō habuiſſe abſolutam certitudinem (cui implicet ſubeſſe falſum) ſed ſolùm mora-

Refutatur. Solùm habuiſſet certitudinem moralem.

lem: quia ex vi talium diſpoſitionum non maior de actu libero ſecuturo poteſt haberi. itaque non implicabit illum decipi, & ipſius oraculo ſubeſſe falſum: nam moralis certitudo, non eſt abſoluta certitudo, ſed ſecundùm quid; qualis nimirum per coniecturas haberi poteſt ex ſignis, cum quibus non omnino neceſſariò coniungitur veritas rei ſignatæ. non enim ipſa res cernitur, ſed ex indicijs coniectatur. atqui res ſignata, nimirum pœnitentia multorum etiam in confuſo ſpectata, non neceſſariò coniuncta erat cum tota diſpoſitione præuia, quæ viſis ſignis futura fuiſſet in Tyrijs. potuiſſet itaque abſolutè non ſequi, & ita Chriſtus potuiſſet decipi. at blaſphemia eſt ſapientiæ diuinæ tribuere aliquod iudicium, cui falſum ſubeſſe poſſit, aut illam in ſuis dictis poſſe vlla ratione decipi.

Dices non potuiſſe ſubeſſe falſum: quia non ſignificabatur abſo- 6
lutè illos acturos pœnitentiam, ſed quantum ex diſpoſitione illorum apparebat. Sed hoc eſt contra proprietatem verborum, quibus ſignificatur abſolutè & indubitanter id fuiſſe futurum. eſt etiam per ſe abſurdum & Deo indignum tam imperfecto modo rem ipſam aſſequi. Nam nihil hoc eſt aliud, quàm de re ipſa coniecturam facere, & iudicare eſſe veriſimilem, ignorata interim ipſa veritate.

Nō plus cognoſceret de talibus quā dæmones.

Secundò, ſequeretur Deum de huiuſmodi conditionalibus non plus poſſe cognoſcere quàm Angelum vel dæmonem. quia etiam dæmon ex indicijs talem confuſam certitudinem & notitiam coniecturalem habere poteſt. Tertiò, abſurdum eſt diuinam notitiam debere ſiſtere in obiecto confuſo, nec poſſe penetrare ad ſingulos determinatè. Hoc enim eſt illi aſſignare imperfectiones ſcientiæ noſtræ. Denique, Dominus non ſolùm affirmat acturos pœnitentiam in confuſo, ſed etiam particularem modum pœnitentiæ declarat, nimirum *in cinere & cilicio*; & tempus *olim*, hoc eſt, ab initio prædicationis non reſiſtendo diu diuinæ vocationi, ſicut fecerant Iudæi. Si ergo & modum ſpecialem pœnitentiæ, & tempus præſciuit, qua probabilitate poſſumus dicere, illum neſciſſe in particulari ipſas perſonas, quæ pœnitentiam acturæ fuiſſent? Indubitatum ergo ſit Dominum hæc omnia diſtinctiſſimè & certiſſimè nouiſſe.

Alius locus eſt, 1. Reg. 23. vbi agitur apertè de præſcientia condi- 7
tionata euentus in particulari. Cùm enim Dauid confugiſſet in Ceilam, & Saul hoc audito ſtatuiſſet illum exercitu concludere intra vrbem, conſuluit Dauid Dominum de duobus. Primò, vtrùm ſi maneret in oppido Ceila, Saul eſſet venturus ad obſidendum oppidum. Reſpondit Dominus illum venturum. Secundò, vtrùm ciues Ceilæ

tunc

tunc ipſum & viros eius eſſent tradituri in manus Saul. Reſpondit Dominus, Tradent. Præſciebat itaque Deus in particulari & Saulem venturum ad obſidendum oppidum, ſi Dauid ibi maneret; & ciues tradituros Dauidem ac ſocios eius ad ſe liberandos obſidione, ſi Saul obſideret eos.

Ad hoc teſtimonium, quod ſanè clariſſimum eſt, reſpondent aliqui ſolùm prędici quid eſſet futurum ſpectata affectione in qua Saul & ciues Ceilæ erant. Saul enim iam ſtatuerat firmiter oppidum cingere, ſi Dauid ibi maneret, vt ex Scriptura conſtat, & credibile eſt ciues Ceilæ iam etiam cogitaſſe de tradendo Dauide ſi premerentur. Confirmatur, quia ſæpè in prophetijs nihil aliud prædicitur quàm quod futurum eſt ſpectata cauſarum diſpoſitione; vt cùm dicitur Ezechiæ: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*; Iſaiæ 38. Et Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*; Ionæ 3.

Reſpōſio quorundā, prædici ſolùm quid ſit futurū ſpectata diſpoſitione cauſarum.

Sed contrà Primò, ſi nihil aliud ibi ſignificatur, tantumdem dæmon conſultus potuiſſet reſpondere. Secundò, Dauid nullam certitudinem de euentu ipſo habuiſſet, meritoque potuiſſet dubitare. Tertiò, Non reſpondiſſet Dominus ad mentem Dauidis, qui conſuluit Dominum de euentu futuro, non de cauſarum diſpoſitione. Cupiebat enim ſcire, an re vera ita eſſet futurum. Nam etiamſi cauſæ modò ſic eſſent diſpoſitæ, potuiſſent tamen facilè mutari, vel impediri. Vnde oportebat vt Deus ſciret illam diſpoſitionem, Dauide manente, non fore mutandam. alioquin ex illa nihil certi, quod Dauidis ſatisfaceret intentioni, potuiſſet reſpondere. atqui hoc ipſum (nimirum illam diſpoſitionem in Saule & Ceilitis non fore mutandam, ſi Dauid ibi maneret) eſt conditionale liberum. Quomodo ergo hoc ſciuit, vtrùm ex alia aliqua diſpoſitione, an ex ipſa re in ſe ſpectata? quòd ſi id ſcire potuit immediatè ipſam obiecti veritatem in ſe attingendo & penetrando, ne in diſpoſitionibus detur proceſſus in infinitum, cur non ſimiliter dicemus attingi ipſum euentum conditionatum in ſeipſo, & illum in ſe à Deo quaſi intuitiuè cerni, tamquam ex hypotheſi ſecutum, & ſuo tempore exiſtentem? Ad confirmationem: Illa exempla nihil faciunt ad propoſitum, quia habent tacitam conditionem, vt ex ipſa Scriptura apertè colligitur: v. g. niſi pœnitentiam agas, niſi aliud à Domino impetres, &c. Hìc autem nulla eſt alia conditio pręter eam quæ expreſsè ponitur: & illa ſuppoſita, euentus aſſeritur abſolutè, abſque alia conditione futurus. Deinde, quando aliquid abſolutè aſſeritur à Deo, non licet fingere nouas cōditiones vel reſtrictiones, niſi certum habeant fundamentum in Scripturis: alioquin nihil

Refutatur.

erit certum in prophetiis de euentis futuris, quamdiu nondum exi-
ſtunt. ſemper enim poterit dici ſubintelligi aliquam cõditionem, vel
conſiderari diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, &c.

Tertius locus ſit Ieremiæ 38. Cùm Ieremias ſuaſiſſet fugam Sede- 8
chiæ Regi ad Babylonios, reſpondit Rex: *Sollicitus ſum propter Iu-
dæos qui transfugerunt ad Chaldæos; ne fortè tradar in manus eorum,
& illudant mihi. Reſpondit autem Ieremias: Non te tradent; audi quæ-
ſo vocem Domini.* Ecce cùm Rex meritò timeret ſpectata cauſarum
diſpoſitione, Ieremias indubitanter reſpondet, id non futurum ſi
tranſiret ad Chaldæos. Rurſus eodem capite: *Hæc dicit Dominus
exercituum Deus Iſraël: Si profectus exieris ad principes regis Babylo-
nis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igne, & ſaluus
eris tu, & domus tua.* Hic rurſus liberi euentus ex hypotheſi præ-
dicuntur.

Quartus locus ſit Matth. 28. vbi Dominus reuelat Petro, quòd 9
ter ipſum eſſet iſta nocte negaturus ante ſecundum gallicinium. quæ
reuelatio neceſſariò ſupponebat certiſſimam præſcientiam conditio-
nalis liberæ; nimirum quòd ipſa reuelatio ſi fieret, non eſſet impedi-
tura euentum. Vt enim Dominus poſſet hoc certò reuelare, priùs ra-
tione quàm id ſtatueret, debebat habere certiſſimam notitiam huius
conditionalis, *Etiamſi hoc reuelauero, tamen euentus non impedietur:
quia Petrus ea non vtetur, ſed animum ad alia diuertet.* quæ tamen
conditionalis erat liberrima. Facilè enim Petrus potuiſſet illa percel-
li, & ſe periculo ſubducere; idque, ſi diſpoſitiones præuiæ ſpectentur,
maximè videri poterat veriſimile. Hæc ergo præſcientia debebat
præcedere voluntatem reuelandi: alioquin expoſuiſſet ſe periculo
errandi. Idem dicendum de omnibus prophetiis in quibus reuelan-
tur actus liberi futuri, præſertim mali. Vt enim Deus poſſit pruden-
ter decernere talia reuelare, debet ſupponi illa præſcientia, qua cer-
tiſſimè ſciat illam reuelationem, ſi fiat, non impedituram euentum.
Ex quo manifeſtè apparet hanc præſcientiá debere eſſe certiſſimam,
ita vt implicet illi ſubeſſe falſum: quia ex ea pendet infallibilitas to-
tius euentus. Omitto alia loca complura.

2. Ex Patribus.

Secundò probari poteſt ex Patribus. D. Auguſtinus hanc præ- 10
ſcientiam apertè agnoſcit multis locis, vt cùm gratiam efficacem di-
cit eſſe eam, qua ſic vocat hominem, ſicut nouerat ſecuturum; quod
ſæpiùs lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. repetit. Priùs itaque erat ſcire
illum ſecuturum, ſi ſic vocaretur, quàm velle illum ſic vocare, iuxta
D. Auguſtinum. Ad hoc mirè quidam reſpondent, *Deum ſic vocare
ſicut*

ſicut nouit hominem ſecuturum; quia ita vocat, ſicut nouit ſe facturum vt homo ſequatur: ſicut ſi quis diceret Chriſtum vocaſſe Lazarum ſicut ſciebat ipſum reſuſcitandum; quia ita vocabat, ſicut ſciebat ſemet facturum vt reuiuiſceret. Sed ſi Deus non poteſt aliter ſcire quid ſit ſecuturum poſita vocatione, niſi quia ipſe ſtatuit illud facere, ſicut effecit vt Lazarus reuiuiſceret, cùm eum vocaret, iam tollitur præſcientia conditionalium liberarum. Quidquid enim ex tali hypotheſi, qua Deus ſupponitur efficaciter facturus, ſequitur, non liberè, ſed neceſſariò ſequitur, hoc eſt, ita vt ab homine non poſſit impediri. Deinde ſi ex vocatione diuina, vel eâ poſitâ ita ſequitur conuerſio, ſicut reſuſcitatio Lazari ſequebatur ad vocationem Chriſti; vbi eſt libertas arbitrij? Non enim, Chriſto vocante, erat in poteſtate Lazari reſurgere & nō reſurgere, reuiuiſcere, & manere in morte; ſicuti cùm peccato mortuus vocatur ad vitam ſpiritalem. Aliter ergo Deus præſcit hominem ſecuturum poſita vocatione ad iuſtitiam; aliter præſciuit ad ſuam vocationem Lazarum reuicturum: & alia eſt vtriuſque vocationis efficacitas. Denique non eſſe eam mentem D. Auguſtini patet ex tota illa qu. 2. vbi oſtendit ex variis hominum affectibus & apprehenſionibus plerumque prouenire quòd hic ſequatur, ille non ſequatur diuinam vocationē; qui tamen affectus hominem in neutram partem determinār, ſed ſolùm faciunt vt faciliùs vel difficiliùs conſentiat. hinc fit vt pauperes faciliùs conuertantur quàm diuites, & humiles quàm ſuperbi, debiles quàm robuſti, &c.

Reſponſio quorumdam Doctorum. *Refutatur.*

Sed inquiunt; D. Auguſtinus eadem qu. 2. ad Simplicianum ait, *non poſſe effectum miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit.* Si effectus ille non eſt in hominis poteſtate, ergo voluntas illum conferendi nō ſupponit præſcientiam conditionalis liberæ. Reſpondeo: Non video quò hæc inſtantia pertineat, niſi ad probandum conuerſionem ſeu conſenſum, quo homo conuertitur, non eſſe liberum; quod ſanæ doctrinæ manifeſtè repugnet. Quid enim aliud eſt, non eſſe in poteſtate hominis, quàm non eſſe liberum? Item cùm Deus vult miſereri, non poſſe hominem refragari, ſed neceſſariò conſentire: alioquin fruſtra Deus miſereretur, ſi conſentire & diſſentire eſſet in poteſtate hominis. Non vult hoc Auguſtinus; ſed per effectum miſericordiæ intelligit vocationem efficacem, ex qua præſciebat liberè ſecuturum conſenſum. Vt enim hæc potiùs detur vocatio quàm alia, non eſt in hominis poteſtate. hac autem data non fruſtrà miſeretur, quia præſciebatur ſecuturus conſenſus. Itaque ex hoc loco ſtabilitur potiùs quàm euertitur præſcientia

Inſtantia. *Reſpondetur.*

tia conditionata. Eamdem præſcientiam indicat apertè D. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 8. agens de iuſtis qui permittuntur labi in peccatum & damnari: *Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? nempe nihil horum niſi peruerſiſſimè & inſaniſſimè dicitur.* Hîc D. Auguſtinus vult Deum præſciſſe eorum mala futura ex hypotheſi, ſi in vita relinquerentur, idque priùs ratione quàm decerneret eos in vita relinquere, alioquin non potuiſſet ea præuenire, auferendo illos ex hac vita dum erant iuſti. Idem lib. de ſex quæſtionibus contra Paganos qu. 2. dicit: *His temporibus, & his locis quibus Euangelium non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis mortuis credere voluerunt.* Eadem verba refert lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 9. quo loco paulo pòſt repetit *Chriſtum non voluiſſe prioribus ſæculis apparere: quia præſciebat illos nec verbis nec miraculis ſuis credituros.* Et infrà: *Ac per hoc quibus omnino annuntiata non eſt* (ſalus religionis Chriſtianæ) *non credituri præſciebantur.* Et infrà: *Cernitiſne me hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod conuincendæ paganorum infidelitati ſufficeret,* &c. Quibus locis vocat hanc notitiam *præſcientiam*, & dicit Chriſtum iſta futura conditionata *præſciuiſſe*. Vide eumdem lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. de Tyriis & Sidoniis.

Præterea ſancti Patres tractant varias quæſtiones in quibus hæc 11
præſcientia conditionata manifeſtè ſupponitur; vt, Cur Deus creauit dæmones quos præſciebat fore malos? de quo Damaſcenus dialogo contra Manichæos pag. 541. & Auctor homiliæ de Adam & Eua apud Chryſoſtomum tomo 1. & D. Baſilius homilia quòd Deus non ſit auctor malorum. Cur creat eos quos ſcit peccaturos, & non acturos pœnitentiam? de quo idem Damaſcenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 22. & Gregorius Nyſſenus oratione catechetica cap. 7. Cur permiſit hominem tentari à diabolo, cùm ſciret caſurum? Cur ſi præſciuit lapſurum, non impediuit, ſi bonus eſt, & potuit impedire? de quo Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Cur Deus iuſtos non aufert ex hac vita, quos præſcit peccaturos, & damnandos ſi ſinantur viuere? de quo Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. 8. & epiſtola 105. ad Sixtum, & alibi. Cur primo homini dedit mandatum, quod ſciebat illum præuaricaturum. de quo Auctor homiliæ de

Adam

Adam & Eua, qui ſuprà. Multa huius generis habet Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 10. explicans illud: *Ego ſcio quos elegerim. Sed quæret*, inquit, *aliquis primùm, Si omnia ſcire Chriſtus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegerit? Cur cum aliis eum connumerauit, quem non ignorabat quæſtus cupiditate captum, in laqueum diaboli eſſe caſurum?* & infrà: *Quid enim prohibebit incuſare Deum ac dicere: Cur in Regem elegiſti Saulem, quem ſciebas gratiam tuam eſſe ſpreturum? Imò cur primum hominem è terra formaſti, quem non ignorabas mandata tua non ſeruaturum? Aſcendet hæc oratio etiam ad ſuperiora: Cur Angelorum naturam, cùm vt Deus præuideris nonnullorum rebellionẽ? Ex iſtis, ceteriſq́; huiuſmodi, illud porrò ſequetur, vt præcognitionis cauſa, aut nihil omnino creare debuerit, aut inſenſatam naturam ſolummodò producere*, &c. Hæc & ſimilia à Patribus tractantur, quærentibus Ethnicis vel hæreticis, quæ tamen ſupponunt illam præſcientiam conditionatam eſſe in Deo. Et nemo Patrum id negat, ſed omnes indubitanter affirmant Deum id præſciuiſſe: nihilominùs ob varias cauſas noluiſſe idcircò abſtinere ab illis creandis, vel conſeruandis in vita, vel dandis præceptis, &c. Eaſdem quæſtiones quotidie proponunt Ethnici apud quos primò prædicatur Euangelica doctrina: vt ex vita B. Xauerij & litteris Indicis conſtat. vnde naturali lumine videtur euidens hanc præſcientiam eſſe Deo tribuendam. Neque hîc confugere quis poteſt ad præuias diſpoſitiones: quia in Angelis, & primis hominibus, nullæ erant diſpoſitiones ad malum, ſed ſolùm ad bonum. neque etiam ad notitiam confuſam; quia agitur de iis in particulari qui peccaturi erant, & de particulari eorum peccato. Eamdem præſcientiam ſupponebant illi Catholici, ſiue Maſſilienſes, ſiue alij qui dicebant paruulis morituris conferri baptiſmum propter merita quę erant habituri ſi manſiſſent in vita; aliis non conferri, propter ſimilia demerita. contra quos agit D. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 12. 13. 14. non tamen eos eo nomine refutat, quòd Deo hanc notitiam tribuant, ſed quòd huiuſmodi merita & demerita, quæ reipſa nec extiterunt vmquam, nec extabunt, remunerari & puniri velint.

12 Tertiò, Probatur ratione. Prima ratio ſit ab incommodo. Si hæc ſcientia abſit à Deo, multa ſequũtur incommoda. Primò, poſſe innumeras Deo proponi quęſtiones ab hominibus, ad quarum nullam poterit aliquid certi reſpondere, v.g. Quinam eſſent conuertẽdi ſi tali tempore, tali loco prædicaretur Euangelium; quinam non eſſent? Vtrùm puella conſentiet ſi propoſuero ei matrimonium? Vtrùm *3. Ratione probatur.* *1. Ex multis incommodis.*

con-

conſentient parentes? Vtrùm inimicus me occidet, ſi eò venero? Vtrùm ſocij me illi prodent? Vtrùm obtinebo officium vel beneficium ſi inter ceteros me obtulero? Vtrùm reportabo victoriam ſi hoſtem expectauero? & ſimilia, quæ tamen homines maximè deſiderant ſcire. Vnde & oracula apud Gentiles de huiuſmodi plerumque conſulta fuere. Horum enim notitia maximè deſeruit ad vitę gubernationem, & rerum ſuarum commodiſſimam diſpoſitionem. Itaque hęc perſuaſio omnibus paſſim nationibus inſita eſt, deos iſta probè noſſe, neque poſſe falli; & in huiuſmodi conſulendum.

Secundò, nos non teneri certò credere, imò poſſe dubitare, quando Deus de talibus reſpondet: quia non eſt planè certum, cui nulla ratione falſum ſubeſſe poſſit.

Tertiò, Deum de huiuſmodi non habere maiorem certitudinem, quàm poſſit habere creatura, v. g Angelus aut dæmon naturaliter: quia hi ex ſignis poſſunt etiam moralem certitudihem talium euentuum colligere.

Deum diſcere ex euentu.

Quartò, Deum diſcere ex euentu rerum quod ante præuiſionem 13
abſolutam euentus non certò ſciebat. Antequam enim decernat aliquid facere vel permittere circa creaturam rationalem (v gr. eam creare tali tempore & loco, illi dare tale mandatum, tales excitationes & inſpirationes, permittere tales tentationes, talium obiectorum occurſus, &c.) neſcit certò quid inde mediante ipſius libertate eſſet euenturum; ſed tunc demum id certò nouit, quando reipſa videt euentum: nimirum poſtquam ſtatuit illud facere vel permittere vnde euentus abſolutè eſt ſecuturus. quod quidnam eſt aliud quàm diſcere per experientiam? Sicut homo priuſquam tentauit animum alterius ſuaſione ſua, & vidit euentum, neſcit certò quid ille eſſet facturus, ſi talis ſuaſio ei adhiberetur; ſed id diſcit ex euentu: viſo enim euentu, ſcit certò illam conditionalem propoſitionem veram fuiſſe. Simile planè erit in Deo. Nec refert quòd decretum Dei ſit æternũ, & ab æterno præuiderit ea quæ ſunt abſolutè futura, ac proinde ab æterno fuerit certus de conditionalibus illorum futurorum; hoc enim non impedit, quin ipſe verè diſcet veritatem iſtarum conditionalium ex euentu futuro. Nam ſicut homo diſcit hoc in tempore ex euentu cùm illum videt; ita Deus diſcet ab æterno viſo euentu. Conſideratus enim vt prior ſuo decreto libero, non eſt certus; poſt decretum verò fit omnino certus ex intuitione euentus. Adde quòd manebit abſolutè incertus de infinities infinitis cõditionalibus, quarum hypotheſes reipſa numquam ſunt ponendæ; quas omnes

omnes diſceret modò ex euentu, ſi illas hypotheſes ſtatueret ponere.

Dices, Præſcientia abſoluta pendet ex euentu,& tamen non dicimus Deum aliquid diſcere ex euentu. Ergo etiamſi pendeat certitudo conditionalis ex euentus intuitione, non ideò Deus dicetur diſcere ex euentu. Reſpondeo, negando conſequentiam. Diſcere enim ex euentu, non eſt cognitionem pendere quoad ſui terminationem ex euentu veluti obiecto; ſed eſt priùs eſſe incertum vel ignorantem alicuius veritatis, & ex intuitione euentus, fieri certum. Itaque debent eſſe diſtinctæ cognitiones & diſtincta iudicia, ſicut iudicium de conditionali & intuitio euentus reipſa futuri ſunt diſtincti actus, ſi noſtro modo loquamur; & prior ex poſteriori accipit certitudinem, ſi Deus ipſas conditionales ante decretum ſuæ voluntatis non omnino certò cognoſcit. Addo Deum nihil diſcere ex ipſo euentu rei abſolutè futuro; quia priùs ratione quàm ad ipſum terminetur per modum intuitionis ſpeculatiuæ, nouit illum futurum cognitione veluti abſtractiua in ſuo decreto effectiuo vel permiſſiuo, ſuppoſita dumtaxat præſcientia conditionata, vel ſimplici intelligentia. Cùm enim ipſe ſciat quid ſit futurum ex hypotheſi, ſi illa poſita fuerit; hoc ipſo quo vult illam ponere vel permittere poni, nouit illud idem euenturum abſolutè, vt infrà magis explicabitur. *Ex euentu abſoluto quo modo nihil diſcat.*

14 Quintò ſequitur, Deum non habere perfectiſſimam prouidentiam, ſed in omnibus ferè quæ operatur circa creaturam rationalem, procedere cæco modo, neſciendo quid ſit inde ſecuturum, vel tantùm coniectando; niſi poſtquam ſe determinauit, & videt euentum, vt oſtenſum eſt. Quòd autem ad perfectionem prouidentiæ pertineat, vt prouiſor omnia perpendat, & ſciat quidnam ex ſingulis modis gubernandi, qui ſe offerunt, ſit ſecuturum, videtur per ſe notum. Sic enim ſuauiſſimè & certiſſimè poteſt obtinere finem intentum, & vitare omnia incommoda: nec quidquam poteſt ei euenire præter expectationem. Vnde videmus homines in ſuis deliberationibus de pace, de bello, de inducijs, de contractibus, denique de omni ferè negotio maioris momenti, maxima ſollicitudine expendere, quid ex ſingulis medijs, quę ſe offerunt, videatur probabiliter ſecuturum. neque ſiſterent in probabilitate, ſi poſſent aſſequi certitudinem; neque in confuſione, ſi poſſent ad ſingula in particulari penetrare. Vt ergo prouidentia diuina ſit omnino perfecta, debet Deus priùs ratione quàm aliquid velit facere vel permittere circa naturam liberam, certò noſſe in particulari quid inde eſſet ſecuturum. *Non habebit perfectã prouidentiam.*

Dices, id non eſſe neceſſe, quia cùm ſit omnipotens, & ex quouis

malo poſſit maius bonum elicere, facilè poteſt defectus obuenientes compenſare. Homines autem ideò deſiderant noſſe quid eſſet ſecuturum, quia ſecundùm hoc conſilia ſua dirigerent, & media congrua adhiberent, idque quia incommodis occurſuris mederi nequeunt. Sed hoc eſt Deum facere magis potentem quàm prouidum & circumſpectum: vt qui errata prouidentiæ poſſit emendare per omnipotentiam; & ideò magis intrepidè poſſit procedere in rerum gubernatione, quòd incommoda inde emergentia poſſit per omnipotentiam in maius bonum vertere. Indigna ſunt iſta diuina maieſtate, in qua omnes perfectiones ſunt pares, & ſingulæ ſecundùm ſuam propriam rationem conceptibilem prorſus infinitę. Vnde tanta eſt ipſius prouidentia, quanta potentia: nec opus eſt vt potentia ſuppleat vbi deficit prouidentia, vel prouidentia ſuppleat defectum potentiæ, vt ſępè in hominibus accidit.

II. Ratio, quia poſſibilis.

15 Secunda Ratio ſit directa. Huiuſmodi ſcientia non implicat vllam contradictionem; & alioquin eſt magna perfectio per ſe valdè optabilis, cùm maximè conducat ad completiſſimam prouidentiam & gubernationem; vt patet ex dictis: ergo neceſſariò ponenda eſt in Deo. omnis enim perfectio poſſibilis, nullam continens imperfectionem, Deo tribuenda. Quòd autem nullam implicet contradictionem, patet; tum quia obiectũ eius poteſt eſſe verum, vt ſtatim oſtendam: (non enim aliunde poteſt habere implicantiam quàm ex parte obiecti, vt ſi dicatur illud non eſſe intelligibile eò quòd ſit falſum, aut carens veritate. quòd ſi obiectũ poteſt eſſe verum, certũ eſt non implicare illud clarè & infallibiliter cognoſci.) tũ quia id quod homines paſſim deſiderant & conantur aſſequi cõſulto numinis oraculo, non eſt credibile id eſſe per ſe impoſſibile & inuoluere contradictionem. imò ipſum commune iudicium & appetitus generis humani apertè indicant rem eſſe poſſibilem, & expetẽdam tamquam magnum bonum. Idem confirmatur ex vtilitate huius ſcientiæ. vnde etiam maximi apud omnes æſtimatur. Nihil enim homines magis deſiderant ſcire quàm iſta futura ex hypotheſi, idque ob rerum ſuarum diſpoſitionem. quod autem eſt adeò vtile & expetendum ad optimum finem, non poteſt per ſe eſſe impoſſibile.

III. Ratio, quia cognitio Dei ſe extẽdit ad omne verum.

16 Tertia Ratio. Futurum ex hypotheſi eſt obiectiuè verum, cui videlicet ſi iudicium cõformetur, formaliter verum erit, & oratio conformis vera dicetur. atqui intellectus diuinus extendit ſe ad omne verum; ſicut voluntas diuina extendit ſe ad omne bonum appreheñſum (nempe per quamdam complacentiam) & omnipotentia ad omne

omne poſſibile, & immenſitas ad omnia ſpatia imaginabilia, & æternitas ad omne tempus. ergo in Deo ſtatuenda eſt iſta ſcientia. Solùm probanda eſt prima propoſitio: nam cetera ſunt clara.

Quòd ergo futurum ex hypotheſi ſit obiectiuè verum, probatur Primò ex D. Auguſtino de bono perſeuerantiæ c. 14. vbi ex verbis illis Domini Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* concludit D. Auguſtinus: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Hîc ex veritate prædictionis & præſcientiæ diuinæ (ſupponit enim dictum Domini eſſe veriſſimum, vt diuinæ ſapientiæ oraculum) colligit veritatem obiecti: & vult hoc eſſe verum; Si iſte videret talia ſigna, vel audiret talem prædicationem, moueretur ad fidem. Neque hîc confugere poſſumus ad obiectum in confuſo, nimirum quòd aliqui mouerentur in confuſo: quia loquitur de ſingulis in particulari conſideratis. neque ad apparentiam & veriſimilitudinem; quia dicit ita reipſa eſſe futurum. Non video quid ad hoc teſtimonium cum aliquo colore reſponderi poſſit. Sicut autem D. Auguſtinus ex veritate præſcientiæ & prædictionis veluti à poſteriori colligit veritatem obiecti; ita ex veritate obiecti, tamquam à priori, colligimus diuinam præſcientiam quam nullum verum poteſt latere. *Eſſe verum obiectiuè.*

Secundò, hæc propoſitio, *Si Petrus in tali periſtaſi rerum hoc modo tentatus ter fuerit, ter Dominum ante ſecundum gallicinium negabit*, erat vera ante rei euentum. non enim euentus fecit vt inciperet eſſe vera, ſed veritatem eius latentem detexit: ex euentu enim nobis innoteſcit talium propoſitionum veritas.

Confirmatur Primò, quia huiuſmodi propoſitione nihil aliud ſignificatur, quàm ex tali diſpoſitione præuia (ſi poſita fuerit in re) talem ſecuturum effectum, non neceſſariò, ſed liberè. atqui hoc eſt verum ante euentum, imò ab æterno. quia omnis propoſitio de futuro ſi vera eſt, eſt vera ab æterno. Vnde neceſſe eſt hanc veritatem ab æterno clarè & diſtinctè eſſe cognitam. Cumque hæc veritas non dependeat ab aliquo decreto Dei libero (nihil enim ponit reipſa futurum) anteuertit in ratione obiecti omne decretum liberum. ac proinde eius quoque præſcientia prior eſt & independens ab omni decreto libero. Quod in vna conditionali oſtendimus, de ómnibus aliis intelligendum eſt. omnium enim eadem eſt ratio.

Idem confirmatur Secundò, ex communi hominum iudicio. Om-

nes enim huiuſmodi conditionales propoſitiones apprehendunt vt determinatè veras aut falſas; etſi ignorẽt vtrum ex duobus illis competat. Vnde vt id ſciant, faciunt experientiam, & ex euentu deprehendunt. Hinc ſponſiones interdum de huiuſmodi inſtituuntur, v.g. Vtrùm puella ſit conſenſura, ſi ei nuptias cum tali dote obtulero? quam propoſitionem iudicant fuiſſe veram, ſi poſita hypotheſi videant ſecutum conſenſum; falſam, ſi videant non ſecutum. Non tamen volunt veritatem & falſitatem pendere ex illo euentu abſoluto, ſed ſolùm inde detegi: aliunde enim, ſemota reuelatione, certò & in particulari ſciri à nobis non poteſt.

Confirmatur Tertiò, quia talibus propoſitionibus nihil aliud ſignificatur, quàm talem diſpoſitionẽ, ſi ponatur, habituram mediante libero arbitrio talem effectum, ſiue inducturam liberum arbitrium ad talem actum: vel (quod idem valet) talem actum prouenturum occaſione talis diſpoſitionis præuiæ, ſi poſita fuerit in re. atqui non eſt dubitandum quin hoc ſit determinatè verum vel falſum, licet à nobis ignoretur: quia iſta diſpoſitio non faceret aliquid indeterminatum; ſed determinatè vel cauſaret hunc actum, & ita propoſitio eſſet vera, vtpote conformis rei ſignificatæ; vel non cauſaret hunc actum, & ita eſſet falſa. vtrumque enim eſt determinatum obiectiuè, cauſare hunc actum, & non cauſare hunc actum.

Ex his patet futurum ex hypotheſi eſſe obiectiuè verum, & propo- 17
ſitiones cõditionales de tali futuro eſſe propriè & determinatè veras. Quare cùm lumen diuinæ mentis propter ſuam infinitam vim in cognoſcendo extendat ſe ad omne verum, ſiue exiſtat reipſa, ſiue non exiſtat: neceſſe eſt vt etiam ad veritatem talium futurorum ex hypotheſi ſe proferat, & norit non ſolùm quid reipſa futurum ſit ex diſpoſitionibus & occaſionibus, quæ voluntatem creatam reipſa excitabunt; ſed etiam quid futurum eſſet ex aliis diſpoſitionibus, quę illam excitare poſſunt. Hæc aduerſus priorem ſententiam, quæ abſolutè negabat hanc præſcientiam, dicta ſufficiant.

Refutatur altera ſententia.

Nunc aliquid breuiter dicendum de altera ſententia, quæ huiuſ- 18
modi conditionales ſtatuit præſciri in decretis diuinis. Volunt enim Deum non tantùm prædefiniuiſſe ſuis decretis, quidnam abſolutè ſit futurum; ſed etiam quidnam quauis hypotheſi facta fieri deberet.

Sed hæc ſententia facilè refutatur. Primò, quia hæc ſententia euertit ſeipſam. Si enim euentus eſt ita prædefinitus, iam non erit conditionalis libera, ſed neceſſaria, nimirum ex ſuppoſitione diuini decreti, quod cum hypotheſi externa eſt connexum; v. gr. hæc erit

neceſ-

neceſſaria, *Si Petrum ſic vocauero, ſequetur*; quia vocationi coniunctum eſt decretum, quo efficaciter & abſolutè conſenſus eius eſt volitus & prædefinitus, ex quo neceſſariò ſequetur. implicat ergo dicere conditionales liberas primitus cognoſci in decreto diuino. Deinde ſi cognoſcuntur in decreto diuino, nõ eſt aliqua peculiaris difficultas in illis cognoſcendis. nihil enim faciliùs quilibet cognoſcit, quàm quod in animo ſuo abſolutè iam ſtatuit. Hæc tamen ſcientia cenſetur habere peculiarem difficultatem, ſicut & præſcientia futurorum abſolutè: quia effectus non habet aliquod eſſe determinatum, ſiue in ſeipſo, cùm non exiſtat; ſiue in ſua cauſa, quia ſupponitur non eſſe aliqua cauſa, quæ ad illum ſit determinata. Vnde multi negarũt præſcientiam huiuſmodi rerum. Tertiò, quia hæc ſententia ſupponit omnes actus voluntatis eſſe prædefinitos in particulari abſoluta voluntate à Deo cum omnibus ſuis circumſtantiis; quę doctrina, quanta contineat incommoda, oſtenſum eſt ſuprà cap. 3. & 4. Itaque in hac prædefinitione non poſſunt cognoſci conditionales liberæ. Denique futura ex hypotheſi non pendent à diuina prædefinitione, ſed ex ipſa rerum connexione & ſequela vnius ex altero: quæ eſſet ſi hypotheſis poneretur: vnde etiam anteuertunt omne decretum liberum. ergo non poſſunt in illa prædefinitione ſciri.

19 Aduerte tamen, quia abſolutè futura pendent à decretis Dei liberis, quibus voluit cauſas creare, & eas in tali rerum ordine ponere, vel tales eis occaſiones dare aut permittere; idcircò omnes actus liberi abſolutè futuri poſſunt præſciri à Deo, & reipſa ſunt præſciti in decretis liberis, ſuppoſita eorum præſcientia conditionata. Nam per præſcientiam conditionatam ante omne decretum ſciebat certiſſimè de ſingulis actibus liberis tam malis quàm bonis in particulari, ipſos futuros tali tempore, loco, modo, &c. ſi cauſas liberas crearet, & in tali rerum ordine collocaret. Vndę hoc ipſo quo vult cauſas ipſas creare, & in tali rerum ordine conſtituere, nouit abſolutè iſtos actus futuros. poſita enim hypotheſi ſui decreti, præſcientia conditionata tranſit in abſolutam. Et hoc modo dici poteſt Deum præſcire futura in determinatione ſuæ voluntatis, ſuiſque decretis, nõ quibus decreuit vt omnia ſic fierent, ſed quibus decreuit cauſas creare, & tales diſpoſitiones circa illas ponere vel permittere. Sic cùm ſciret Petrum negaturum, ſi permitteret illum poni in illo diſcrimine & tentari, hoc ipſo quo voluit permittere, ſciebat hoc abſolutè futurum.

Quo modo omnia futura abſoluta poſſint præſciri in decretis liberis.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta quæ contra præſcientiam conditionatam obiiciuntur.

HIs explicatis & ſatis ſtabilitis, ſequitur vt argumenta contrariæ ſententiæ proferamus & diſſoluamus. Igitur non eſſe in Deo talem præſcientiam probari poteſt.

Oppugnatur hic præſcientia Primò ex S. Scriptura.

Primò, ex S. Scriptura. Hæc enim dum loquitur de huiuſmodi futuris, nihil aliud vult indicare quàm ex tali diſpoſitione talem effectum ſolitum prouenire: ac proinde ita eſſe agendum in negotijs, ac ſi certiſſimè poſita illa diſpoſitione eſſet euenturus: nam in ordine ad praxim hæc duo æquiualent. Confirmatur, quia idcircò plerumque additur verbum *fortè*, quod eſt dubitantis, vt indicetur rem ipſam in ſe eſſe incertam & non intelligibilé, & ſolùm ex præuijs diſpoſitionibus poſſe de euentu iudicari. Exempla plurima occurrunt paſſim in Scriptura. Geneſis 3. *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum; emiſit eum Dominus*, &c. Exod. 23. *Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me.* Ieremiæ 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant & conuertantur.* Ezechielis 2. *Loquêris ad eos, Hæc dicit Dominus ſi fortè vel ipſi audiant, & ſi fortè quieſcant.* Et infrà: *Loqueris ergo verba mea ad eos, ſi fortè audiant & quieſcant.* 1

Secundò, ex Patribus.

Secundò, ex Patribus. D. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 14. *Hæc eſt tota cauſa cur dictum eſt: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod non futurum erat.* Hîc videtur D. Auguſtinus hanc præſcientiam apertè negare; eò quòd id quod non eſt futurum, non poſſit præſciri. Idem tamquam abſurdum refert D. Proſper in epiſtola ad diuum Auguſtinum, cuius epiſtolæ occaſione conſcripſit librum de prædeſtinatione Sanctorum. 2

Tertiò, Ratione.

Tertiò, Ratione. Nam Primò huiuſmodi propoſitiones videntur falſæ: idque duplici de cauſa. Prima, quia ſignificant illationem vnius ex altero: vnde ſi non eſt bona illatio, propoſitio falſa eſt; vt patet in hac, Si eſt homo, eſt albus. atqui in conditionalibus liberis non eſt bona illatio. non enim ſequitur, Petrus ſic mouetur; ergo conſentiet. ergo ſunt falſæ, ac proinde non poſſunt ſciri. Secunda, quia 3

iſtæ conditionales liberæ affirmant aliquam rem determinatam, quæ nullo modo eſt determinata. Non enim actus ille liber eſt determinatus in ſua cauſa: quia liberum arbitrium, etiam poſita hypotheſi, eſt indifferens ad illum, & eius oppoſitum. Neque etiam eſt determinatus in ſeipſo, quia neque eſt, neque vnquam erit in ſe ſecundùm ſuum eſſe actuale, ſicut ea quæ ſunt abſolutè futura, quę pro ſuo tempore habent eſſe determinatum extra ſuas cauſas.

Secundò, huiuſmodi futura non poſſunt ſciri in præſentia æternitatis, ſicut D. Thomas vult ſciri abſolutè futura: quia cùm nũquam exiſtant, non poſſunt dici æternitati eſſe præſentia; neque in ſuis cauſis, cùm hæ ſint indifferentes, vnde ex vi illarum non magis poteſt colligi effectus, quàm eius oppoſitum, ſaltem notitia certa & omnino infallibili; neque in determinatione diuinæ voluntatis, quo modo Scotus ponit cognoſci futura abſolutè; neque in ſeipſis, cùm in ſe non ſint quid determinatum. Præter hos modos, nullus alius videtur ſupereſſe quo cognoſcantur: ergo non ſunt cognobilia.

Denique, circa quodlibet liberum arbitrium poſſunt fieri infinitæ hypotheſes quas animus poteſt fingere: ac proinde dicendum erit Deum circa vnumquemque præſcire infinita futura ex hypotheſi; quod videtur ſuperfluum & incredibile.

4 Ad primum Argumentum reſpondeo: Etſi fortè in quibuſdam locis poſſit concedi nihil aliud quàm rerum diſpoſitionem & probabilitatem euentus ſignificari; tamen negandum eſt id eſſe vniuerſale, & ad omnia huiuſmodi loca pertinere. nam contrarium ſuprà c. 19. num. 4. 5. 6. aliquot exemplis clariſſimis eſt oſtenſum. Ad confirmationem: Fateor in locis plurimis illa locutione, *Ne fortè*, non ampliùs ſignificari quàm periculum euentus ex tali hypotheſi; & ſimili modo per *Si fortè* ſæpè nihil aliud quàm ſpem euentus liberi, & probabilitatem aliquam coniunctam cum difficultate. Hinc tamen nõ ſequitur Deum huiuſmodi locutionibus vti, quòd euentus ipſi in particulari ſint incerti aut notitiæ ipſius obiectiuè indeterminati. Abſit. Nam etiam ſæpè vtitur vbi res eſt certiſſima; vt Ieremiæ 4. *Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea.* & cap. 6. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te terram deſertam & inhabitabilem.* Pſal. 80 *Si populus meus audiſſet me,* &c. *pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Hæc omnia Deo certiſſima erant, quia ab ipſo exequenda; & tamen dicit *fortè*: quia Scriptura non loquitur philoſophicè, ſed populariter: iuxta vulgarem autem loquendi formam etiam in rebus nobis certiſſimis interdum adhibemus illam

Reſponſio ad 1. Argum.

parti-

particulam mitigandi cauſa, vt vitemus contentiones, vel minùs percellamus, &c. Deus itaque huiuſmodi dubitandi particulam adhibet, non quòd ipſi vllo modo res dubia aũt incerta ſit, ſed humana loquendi forma, vt oſtendat periculum euentus mali, vel ſpem euentus boni; & eſſe in noſtra poteſtate bonum conſequi, & malum vitare. Sic Hieronymus in cap. 2. Ezechielis explicans illud, *Si fortè vel ipſi audiant: Loquitur hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monſtret arbitrium; ne præſcientia* (ſic enim legendum, non *præſentia*, vt multi codices habent) *futurorum mali vel boni immutabile faciat quod Deus futurum nouerit. Non enim quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt nos facere quod ille præſciuit: ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ille nouit futurum quaſi Deus.* Hîc Hieronymus breuiter tria docet maximè notanda. Primò, cur Deus vtatur particula *fortè*, quaſi dubitaret; nimirum vt oſtendat hominem eſſe liberum, & ad neutram partem determinatum. Secundò, cur non reuelet euentum ipſum, cùm illum optimè norit: nempe hoc ideò facit, ne homo deſperet, vel ſecurus ceſſet, apprehendendo tamquam immutabile, quod Deus prædixit. Tertiò, cur Dei præſcientia non adferat neceſſitatem. Itaque ſupponit hîc euentum in omnibus huiuſmodi locutionibus à Deo in particulari cognoſci. Eamdem doctrinam quoad tria prædicta habet Theodoretus in cap. 26. Ieremię: *Dixit*, inquit, *Fortaſſe, non quaſi ignorans. nouerat enim illorum incredulitatem, ſed ambigua dictione vſus eſt, ne diuinæ ſententiæ attendentes, deſperarent de ſalute. Non abſimile dictum eſt ab Ezechiele, Si fortè audiant, ſi fortè videant. Non enim hoc ignorandi verbum eſt*, &c.

Ad teſtimonium diui Auguſtini. Ad ſecundum. D. Auguſtinus loquitur ibi de præſcientia abſoluta, quæ ſola propriè dicitur præſcientia. Præſcientia conditionata non eſt ſimpliciter præſcientia quæ reſpicit futurum ſimpliciter; ſed eſt præſcientia ſecundùm quid, nempe ex hypotheſi. vnde potiùs diceretur ſcientia quàm præſcientia conditionata. Nihilominùs etiam rectè ſic vocatur, quia ſimiliter omnino ac præſcientia tendit in obiectum, nempe tamquam in euentum futurum poſita conditione. Vnde quia reſpicit illud ſub ratione futuri ex hypotheſi, vocatur præſcientia; quo nomine etiam interdum vtuntur Patres, dum de hac ſcientia loquũtur. vt patet ex teſtimonio Cyrilli, Hieronymi & Theodoreti ſuprà, & D. Auguſtini cap. 9. de prædeſtinatione Sanctorum. vbi de hac loquens quater vtitur verbo *præſcientiæ*, & *præſciendi*. Porrò D. Auguſtinus eo loco refutat quoſdã Catholicos (quos puto fuiſſe

fuiſſe Maſſilienſes) qui volebant paruulos propter merita vel demerita, quæ Deus præſciebat illos habituros ſi manſiſſent in vita, conſequi vt cum baptiſmo, vel ſine baptiſmo, exeant ex hac vita: vt patet ex cap. 12. Qua in re multùm errabant. nam homo tantùm iudicandus eſt ex iis quæ geſſit, non ex iis quæ non geſſit; vt ibidem Auguſtinus. atqui illa numquam geſſit. Deinde quod reipſa numquam eſt futurum, non poteſt præſciri futurum. nam hoc nihil eſt aliud quàm non futurum eſſe futurum, quod implicat, vt ibidem Auguſtinus inſinuat; cùm ait: *Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, neſcio; vt futura, quæ non ſunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum.* Itaque meritò D. Auguſtinus negat illa eſſe præſcita, nempe abſolutè, ſicut merita & demerita præſcita eſſe debent. Eodem modo intelligendus D. Proſper, qui iſta D. Auguſtino propoſuerat. eius verba ſunt: *Sed in tantum quibuſcumque commentitiis meritis electionem Dei ſubiiciunt, vt præterita quæ non extant, futura quæ non ſint futura, contingant: nouoq́; apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint.*

6 Ad tertium reſpondeo, & Primò ad primam rationem: Negandum eſt omnes huiuſmodi propoſitiones eſſe falſas; imò omnes ſunt veræ, quæ effectum, qui re vera ex hypotheſi eſſet ſecuturus, ſignificant ſecuturum: quia ſunt conformes rei ſignificatæ. Vnde etiam negandum eſt quod priore loco pro cauſa adfertur. Non enim omnes propoſitiones conditionales ſignificant illationem, ſeu argumentationem, aut neceſſariam dependentiam vnius ex altero; ſed illæ tantùm in quibus intendimus neceſſariam connexionẽ ſignificare, vt cùm dicimus, Si eſt homo, eſt capax diſciplinæ: non autẽ illæ in quibus volumus ſignificare aliquem effectum ex aliqua occaſione liberè ſecuturũ; vt patet ex communi hominum vſu. Omnes enim homines ita loquuntur, nec ampliùs intendunt innuere, v.g. Si hoc illi ſuaſeris, faciet: ſi negaueris, iraſcetur tibi: ſi dederis, remunerabit, &c. In iſtis & ſimilibus homines non intendunt argumentari, nec alterum ex altero per bonam illationem colligere; ſed ſolùm inſinuare quid eſſet reipſa mediante libertate arbitrij ſecuturum, & quem effectum talis diſpoſitio aut hypotheſis eſſet habitura. Sicut enim duplex eſt connexio rerum, neceſſaria & libera; ita vtramque poſſumus huiuſmodi propoſitionibus ſignificare. Similiter neganda eſt altera cau-

Ad primam rationem.

7 ſa. Falſum enim eſt id, quod in iſtis propoſitionibus ſignificatur, non eſſe quid determinatum. Significatur enim id quod reipſa eſſet ſecuturum, ſi hypotheſis exiſteret. hoc autem eſt quid determinatum;

Eſſe quid determinatum quod ſequeretur.

v.g. conſenſus particularis. Confirm. quia ſi hypotheſis exiſteret, dici nõ poteſt, nihil omnino ex ea ſecuturum, cùm quotidiana experientia contrarium conuincat: neque etiam ſecuturum aliquid indeterminatum, quia nihil indeterminatum poteſt exiſtere: ergo neceſſe eſt, vt id quod eſt ſecuturum, ſit determinatum. Quòd ſi etiam nihil omnino ex illa hypotheſi eſſet ſecuturum (vt interdum fit) mente aliorſum diſtracta, illa ipſa negatio, priuatio vel omiſſio, eſt aliquid determinatum; & penderet ab alia occaſione vel diſpoſitione cauſæ liberæ, ac proinde eſſet obiectum cognitionis. Fateor quidem nihil

Non eſt determinatum in cauſa.

horum eſſe determinatum in ſua cauſa: quia nec abſolutè futura habent vllam in ſua cauſa, quatenus eſt prior actu libero, determinationem: vt ex ijs quæ cap. 5. dicta ſunt, conſtat. Vnde nec in illa cognoſci poſſunt, cum illa non magis hunc effectum, quàm eius oppoſitum

Sunt determinata in ſeipſis obiectiuè.

indicet. Nego tamen futura ex hypotheſi non eſſe determinata in ſeipſis obiectiuè: quia poſita hypotheſi determinatè eſſent ſecutura ex parte rei. Nam ſicut hypotheſis etſi non exiſtat actu, tamen eſt quid determinatum obiectiue, quod poteſt determinate apprehendi: ita quoque effectus qui ſequeretur, eſt quid in ſe & obiectiuè definitum ac certum, ac proinde tale vt diſtinctè cognoſci poſſit: ſimiliter dependentia & coniunctio effectus illius cum ſua cauſa eſt quid determinatum. Falſum itaque eſt, nihil hîc eſſe determinatum obiectiuè. aliud enim eſt obiectiue determinatum, aliud actualiter exiſtendo. Simili modo abſolute futura priuſquam ſint, non ſunt determinata niſi obiectiuè. Vnde non habent ab æterno, vſque ad punctum temporis quo incipiunt exiſtere, maiorem determinationem, quàm futura ex hypotheſi. Nec refert quòd exiſtentia, quam ſuo tempore illa futura habent, ſit cauſa cur ab æterno ſint obiectiue determinata: quia ſimiliter exiſtentia, quam futura conditionata haberent ſuo tempore poſita hypotheſi, eſt cauſa cur ab æterno ſint obiectiuè determinata.

Ad ſecũdam rationem.

Quo modo cognoſcãtur.

Ad ſecundam: Futura ex hypotheſi cognoſcuntur à Deo in præſentia æternitatis, ſeu quia æternitati præſentia iuxta modũ D. Thomæ. 8
Cùm enim viſio diuina menſuretur ęternitate, neceſſariò ambit omne tempus, anticipans omnia, quæ per totum tempus fiunt, & quauis hypotheſi fierent. Itaque hæc omnia ab æterno ſunt illi præſentia, ita vt ictu ſuæ viſionis vel luminis omnia illa veluti tangat & feriat; ſicut obiectum præſens oculorum adſpectu tangi dicitur. Dum enim ſe extendit ad omne tempus futurum, non ſolùm videt quid reipſa per totum tempus, & ſingulas eius partes fiat; ſed etiam quid hac vel illa

illa hypotheſi poſita fieret. Itaque hæc omnia ſunt illi pręſentia tamquam ex hypotheſi exiſtentia. Hoc modo intelligenda eſt D. Thomæ ſententia de præſentia æternitatis, nimirum vt non ſit præſentia coëxiſtentiæ, ſed obiectiua, quæ non minùs in futuris ex hypotheſi, quàm in abſolutè futuris locum habet, etſi non eodem prorſus modo. Hæc ratio cognoſcendi non differt reipſa ab ea qua dicimus Deũ ex vi infinita ſui luminis cognoſcere hæc futura in ſeipſis ſecundùm eſſe ſuum determinatum, quod haberent poſita hypotheſi extra ſuas cauſas. hoc enim eſſe eſt illi præſens obiectiuè ab æterno.

9 Ad tertiam: Concedo totum quod infertur. Imò id eſt neceſſarium, cũm eius notitia debeat ſe extẽdere ad omne verum: ſicut eius potẽtia ad omne poſſibile. Neque hoc videri debet incredibile, cùm ſub quaque rerum ſpecie concipiat diſtinctiſſimè infinita indiuidua, & quodque indiuiduum poſſit infinities (vt ita dicam) replicare; & rurſus circa quamque replicationem infinitas alias varietates efficere. Itaque ſicut concipit diſtinctiſſimè omnes actus quos quælibet creatura libera poteſt facere, & per infinitam durationem eſt factura: ita concipit omnes actus, quos poſita qualibet hypotheſi, quam non ſolùm homo & Angelus, ſed etiam ipſe Deus poteſt concipere, eſſet factura. quod ego pro certiſſimo habendum cenſeo. *Ad tertiam rationem.*

Hæc de iſta quæſtione & ceteris de quibus fuit diſceptatio, ad pręſens negotium ſufficiant.

10 Ex quibus cuiuis erudito Lectori facilè conſtare poteſt, Primò, noſtrorum ſententias de gratiæ efficacitate, prouidentia diuina, arbitrij libertate & præſcientia conditionata, de quibus controuerſia nobis mota fuit, quæque tractatu illo impetuntur, non eſſe nouitias, nec rationibus tantùm philoſophicis ſubnixas; ſed antiquas, ſanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ, diuinæ Scripturæ, & ſacris Conciliorum decretis maximè conſentaneas, & procul ab errore Pelagianorum & Semipelagianorum diſſitas. Secundò, quàm parum virium habeant ea quæ aduerſus illas adducuntur, vt quæ plerumq; falſis vel prauè detortis, & malè intellectis principijs vel auctoritatibus ſint ſubnixa. Tertiò, quanta difficultate contraria ſententia ſuſtineatur, & à grauiſſimis erroribus, qui ex ea deduci videntur, vindicetur; cùm noſtra facilè explicari, & ab omni erroris vmbra defendi poſſit. Denique, vtra videatur magis conſentanea non ſolùm doctrinę D. Auguſtini, ſed etiam definitionibus Concilij Tridentini, aliorumque Conciliorum, & teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Precor ipſam Lucem omnium illuminatricem, ad cuius hæc honorem conſcripſimus, vt *Concluſio totius Diſputationis.*

mentibus eorum, qui iſthæc lecturi ſunt, affulgeat; vt in difficillimis iſtis maximiq́ue momenti quæſtionibus, veritatem clarè cernere, & cognitam, ſi antè aliud ſenſerunt, depoſito contentionis ſtudio, humiliter amplecti poſſint. Omnia quæ hîc vel alibi ſcripſimus, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio, cum omni ſubmiſſione, ſubiecta ſunto.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

DE PRAEDESTINATIONE ET REPROBATIONE ANGELORVM ET HOMINVM Diſputatio:

Auctore LEONARDO LESSIO *Societatis* IESV *S. Theologiæ in Academia Louanienſi Profeſſore.*

BENEVOLO LECTORI.

CAVSA conſcribendę huius Diſputationis fuit, quòd longo vſu deprehēderim multorum animos, prædeſtinationis conſideratione valdè perturbari. Scio quoſdam inde in grauiſſimos melancholiæ affectus incidiſſe ; alios ſtudium pietatis, & perfectionem religionis abieciſſe; alios pænè per totam vitam in anxietate verſari, prædeſtinationem Dei ſuſpectam ſemper habentes. Tenuit etiam ea res me aliquot annis perplexum ; ſed examinatis diligenter Scripturis & Patrum ſententiis, quæ in vtramque partem adduci poſſent, tandem hac moleſtia, cum magno animi mei ſolatio, ſum expeditus. Sunt aliqui tam felici vel facili ingenio, vt nullæ abſolutæ & inſuperabiles Dei prædefinitiones, nullæ prædeterminationes in volūtatem humanam immiſſæ eos commoueant. Nam perinde afficiuntur vtcumque ſenſerint, ita ſpeculatio illorum ab affectu ſubducta: nimirum adiaphorum illis eſt ad affectum & vitæ gubernationem, ſiue putent Deum ante omnem præuiſionem futurorum, de noſtra ſalute & exitio æterno, deque omnibus operibus noſtris abſoluto decre-

decreto ſtatuiſſe, ſiue non ſtatuiſſe: & ſiue ſentiant illum ad omnia opera noſtra nos prædeterminare, ſiue non prædeterminare. Ita enim ſpeculatiuè illa conſiderant, vt nullo modo ad praxin applicent; aut perpendant quomodo cum libertate operandi, & cum poſſibilitate ſalutis conſiſtant: vel ſi id conſiderant, putant ſubeſſe aliquid occulti myſterij, quod eos lateat, ratione cuius talia libertatem noſtram & ambiguum finis euentum nō impediant. Nec deſunt qui dicant ſe magnam ex huiuſmodi prædefinitionibus capere conſolationem. malle enim ſe eſſe in manu Dei, quàm relinqui in manu conſilij ſui. Sed non omnes ita ſunt comparati, nō omnibus eſt illa deſultoria vel arbitraria ingenij facilitas, nec ſtatim ſentire poſſunt quod volunt. Acriùs animum intendunt, immorantur, ſcrutantur, expendunt omnia, applicant ad vſum vitæ: & niſi ſolidi aliquid repererint, nuſquam acquieſcūt. Grauiſſima profectò eſt iſta animi afflictio; & interdum tanta, vt homines ad deſperationem & mortem ſpontaneam adigat. Si enim de omnibus, ante omnem præuiſionem eorum quæ ſumus facturi, iam eſt firmiter & abſolutis decretis ſtatutum; ſi numerus ſaluandorum, qui nec augeri, nec minui poteſt, nullo operum vel laborum noſtrorum habito reſpectu, immutabiliter eſt definitus; ſi ante examen operum de omnibus irreuocabili prę-iudicio eſt definitum: perſpicuum eſſe putant, tolli omnem ſollicitudinem rectè viuendi. quia ſi illo nume-

numero es comprehenſus, nulla incuria faciet vt excidas: ſi non es comprehenſus, nulla ſollicitudo iuuabit vt intres. Huic perplexitati mentis variæ ſolent adhiberi medicinæ, ſed quæ malum potiùs exaſperent quàm leniant, tantum abeſt vt curent. Quidam enim ita ratiocinantes obiurgandos cenſent, nulla alia ratione, in qua mens poſſit acquieſcere, allata. Verùm etſi ſimplicioribus, qui non ſunt capaces tantæ ſubtilitatis, interdum obiurgatio rectè adhibeatur: tamen apud ingenioſos & eruditos nihil proficit. Cùm enim de re maxima agatur, meritò aliqua ratio exigitur, qua mens tranquilletur; quę ſi dari non poteſt, repudianda potiùs erunt huiuſmodi principia, ex quibus talis ratiocinatio ducitur, quàm quies animi perdenda, cùm ab Eccleſia nihil hîc ſit definitum. Quòd ſi res definita eſſet, tum demum obiurgatio locum haberet; & intellectus in obſequium fidei, ſicut in myſterio Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, eſſet captiuandus.

Alij dicunt huiuſmodi ratiocinationem ſeipſam perimere; quia, inquiunt, ſi es in illo numero, iam etiam prædeſtinatum eſt vt habeas ſollicitudinem, per quam ſalutem merearis: vnde oportet te eſſe ſollicitum, vt diuinam prædeſtinationem impleas. Pueris iſta dici poſſent, & qui vim rationis non capiunt; ſed magnis & exactis ingeniis non ſatisfaciunt. Quamuis enim in alia ſententia, quæ non ſtatuit huiuſmodi prædefinitiones abſolutas, id

rectè dici poſſit: in hac tamen de qua agitur, locum non habet, eique non poteſt applicari.

Alij confugiunt ad præſidium præſcientię conditionatę. ſed etiam ex hac parum vel nihil ſolatij. hæc enim ad nihil aliud ſeruit, quàm vt Deus ſumma facilitate ſua decreta poſſit exequi, illęſa intrinſeca diſpoſitione liberi arbitrij; non vt nos debeamus eſſe ſolliciti, aut poſſimus excidere ab eo quod ille nobis decreuit, aut conſequi, quod ipſe nobis decernere noluit. Hæc igitur & ſimilia remedia cùm non ſufficiant, ea ratio prædeſtinationis ſtatuenda, quæ ſolidum menti ſolatium adferat, quæ ſtudium bonorum operum, ſęculi contemptum, & Chriſtianæ perfectionis amorem excitet. Tales enim ſententiæ Theologo ſunt maximè dignæ, quæ mentem non obnubilant, ſed ſerenant, non mœrorem & torporem iniiciunt, ſed conſolationem & vigilantiam adferunt: quæ bonis moribus, pœnitentię operibus, pietatis cultui, & perfectioni vitæ fauent: in quibus nullæ ſalebrę, nullę inexplicabiles tenebrę, nullæ errorum vmbrę, nulla vel in ſpeciem cum prauis hæreticorum dogmatibus affinitas: in quas Scripturarum teſtimonia non coacta, non confictis & contortis ſenſibus, ſed obuio & plano intellectu congruunt, & Patrum communis doctrina conſentit, & iudicium naturale ſuffragatur. Huiuſmodi eſſe ſententiam noſtram de Prędeſtinatione, quam hac diſputatione diſcutere & explicare inſtitui, planè me oſtēſurum confido. Quę

ſicu-

ſicuti mihi, & multis aliis magno eſt ſolatio, & ad bonum incitamento: ita ſpero futuram iis, qui iſtis lectis ad eius intelligentiam penetrauerint. Rogatos autem velim lectores meos, vt ſepoſito omni præiudicio iſta perlegant, & accuratè ſingula expendant, & tum demum omnibus rectè examinatis iudicium ferant.

Adieci Diſputationem de PRAEDESTINATIONE CHRISTI; tum quòd ea ſit huic quæſtioni connexa: tum quia etiam ad pietatem multum referre puto, quo modo quis hac in re ſentiat. Precor diuinam clementiam, vt hęc omnia ad ſuã gloriam, & animorum conſolationem ſalutemq; dirigat.

Hæc DISPVTATIO *ſeptem habet* SECTIONES.

SECTIO I.

Continet quædam præambula: quid ſit Prædeſtinatio, quotuplex: eam non cadere ſub meritum prædeſtinati.

SECTIO II.

Explicat ſtatum controuerſiæ; & ſententiam probabiliorem multis modis confirmat, contrariamque refutat.

SECTIO III.

Argumenta aduerſæ partis ex Scripturis petita adducit, & fusè ad ea reſpondet.

SECTIO IV.

Adducit argumenta ex Patribus, & ad ea reſpondet.

SECTIO V.

Profert argumenta ex ratione, eaq́ue diſſoluit.

SECTIO VI.

Fuſiùs explicat quo modo negotium iſtud prædeſtinationis & reprobationis ſe habeat.

SECTIO VII.

Continet breuem recollectionem precatoriam.

DISPVTATIO *de* CHRISTI *prædeſtinatione, continet quatuor* SECTIONES.

SECTIO I.

Proponit controuerſiam, & confirmat variis modis veriorem ſententiam.

SECTIO II.

Adducit argumenta partis aduerſæ, eaq́ue fusè diſſoluit.

SECTIO III.

Explicat quomodo Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis.

SECTIO IV.

Continet breuem recollectionem precatoriam.

DE PRAEDESTINATIONE ET REPROBATIONE ANGELORVM ET HOMINVM Diſputatio.

SECTIO PRIMA.

Quædam præambula. Quid Prædeſtinatio, quotuplex. Definitio D. Auguſtini. Eam non cadere ſub meritum.

Prædeſtinatio pertinet ad prouidentiam & miſericordiam.

1 PRÆDESTINATIO eſt pars prouidentiæ, & opus miſericordiæ; vnde ad vtramque perfectionem pertinet. Ad prouidentiam, quatenus continet rationem mediorum, quibus natura rationalis perducenda eſt ad ſalutem. Ad miſericordiam, quatenus voluntas exequẽdi hæc media ex affectu miſericordiæ proceſſit. Ideò enim Deus illa nobis ab æterno præparauit, & in tempore conferre ſtatuit, quia ſua infinita benignitate & miſericordia nos ab omni miſeria eripere, & bonorum ſuorum participes efficere decreuerat. Itaque ratione conceptionis mediorum eſt eſſentialiter pars prouidentiæ. Etſi enim prouidentia diuina in ſe ſit vnica & ſimpliciſſima, tamen ex ordine ad obiecta, quæ prouidentia reguntur, noſtro modo concipiendi eſt multiplex, &, vt ita dixerim, pænè infinituplex; quaſi ſint plurimæ prouidentiæ partiales, quæ vnam pleniſſimam & ampliſſimam, ad omnia pertinentem, prouidentiam conſtituant. Hoc modo *prædeſtinatio* dicitur pars prouidentiæ. Eſt enim prouidentia illa, qua natura ratio-

Eſt pars Prouidentiæ.

rationalis ad ſalutem perducitur æternam. Quare ſicut ad prouidentiæ rationem concurrunt actus intellectus & voluntatis, nimirum conceptio mediorum, & voluntas exequendi; ita etiam ad rationem prædeſtinationis. Hinc aliqui DD. volunt prædeſtinationem dicere actum intellectus cum ordine ad actum voluntatis. Sic D. Thomas dicit *prædeſtinationem eſſe rationem tranſmiſſionis creaturæ rationalis* (id eſt, conceptionem mediorum quibus creatura rationalis eſt tranſmittenda) *in finem ſupernaturalem cum voluntate exequendi.* Alij dicunt prædeſtinationem eſſe ipſum actum volũtatis, quo Deus vult exequi ordinem mediorum ad ſalutem perducentium, quem animo conceptum retinet; qui modus loquendi eſt commodior. *Deſtinare* enim ad finem eſt voluntatis effectiuè, rationis ſolùm directiuè. Sed parum refert vtro modo loquaris, cùm vtrumque requiri ad prædeſtinationis rationem, conſtet.

An ſit actus intellectus, an voluntatis.

Reprobatio.

Reprobatio eſt pars prouidentiæ, & opus iuſtitiæ vindicatiuę. pars prouidentiæ, non quòd contineat diſpoſitionem mediorum, quibus peruenitur ad exitium: (hæc enim media non ſunt à Deo, ſed à voluntate creata) ſed quatenus ad prouidentiam pertinet, non ſolùm bonis operibus reddere præmia, ſed etiam prauis ſupplicia, & reducere in ordinem quidquid à recto deflexerit. hoc enim fit per reprobationem, quæ nihil eſt aliud, quàm æterna ſententia Iudicis, qua in animo ſuo iam ab æterno omnes operarios iniquitatis & peccatores excluſit à ſuo regno, & commeritis deputauit ſuppliciis. Sicut igitur ſententia Iudicis qua ipſe apud ſe noxios deputat ſupplicio eſt opus iuſtitiæ Vindicis, & pars prouidentiæ ac bonæ gubernationis: ita reprobatio æterna impiorum.

Dupliciter accipitur.

Vſurpatur hoc nomen *Prædeſtinatio*, potiſſimùm dupliciter. Primò, generatim pro quauis prædefinitione & præordinatione diuina; 2
& ſic extendit ſe ad omnia quæ Deus ab æterno ſtatuit vel per ſe facere in tempore, vel procurare fieri per creaturam. Hæc enim omnia dicuntur prędeſtinata iuxta Dionyſium cap. 5. de diuinis nominibus. hoc modo dicuntur quidã prædeſtinati ad gloriam, alij ad pœnam. ſicque D. Fulgentius ſcripſit libellum de gemina prædeſtinatione. Secundò, ſtrictè pro æterna deſtinatione creaturæ rationalis ad ſalutem. Vtroque modo particula *præ*, innuit anteceſſionem æternitatis, & cauſalitatis: nimirum, decretum diuinum tota æternitate antecedere temporalem ſalutis curſum, & eſſe eius cauſam.

Salus duplex.

Vlteriùs conſiderandum eſt, quòd ſicut eſt duplex ſalus, iuxta modum loquendi Scripturæ, completa nimirum & incompleta: ita quo-

quoque duplex eſt prædeſtinatio, completa & incompleta. Salus completa, eſt viſio beatifica actu obtenta. Incompleta, eſt gratia iuſtificationis. hæc enim in Scripturis paſſim vocatur, ſalus, beatitudo, & vita æterna. Et iuſti dicuntur ſaluati, ſalutem conſecuti, beati, habere vitam æternam in ſemetipſis; eò quòd perfecta ſalus & vita æterna iuſtitiæ ſit debita, & in hac, tamquam in ſemine contineatur. Et ob hanc cauſam omnes iuſti in Scripturis diuinis dicuntur *prædeſtinati*, & *electi*, & *dilecti* ab æterno: quia ad iuſtitiam prædeſtinati ſunt, & conſequenter, quantum eſt ex parte Dei, ad cetera omnia ſaluti conſequendæ neceſſaria, vt infrà oſtendemus.

Item prædeſtinatio.

Dicitur autem prædeſtinatio completa vel incompleta, ratione ſeriei obiectorum ad quæ ſe extendit. *Completa* enim eſt, quæ ſe extẽdit ad totã ſeriem mediorum, quibus homo reipſa ſalutẽ aſſequitur, atq; adeò ad ipſam ſalutẽ in ſe ſpectatam. *Incompleta* dicitur quæ ſe profert tantùm ad aliquam ſeriem beneficiorum, quibus ad ſalutem tenditur, præſertim vſque ad gratiam iuſtificationis. Etſi enim omnis diuina prouidẽtia in ſe ſit perfectiſſima & completiſſima; tamen, vt ad completam vel incompletam mediorum ſeriem terminatur, poteſt ſic denominari ratione obiecti, & effectus, vt per ſe conſtat.

Vnde dicatur completa, vel incompleta.

3 *Completam prædeſtinationem* deſcribit D. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 14. *Hæc*, inquit, *prædeſtinatio Sanctorum, nihil eſt aliud quàm præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Vbi complectitur totam ſeriem gratiarum quibus perducimur ad ſalutem; & ponit rationem prædeſtinationis in huius ſeriei præparatione, id eſt, in voluntate eam conferendi. Per hanc ſeriem beneficiorum dicit nos *certiſſimè liberari*; quia in hac continentur etiam bona opera, & perſeuerantia in finem. Hæc enim ſunt beneficia Dei, quibus libertatem gloriæ filiorum Dei certiſſimè aſſequimur; vt ibidem Auguſtinus docet. Alioquin ſi loquamur tantùm de auxiliis præuenientibus, per hæc non ita certiſſimè liberamur; nimirum certitudine quæ oriatur præcisè ex vi auxiliorum, ſed certitudine proueniente ex vi ſcientiæ diuinæ. Illa enim beneficia præuenitia non ſunt huiuſmodi, vt ex nuda illorum efficacia, quam per ſe & in actu primo habeat, poſſit certò euentus ſalutis præſciri (ſic enim eorum effectus non penderet à concurſu liberi arbitrij, nec poſſet impediri:) ſed certitudo illius euentus oritur ex vi diuinæ ſcientiæ, quæ ad omnes euentus liberos, ſiue abſolutè ſiue ex hypotheſi futuros, ſe extendit. Vnde per eam Deus certiſſimè nouit, quid voluntas humana cum tali gratiarum ſerie (ſi eam haberet) eſſet factura:

Definitio diui Auguſtini explicatur.

factura : poſita autem conditione ſeu hypotheſi (nimirum voluntate dandi hanc gratiarum ſeriem) illa ſcientia conditionata tranſit in abſolutam , & iam per illam ſcitur quid reipſa ſit euenturum.

Dicit *prædeſtinationem eſſe præſcientiam* . Quidam intelligunt hic *præſcientiam conditionatam* , qua Deus nouit quis ordo gratiarum præuenientium cuique ſit allaturus ſalutem, ſi ei collatus fuerit ; quæ ſupponitur prædeſtinationi ſeu voluntati conferendi. Et hæc ſanè eſſet aptiſſima explicatio, ſi menti D. Auguſtini congrueret. Sed aliud profectò videtur velle D. Auguſtinus. Ideò enim dicit prædeſtinationem eſſe præſcientiam; quia, inquit, *nouit Deus opus ſuum: nouit quid ipſe facturus ſit*. Si loqueretur de præſcientia conditionali, dicere debuiſſet ; Nouit Deus quid homo facturus eſſet ſi talem graiarum ſeriem haberet . Deinde præſcientia conditionalis non vocatur abſolutè præſcientia, nec verè eſt, ſed cum reſtrictione cõditionalis, & meliùs etiam diceretur ſcientia conditionalium, quàm præſcientia conditionata . Loquitur itaque de *præſcientia abſoluta* , & tantùm vult dicere prædeſtinationem non ſolùm eſſe præſcientiam bonorum operum futurorum hominis, ſicut iuxta Pelagij ſententiam dicendum erat ; ſed etiam præparationem & voluntatem ea conferendi. niſi enim ea Deus præparaſſet, homo non poſſet ea habere . Sicut ergo completa prędeſtinatio eſt prępáratio omnium mediorum quibus homo liberatur , extendens ſe ab ipſo hominis ortu vſque ad vltimum vitæ ſpiritum: ita *prædeſtinatio incompleta* eſt prępa ratio mediorũ à primo ortu vſque ad ſtatum iuſtitiæ , quocũque tempore homo in eo fuerit, excluſo tamen vltimo vitæ termino in quo nõ poteſt ampliùs à iuſtitia excidere. Quãdiu enim poteſt excidere, prædeſtinatio vt extendit ſe ad media ſalutis, quæ vſque ad illud punctũ illi ſunt collata, adhuc cenſetur incõpleta, & ſic poteſt quis deleri de libro vitę. Quando autẽ non poteſt ampliùs excidere, iam cenſetur cõpleta. Ratio eſt , quia cùm prædeſtinatio nihil ſit aliud quàm præparatio mediorũ ſalutis; quamdiu ſeries mediorum nondum eſt completa & terminata , ipſa quoque prædeſtinatio incompleta cenſeri debet : & vbi illa ſeries terminatur , ibi quoque terminatur prædeſtinatio.

Prædeſtinatio incompleta.

Non cadit ſub meritum hominis.

Ad hæc ſuppono neminem ſuam prædeſtinationem mereri poſſe, ne ex congruo quidem. Cuius ratio eſt, non quia prædeſtinatio eſt quid æternum , & non diſtinguitur ab ipſa eſſentia diuina. nam reprobationem merentur impij, quæ ſimiliter æterna eſt, & diuinæ eſſentię identificatur. loquimur enim non de ſubſtantia illorũ actuum, ſed de terminatione illorum ad aliqua obiecta creata; quæ ſub meritum 4

tum

tum cadere poteſt. Ratio igitur cur prædeſtinationem mereri non poſſimus eſt, quia nemo poteſt mereri primam vocationem, ſeu illuſtrationem diuinam, qua primùm incipit eleuari ad ſtatum ſupernaturalem. Nam opera moralia, quæ ſola ante hanc vocationem fieri poſſunt, nullam habent ad hunc ſtatum condignitatis aut congruentię proportionem. ab illa autem vocatione tota ſeries bonorum operum pendet, atque adeò illa eſt primus effectus prædeſtinationis. Hoc eſt potiſſimum huius veritatis fundamentum. Si enim primam illam gratiam mereri poſſemus, non videretur ratio, cur non poſſimus aliquo modo mereri totam prædeſtinationem. Habita enim prima gratia, per illam operando, poſſumus mereri ex congruo maiorem & vlteriorem; & per hanc aliam vſque ad primam iuſtificationem: qua obtenta, poſſumus progredi merendo ſenſim & ordine quodam cetera vſque ad mortem. Et hoc modo, tota ſeries gratiarum quibus perducimur ad ſalutem, caderet ſub meritum; & conſequenter etiam prædeſtinatio, quæ nihil eſt aliud quàm harum gratiarum prȩparatio. Cùm enim meremur aliquam gratiam, etiam meremur æternam eius præparationem.

Hoc ſenſu loquuntur Patres cùm negant nos eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, vt patet ex D. Auguſtino, libro de prædeſtinatione Sanctorum. Maſſilienſes enim, contra quos toto eo libro diſputat, dicebant fidem eſſe ex nobis, & per fidem nos mereri primam gratiam, & conſequenter electionem & prædeſtinationem. Nam propter fidem dicebant hominem eligi & prȩdeſtinari. Hanc ſententiam D. Auguſtinus non aliter refutat, quàm negando fidem eſſe ex nobis, & oſtendendo eſſe donum Dei; & conſequenter ex gratia & prȩdeſtinatione prouenire. Fuerat in eadem ſententia D. Auguſtinus ante Epiſcopatum, cùm ſentiret fidem eſſe ex nobis. volebat enim homines prædeſtinari ex præuiſione huius fidei, vt ipſemet refert lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. *Ad hoc*, inquit, *perduxi ratiocinationem, vt dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando, etiam æternam vitam conſequeretur.* Itaque paria ſunt D. Auguſtino eiuſque ſectatoribus poſſe mereri primam gratiam, & mereri prædeſtinationem ſeu electionem diuinam. quod etiam confirmatur ex cap. 10. eiuſdem libri, vbi dicit: *Inter gratiam porrò & prædeſtinationem, hoc tantùm intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò iam ipſa donatio.* Vnde ſic ratiocinari licet.

Quo ſenſu Patres docet nō dari cauſam prædeſtinationis ex nobis.

cet. Quicumque gratiæ donationem meretur, etiam eius præparatiõné meretur: nam ſi ob meritum noſtrũ donatur, etiam ob meritum noſtrum præparatur: atqui præparatio gratiæ eſt prædeſtinatio; ergo ſecundùm D. Auguſtinum, qui meretur primam gratię donationem, meretur prædeſtinationem. Idem colligitur ex cap. 14. de bono perſeuerantiæ: vbi docet doctrinam prædeſtinationis non magis officere prædicationi & exhortationibus, quàm doctrinam gratiæ, eò quòd prædeſtinatio nihil ſit aliud quàm gratiæ præparatio. Quicumque ergo ſentit hominem ſolis naturæ viribus poſſe credere, vel facere aliqua opera bona, quibus gratiam ſeu dona ſupernaturalia mereatur, eo ipſo ſentit, illum poſſe mereri ſuam prædeſtinationem & electionem; & cauſam prædeſtinationis eſſe ex nobis. Qui verò ſentit hominem non poſſe ſuis viribus mereri aliquod ſupernaturale donum gratiæ, eo ipſo quoque ſentit non poſſe mereri ſuam prædeſtinationem; & eam non habere cauſam ex nobis. Sicut ergo fide certum eſt, vel certè fidei proximũ, nos non poſſe mereri primam gratiam ſupernaturalem: ita pari modo certum eſt, non poſſe nos mereri prædeſtinationem, nempe quoad ſui inchoationem, ſiue prout ſe extendit ad primos ſuos effectus. Sic enim hæc locutio à D. Auguſtino & DD. intelligitur. Agitur enim de operibus quæ omnem prędeſtinationem & gratiam antecedunt. inchoatur autem prædeſtinatio à prima vocatione ad fidem in adultis: in paruulis à baptiſmo. In his enim conſiſtit prima eleuatio & ordinatio intrinſeca ad vitam æternã, ad quam homines per prædeſtinationem diriguntur. quamuis dici poſſit prędeſtinationem multo altiùs inchoari: quia ante iſta media intrinſeca, ſunt alia extrinſeca, quibus ad hæc intrinſeca perducitur, vel quibus fit vt intrinſeca foueantur, & effectum conſequantur. Ingens enim beneficium eſt, & vnde plerumque tota ſalus pendet, eſſe natum à parentibus Chriſtianis, eſſe conſeruatum in vtero, eſſe educatum ab infantia inter Chriſtianos, habuiſſe opportunitatem doctrinæ fidei, eſſe eductum è locis infidelium, aut hæreticorum, & ſimilia, quæ antecedunt primam vocationẽ, vel baptiſmi gratiam, & nullo modo ſub meritum hominis, cui conferuntur, cadere poſſunt. Verùm quando loquimur de cauſa prædeſtinationis, non conſideramus eam, vt extendit ſe ad media extrinſeca. Certiſſimum enim eſt (quod nec Pelagius ipſe negaſſet) hoc modo non dari cauſam prædeſtinationis; ſed ſolùm vt ad dona ſupernaturalia intrinſeca: quo modo Pelagiani & Semipelagiani volebant eius cauſam eſſe ex nobis, contra quos eſt tota D. Auguſtini diſputatio.

SECTIO II.

Explicatur ſtatus controuerſię. Sententia verior confirmatur: aduerſa refutatur.

5 HIs poſitis, præcipua quæſtio, quam hîc diſcutere ad Dei gloriam & animorum ſolatium conſtitui, eſt de Electione ſaluandorum (cui ſimul implicita eſt altera de Reprobatione impiorum) Vtrùm Deus omnes ſaluandos ita prædeſtinarit, vt eos abſoluta & efficaci voluntate elegerit ad gloriam, certumq́ue gloriæ gradum ante omnem præuiſionem meritorum; & omnia illorum bona opera ſalutiſq́ue media abſoluta voluntate prędefinierit, ante omnem futurorum præuiſionem: an verò alio modo facta ſit prædeſtinatio? Quidam affirmant illo modo factam. Ad quod explicandum conſtituunt aliqua inſtantia, ſeu ſigna rationis in mente diuina. In primo ſigno Deus ſimplici intelligentia ſibi proponens omnes angelos & homines in tempore futuros, ante omnem futurorum præuiſionem, etiam peccati originalis, ſelegit ex illis certum numerum; & his ſtatuit abſoluta voluntate gloriam, & certum cuiquè gloriæ gradum; circa ceteros verò ſe habuit negatiuè, id eſt, poſitiuè neque gloriam neque damnationem illis decreuit. In ſecundo prædefiniuit electis omnia bona opera cum omnibus ſuis circumſtãtiis, quæ in tempore faciunt, & ipſam perſeuerantiam; &, vt hæc omnia præſtent, decreuit illis gratiam congruam. Circa ceteros rurſus ſe habuit negatiuè. hanc tamen negatiuam benignitatem quidam ſic interpretãtur, vt non fuerit ſuſpenſio actus: ſed vt in primo inſtanti fuerit nolitio, qua noluit illis gloriam illo efficaci modo; in ſecundo fuerit, nolle illis gratiam congruam, ſed aliam ſufficientem tamen vt poſſint ſalui fieri, ſi velint. In tertio ſigno videt perſeuerantiam electorum; & aliorum peccatum finale. In quarto, decernit illis gloriam, vt mercedem operum bonorum: his pœnas æternas, vt mercedem operum malorum, vel pœnam peccati originalis.

Quæſtio principalis.

Sententia quorũdam.

Hanc ſententiam probant variis Scripturis, Patrum teſtimoniis,
6 & rationibus, quas infrà commodiùs referemus. Sed contra hanc ſententiam multa obiici poſſunt, ob quæ mihi, & plurimis aliis viris doctiſſimis minùs probatur. Itaque contrariam iudicaui ſemper magis veritati & pietati conſentaneam, nimirum electionem abſolutam

Sententia verior & probabilior.

& immediatam ad gloriam non eſſe factam ante præuiſionem perſeuerantiæ, ſeu finis in ſtatu gratiæ; ſicut nec abſoluta reprobatio facta eſt ante præuiſionem finis in ſtatu peccati: neque ſingula opera bona eſſe illo modo cum omnibus ſuis circumſtantiis prædefinita. Hæc ſententia eſt plurimorum Patrum & Doctorum tum Scholaſticorum, tum recentiorum.

Probatio prima ex Scripturis.

PRobatur Primò ex Scripturis. Primus locus ſit Matthæi 22. ex parabola de inuitatis, vbi cùm plurimi magna cura & diligentia regis eſſent ad nuptias filij vocati, & plerique nollent venire, concludit Dominus: *Multi ſunt vocati, pauci electi.* Quare pauci electi, niſi quia pauci voluerunt venire? Si plures veniſſent, ſicut poterant venire, plures omnino electi fuiſſent. *Vocare enim eſt Dei: electum autem fieri, aut non electum, etiam eſt noſtrum*, vt docet Theophyl. in hunc locum, quod intellige de electione abſoluta ad gloriam.

Secundus locus Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Hîc apertè inſinuatur regnum cælorum ab æterno eſſe præparatum iuſtis ob præuiſa eorum bona opera. Quod patet tum ex particula cauſali, *enim*. *Poſſidete*, inquit, *paratum vobis regnum:* quare paratum? *Eſuriui enim*, &c. tum quia ſimiliter dicitur reprobis: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*. Atqui hic ignis non eſt paratus diabolo, niſi ob eius præuiſa demerita; ergo nec regnum iuſtis eſt paratum, niſi ob præuiſa merita. Eſt enim hîc antitheſis electorũ, & reproborum; bonorum operum, & malorum; regni, & ignis æterni. Idem confirmatur ex alio loco Matth. 20. vbi rurſus Scriptura meminit præparationis regni, dicente Domino: *Sedere ad dextram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Sancti Patres interpretantur hanc præparationem eſſe ex præuiſis meritis. Epiphanius hæreſi 69. *Hoc*, inquit, *vult oſtendere, quòd non iuxta perſonarum acceptionem res iſta fiat, ſed pro dignitate.* & infrà: *Si laboraueritis, erit vobis præparatum à Patre meo.* Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 6. *Non eſt meum dare ſupremum honorem vobis petentibus, qui reſeruatus eſt in præſcientia Patris illis, quos exceſſus certandi commendauerit.* Similiter explicat Ambroſius lib. 5. de fide cap. 3. cuius verba referemus infrà: Theophyl. in hunc locum; & Chryſoſtomus hom. 35. in Matth.

vbi

vbi dicit hanc dignitatem eſſe præparatam vt coronam certantibus, & pro ratione certaminis.

Tertius ſit ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Hic locus rectiſſimè ſic explicari poteſt. *Quos præſciuit*, id eſt, quorum præſciuit fidem & dilectionem, eos prædeſtinauit, vt eſſent ſimiles Filio. Itaq; ſicut Filio tribulationes cooperatæ ſunt in bonum, ita & illis cooperabuntur. ita Origenes lib. 7. in epiſt. ad Rom. Cyrillus apud Oecumenium in hunc locum; Ambroſius lib. 5. de fide cap. 3. Chryſoſt. hom. 15. in epiſt. ad Rom. Theodoretus, Theophylactus, Sedulius. Omnes hi intelligunt illam prædeſtinationem eſſe ex præſcientia operum. Sed de hoc loco plura infrà.

Quartus ſit ad Rom. 11. *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei. in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioqui & tu excidêris. Sed & illi ſi non manſerint in incredulitate, inſerentur.* Ex quibus verbis apertè colligitur de fine nihil eſſe abſolutè ſtatutum, ſed ſolùm ſub conditione, & totum ab illa pendere.

Quintus ſit Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. vbi Apoſtolus iubet orationem fieri pro omnibus: *Quia*, inquit, *hoc bonum & acceptum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Qui locus ita paſſim explicatur à ſanctis Patribus & Doctoribus, vt nemo intelligatur exceptus. At quomodo verè & ſincerè vult omnes ſaluari, ſi in primo illo decreto de ſaluandis hominibus, quod ex ſe concepit, tam paucos ad ſalutem elegit, & tam immenſum numerum excluſit? & in ſecundo inſtanti nullam illis niſi incongruam gratiam, ſaltem pro termino vitę, præparauit? Si agonotheta ex omnibus ſeligeret decem, & ſtatueret illis ſolis dare præmium, ideoque illos ſolos occultis modis (v. g. certis vnctionibus) ſine quibus certò ſciret neminem fore victorem, iuuaret; quomodo diceretur ille velle, vt omnes ſint victores, vt omnes capiant præmium? At Deus ſe habet vt agonotheta in cauſa ſalutis, inuitans omnes ad certamē, & ad pręmia capeſſenda; & omnes homines ſunt inſtar certantium; vt ex Apoſtolo 1. Corinth. 9. conſtat: *Neſcitis*, inquit, *quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium*, &c.

Sextus locus Matth. 20. in parabola operariorum. Vbi, vt intelligamus quomodo Deus nobiſcum in ſalutis cauſa agat, proponitur ipſe nobis tamquam paterfamilias conducens operarios ad vineæ ſuę culturam. At nullus paterfamilias decernit alicui operario abſolutè

mercedem, niſi antè viderit, an diurnum opus præſtiterit: ergo ſimiliter cogitandum de Deo.

Septimus ſit 2. Petri 1. *Satagite, fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* q. d. Eſtis vocati & electi ad æternam vitam. hæc veſtra electio & vocatio eſt adhuc incerta (id eſt incerti euentus) & pendens; quia poteſtis excidere. Itaque ſatagite vt per bona opera eam reddatis in dies certiorem, & firmiorem. Electio igitur diuina, quamdiu durat hæc vita, quatenus antecedit præuiſionem finis, non ita firmiter nos ordinat ad ſalutem, quin poſſit fruſtrari euentu.

Octauus ſit Apocalypſis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quis hinc non colligat coronam non ita certò & firmiter decretam ante finem vitæ præuiſum, quin reipſa poſſit amitti? Suppono enim non eſſe vanam & deceptoriam comminationem.

Nonus ſit Sapientiæ 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & diſsimulas peccata propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: parcis autem omnibus, quia tua ſunt Domine, qui amas animas.* At parua ſanè videtur miſericordia, & parua dilectio animarum, ſi eas ex ſe ante omnem operum præuiſionem ita excludit à decreto regni, & idcircò illis non niſi incongruam gratiam præparat. Nemo ſanè talem amorem & talem miſericordiam ſibi impendi vellet, & potiùs odium quàm amorem interpretaretur.

Alia loca adducemus cùm rationibus ex Scriptura petitis hanc ſententiam confirmabimus.

Probatio ſecunda ex Patribus.

SEcundò probari poteſt ex ſanctis Patribus, apud quos, paucis exceptis, nulla videtur vmbra talis electionis, & diſcretionis. D. Petrus apud Clementem lib. 3. recognitionum: *Præuidens,* inquit, *Deus quòd iſta poteſtas arbitrij alios quidem faceret bona eligere, alios mala, ac per hoc in duos ordines neceſſario propagandum eſſe hominum genus, vnicuique ordini conceſsit & locum & regem,* &c. Deus ergo non facit illam diſcretionem ante præuiſionem operum. 7

S. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ explicans illud, *Si volueritis, bona terra comedetis,* &c. *Liberum ſeruat arbitrium, vt in vtramque partem nõ ex praiudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel pœna vel præmium ſit.* At ſi ante omnem præuiſionem bonorum vel malorum facta eſt

diſcre-

diſcretio, qua his decreta gloria, illis non decreta, præmium certè videtur ſingulis conſtitutum ex præiudicio Dei. *Præiudicium* enim eſt ſententia Iudicis concepta ante cauſæ examen. Idem videtur de pœna. nam non ſic eligere, moraliter eſt velle damnare. quia reipſa nemo ſic non electus, damnationem euadit. Idem in cap. 1. Malachiæ: *Dilectio & odium Dei vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus. alioquin nouimus quòd omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit, quæ creauit: ſed propriè eos ſua vindicat charitati, qui vitiorum hoſtes ſunt & rebelles: & è contrario illos odit, qui à Deo deſtructa, cupiunt rurſus extruere.* Hîc apertè inſinuat, ſicut odium naſcitur ex operibus: ita dilectionem illam ſingularem, qua aliquos abſolutè diligit ad regnum, naſci ex operibus. Idem epiſt. ad Hedibiam qu. 10. *Vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam ſuam, non irrationabiliter ſaluat, & abſque veritate ſed cauſis præcedentibus: quia alij non ſuſceperunt Filium Dei, alij autem recipere ſua ſponte voluerũt. Ex quo oſtenditur non gentes eligi, ſed hominum voluntates.* At hoc verum non eſſet, ſi ante omnem voluntatum præuiſionem, ex mero ſuo beneplacito hos eligeret ad gloriam, non illos.

Ambroſius lib. 5. de fide, c. 3. explicans illud Matth. 20. *Non eſt meum dare vobis: Non eſt*, inquit, *meum, qui iuſtitiam ſeruo, non gratiam. Deniq; ad Patrem referens addidit, Quibus paratũ eſt, vt oſtenderet Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis: quia Deus perſonarum acceptor non eſt. Vnde & Apoſtolus ait, Quos præſciuit, & prædeſtinauit: non enim antè prædeſtinauit quàm præſciret; ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.* Quid clarius? Si non antè prædeſtinauit, quàm præſciret merita, verum ergo non eſt ante omnem præuiſionem meritorum illis prædeſtinaſſe gloriam. Commentarius in epiſt. Pauli Ambroſio attributus, in eumdem locum ad Rom. 8. *Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Idem in eumdem locum Apoſtoli docet Athananaſius. Rurſus commentarius Ambroſij in illud cap. 9. *Iacob dilexi*, &c. *Vnum elegit præſcientia, alterum ſpreuit: & in illo quem elegit, propoſitum Dei manet; quia nõ aliud poteſt euenire quàm ſciuit, & propoſuit in illo vt ſalute dignus ſit: & in illo quẽ ſpreuit ſimili modo manet propoſitum de illo; quia indignus erit: hoc quaſi præſcius, non perſonarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet, neminem coronat antequam vincat.* Videantur ſequentia. At quomodo hæc vera ſunt, ſi Deus nulla habita ratione operum futurorum, iam ſtatuit huic coronam; illi nihil niſi vnde exitium? Iam enim hunc in

ſuo

ſuo decreto coronaſſet ante præſcientiam victoriæ. Reſpondent quidam *præſcientiam* ibi accipi pro *prædeſtinatione*. Sed hoc dici non poteſt. Nam ex mente auctoris præſcientia futurorum eſt cauſa cur hunc elegerit, illum ſpreuerit: atqui certum eſt prædeſtinationem futurorum non eſſe cauſam cur Deus hominem ſpernat; alioqui prædeſtinatio eſſet cauſa peccatorum, ob quæ ſola ille ſpernitur à Deo.

Chryſoſtomus homilia 80. in Matth. explicans illud, *Venite benedicti: Nam antequam nati eſſetis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Vide eumdem homilia 51. in Geneſim initio: & homilia 16. in epiſt. ad Rom. Cyrillum & Epiphanium ſuprà.

Damaſcenus lib. contra Manichæos, pag. 562. *Præuidens Deus ea quæ nos ſponte facturi ſumus, ea ſcilicet quæ ſunt in noſtra poteſtate* (opera bona & mala) *etiam ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate* (præmia & ſupplicia) *prædefiniuit.*

Eamdem ſententiam expreſsè tradunt Origenes lib. 7. in epiſt. ad Rom. explicans illud, *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit:* Theodoretus in eumdem locum, & q. 12. in Exodum: Theophylactus ibidem, & in cap. 9. explicans illud, *Cùm nondum nati*: & illud, *Numquid dicit figmentum*: Oecumenius in cap. 8. citans Cyrillum & Photium: Euthymius in cap. 20. Matth. explicans illud, *Quibus paratum eſt*: Sedulius & Theodulus cap. 8. ad Rom. in illud, *Quos præſciuit*: Arnobius in Pſal. 90. 91. 108. 117. Hi omnes abſolutam electionem ad gloriam ſtatuunt ex præuiſione meritorum; ſicut reiectionem à gloria ex præuiſione demeritorum. neque vnquam ob hoc præcisè dogma reprehenſi leguntur. Si aliqui illorum videantur amplius velle, & id extendere ad prædeſtinationem gratiæ, & vocationis diuinæ, id minimè probamus, niſi commodam interpretationem admittere poſſet.

Probatio tertia ex Doctoribus Scholaſticis, & recentioribus, & D. Auguſtino.

TErtiò probari poteſt ex DD. Scholaſticis, & recentioribus. Inter Scholaſticos hanc ſententiam apertè docent, Alexander Halenſis 1. p. q. 28. num. 3. a. 3. Albertus in 1. d. 40. a. 12. & d. 41. a. 3. diuus Bonauentura in 1. d. 41. q. 2. num. 15. & 16. Henricus quodl. 4. q. 19. & quodl. 8. q. 5. Thomas Argentina d. 41. a. 2. Idem docent Guiliel- 8

mus

mus Occam, & Gabriel Biel eadem diſtinct. exceptis paucis quos putant electos abſolutè ante præuiſionem operum, ſicut Catherinus. Guilielmus à Rubeone eadem diſtinct. q.1. a.1. & 2. Ioannes Maior d.40.q.2.ad confirm.1.argumenti approbat generatim illam ſententiam vt probabilem. Inter recentiores Albertus Pighius lib.8. de libero arbitrio, cap.2. Hieronymus Oſorius lib.9.de iuſtitia. Ruardus ar.7.§.Nec reipſa: vbi etiã declarat D. Auguſtinum, à reliquis Patribus in hac quæſtione non diſſentire. Idem facit Driedo libro de concordia liberi arbitrij & prædeſt. p.2.c.3. in ſolutione tertij argumenti. Cardinalis Sadoletus in cap. 8.ad Rom. Cardinalis Contarenus Opuſculo de prędeſtinatione. Ioannes Eckius in ſuo Chryſo paſto cent. 3. Turrianus de electione diuina. Stapletonus in c. 9. ad Rom. & in oratione qua ex profeſſo hanc ſententiam defendit. Bartholomæus Camerarius, Ioannes à Bononia, & Franciſcus Cartagena in ſuis de prædeſt. opuſculis. Ludouicus Molina, Gregorius à Valencia, & Gabriel Vaſquez, 1.p.q.23.& alij recẽtiores. Eamdem tenent multi viri doctiſſimi qui nondum ſua ſcripta typis mandarũt, quibuſcum ego hanc rem contuli. Hos omnes eo conſilio adduxi, vt appareat quantus in hoc puncto ſit omniũ pænè Doctorum conſenſus; quamuis non omnes in modo explicandi conueniant, & quidam prædeſtinationis nomine electionem ad gloriam intelligant. Non tamen idcircò probamus, ſi quidam eorum libero arbitrio circa prædeſtinationem gratiæ plus æquo tribuant; ſed ſolùm eorum auctoritate vtimur, quatenus electionem abſolutam ad gloriam ex præuiſione bonorum operũ per gratiæ auxilium factorum ſtatuunt.

9 Addo S. Auguſtinum videri omnino eſſe huius ſententiæ, id quod fusè à doctiſſimis viris, Gregorio à Valencia, Gabriele Vaſqueſio 1.p. q.23. & Tho. Stapletono in quadã oratione hac de re habita, oſtenſum eſt. Nos breuiter aliqua loca adducemus, & nouis quibuſdam indicijs confirmabimus. Igitur D. Auguſtinus, vel Proſper ex ſententia Auguſtini ad obiectiones Vincentianas, art.12. *Illi de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt; & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate ac virtute manſuri, ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini labendi.* Hîc D. Auguſtinus clarè adfert cauſam, cur non ſint prædeſtinati (completè ſcilicet) quia præſciti ſunt caſuri. Item fuiſſe in eorum poteſtate, vt eſſent è prædeſtinatorum numero; quia poterant in iuſtitia permane-

re: quod ſi feciſſent, in eo numero fuiſſent. Loquitur enim de ijs qui fuerant iuſti, in quorum poteſtate eſt, cum auxilio ipſis diuinitus præparato, perſeuerare.

Idem lib. 1. ad Simplicianum q. 2. explicans illud, *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, ſic ait: *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet; ſed ex propoſito electio: id eſt, non quia Deus inuenit opera bona in hominibus quæ eligat, ideò manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed quia illud manet vt iuſtificet credentes, ideò inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cælorum. Nam niſi eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur, Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Hic apertè electionem illam vnde aliqui dicuntur electi, vult eſſe ex præuiſis meritis, quæ fiunt poſt iuſtificationem, vel ex ipſo iuſtificationis ſtatu. quod magis declarat, ſubdens: *Non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo qui reijcitur. Vnde quod dictum eſt, Quia elegit eos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quo modo dictum ſit, niſi præſcientia:* id eſt, ex præſcientia operum bonorum electi ſumus ad vitam æternam. Neque hoc vſquam legitur retractaſſe: imò commendat hanc diſput. l. 2. retract. cap. 1. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 4. & de bono perſeuerantiæ cap. 20. Nam hæc electio nullo modo repugnat electioni gratiæ, quam lib. de prædeſtinane Sanctorum cap. 3. dicit ſe non intellexiſſe ante Epiſcopatum, cùm putaret fidem eſſe ex nobis: optimè tamen eam intellexit cùm ſcriberet illa ad Simplicianum, vt ex verbis allatis, & ex tota illa diſputatione conſtat. Optimè hæc duo conſiſtunt: Deus ad gloriam eligit abſoluto decreto ex præuiſis meritis, &c. & Deus non eligit ad gratiam ex præuiſis meritis. Item Deus eligit ad gloriam ex præſcientia operum; & ipſa opera ſunt dona Dei: vt infrà oſtendetur.

Quòd autem D. Auguſtinus alijs locis huic ſententiæ non aduerſetur, confirmari poteſt aliquot rationibus. Primò, cùm numquam fuerit D. Auguſtino cum Pelagio, aut aliquo alio, quæſtio de electione ad gloriam ex operibus per gratiam factis; ſed de electione & præparatione gratiæ, quam vocamus prædeſtinationem; & de electione ad gloriam ex operibus naturæ (id eſt, vtrùm viribus naturæ poſſimus mereri gloriam cæleſtem, vel iuſtificationem, vel fidem, vel gratiæ adiutorium) nulla fuit cauſa cur illam electionem tantopere contra Pelagianos vrgeret, & à ceteris Patribus abſque vlla neceſſitate in ea diſſentiret. Sat erat illi ſi fateremur nihil horum nos viribus naturæ poſſe mereri; ſed hæc omnia eſſe dona Dei.

Secun-

Secundò, quia lib. de bono perſeuerantiæ cap. 19. vt probet ſe ab alijs Patribus in prędeſtinationis doctrinâ non diſſentire, adducit Cyprianum, Ambroſium, & Gregorium Nazianzenum; & nihil aliud oſtendit, quàm eos docere initium fidei, & ipſam fidem, & omnia bona opera eſſe dona Dei, & non ſolius liberi arbitrij; & in nullo gloriandum, cùm nihil ſit noſtrum. quæ nemo Catholicus negare poteſt: & ſolùm pertinent ad oſtendendum contra Semipelagianos nos non poſſe mereri prædeſtinationem donorum gratiæ.

Tertiò, quia D. Auguſtinus ſuam doctrinam de prædeſtinatione dicit eſſe certa fide tenendam. Sic enim ait cap. 18. eiuſdem lib. *Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe*. Ex quibus perſpicuum eſt, illum ſolùm loqui de prędeſtinatione gratiæ, eam nimirum non eſſe ex meritis. Nam gloriam non eſſe ex meritis prædeſtinatam, non eſt doctrina certa, ſed valdè incerta, &, vt putamus, non vera. Itaque multùm falluntur, qui putant illam eſſe ipſiſſimam Auguſtini ſententiam.

Quartò, cùm obijceretur Auguſtino, quòd ipſius doctrina de prędeſtinatione aduerſaretur vtilitati prædicationis, exhortationis, & præceptorum; reſpondet cap. 14. de bono perſeuer. & probat illud eſſe falſum hac ratione: Doctrina illa qua Scriptura docet fidem & omnia bona opera eſſe dona Dei, & Deum illa in nobis operari, non aduerſatur vtilitati prædicationis & præceptorum; atqui prædeſtinatio nihil eſt aliud quàm præſcientia, qua Deus præſcit quibus hęc dona ſit daturus, & voluntas ea conferendi: ergo non repugnat fructui prædicationis. Simili modo argumentatur cap. 20.

Quintò, apud D. Auguſtinum idem valet, mereri gratiæ collationem, & mereri gratiæ prædeſtinationem, ſeu electionem ad gratiam; & ex altero infertur alterum, vt ſuprà num. 4. oſtenſum eſt. Si ergo ſentiret hominem per opera gratiæ non poſſe mereri electionem ſui ad gloriam, ſeu abſolutam gloriæ præparationem, etiam ſentire conſequenter deberet non poſſe illum mereri gloriæ donationem; quod eſt cõtra fidei doctrinam. Quod autem quidam dicunt diuum Auguſtinum, dum ex profeſſo refutat errorem Pelagianorum & Semipelagianorum de prædeſtinatione, ſimul obiter refellere quorumdam Catholicorum ſentẽtias minùs probabiles, inter quas eſſe hanc de electione ad gloriam ex operibus gratiæ; parum ſanè eſt credibile, vt patet ex dictis. Deinde ſi id eſſet verum, diſtingueret alicubi has ſententias, eaſque diſtinctis & propriis rationibus oppugnaret, ne il-

las confundentes, eadem cenſura notandas, & eodem loco habendas putemus. Ea enim quæ valent contra errorem illorum, non valent vllo modo contra hanc Catholicorum ſententiam. At nuſquam diſtinguit hanc ſententiam, nuſquam propriis argumentis eam oppugnat; ſed generatim oppugnat prædeſtinationem ex meritis, quam interdum vocat electionem ad regnum, quia eſt mediata & conditionalis electio ad regnum: & ſolùm probat prædeſtinationem non eſſe ex meritis, quia fides eſt donum Dei, & nemo poteſt mereri primam gratiam. Huc enim ferè illius probationes reducuntur. Denique ſi Auguſtinus cum aliis Patribus conciliari poteſt, cur non potiùs conciliabimus quàm opponemus? Ex quibus patet D. Auguſtinum non loqui de electione immediata ad gloriam, neque præuiſionem meritorum in ea ſtatuenda oppugnare, ſed de præparatione gratiæ; & doctrinam quam Auguſtinus vrget eſſe fide tenendam, vel certè fidei proximam. Vide Ruardum art. 7. p. 340. vbi oſtendit D. Auguſtinum ab aliis Patribus in noſtra quæſtione non diſſentire, niſi ſubinde in modo loquendi. Nam Patres alij nomine *prædeſtinationis* ſæpè intelligunt electionem ad gloriam; & ſic dicunt eam eſſe ex præuiſis meritis: D. Auguſtinus verò ſemper intelligit præparationem gratiæ; & ita negat eam eſſe ex meritis. quæ duo optimè inter ſe conſtant.

Diuo Auguſtino addo B. Fulgentium qui lib. ad Moninum de duplici prædeſtinatione cap. 24. ſic ait: *Oſtenſurus itaque Deus quid reddendum præſciuerit, & quid donandum, prædeſtinauit illos ad ſupplicium, quos à ſe præſciuit voluntatis malæ vitio diſceſſuros: & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.* hîc præſcientia operum electioni & reprobationi apertè ſupponitur. & infrà: *Quia miſericors eſt Dominus & iuſtus, prædeſtinauit iuſtos ad gloriam, iniquos ad pœnam.* Idem probari poteſt ex D. Proſpero ad obiectiones Vincent. reſp. 12. *Quia præſciti ſunt caſuri, nō ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati ſi eſſent reuerſuri.* & ad cap. Gallorum reſp. 7. *Quia ipſe ruituros propria voluntate præſciuit, ob hoc à filiis perditionis nulla eos prædeſtinatione diſcreuit.* Vide eumdem lib. 2. de vocatione gentium cap. 23. 26. 29. 31. 35. Verba, ne longior ſim, omitto.

Pro-

Probatio quarta, ex variis rationibus.

QVartò probari noſtra ſententia, & aduerſa refutari poteſt variis rationibus ex Scriptura & fidei dogmatibus petitis. Prima ratio, quòd ex iſto modo electionis omnino ſequi videatur, reprobos non ſolùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè excluſos eſſe; quod tamen illi auctores non volunt admittere, nec ſanè admitti poteſt: niſi in ſententiam hæreticorum huius æui velimus incurrere. Illud ſequi, oſtendi & confirmari poteſt Primò, ex fine huius efficacis electionis, qui eſt, vt ipſi expreſsè docét, vt conſtituatur regnum Sanctorum ſecundùm eam menſuram, quam Deus mente concepit. Non enim ſalus ſingulorum ſecundùm ſe in illa electione eſt intenta, ſed vt complet menſuram à Deo principaliter tamquam bonum commune intentam. atqui Deus elegit eum numerum perſonarum, & eum gradum gloriæ in ſingulis, qui menſuræ ab ipſo conceptæ ſit proportionatus & commenſus, non plures, nec pauciores; vt ipſi fatentur. ergo hoc ipſo ceteri omnes vi huius electionis cenſentur efficaciter excluſi. Patet, quia per illum numerum proportio iam eſt impleta; vnde ſi vltra illum numerum aliquis ſaluaretur, ille eſſet extra illã proportionem, & euerteretur menſura primitus à Deo concepta. Confirmatur, & declaratur exemplis ipſorum. Electio enim ſaluandorum ſe habet ſicut electio lapidum ex quibus conſtruendum eſt palatium, vel ciuitas certæ mẽſuræ. Sunt enim electi veluti lapides viui, ex quibus ſummus architectus Deus ſtatuit fabricare cæleſtem Ieruſalem, ſuum palatium, & ſuum regnum. atqui architectus qui menſuram palatij exactè concepit, ſi ex infinita multitudine lapidum ſeligat, v. gr. vnum millionem, quem numerum videt proportionatum menſuræ à ſe conceptæ, & hos omnes lapides ſignet, præfiniatque ſingulis ſuam menſuram & formam; hoc ipſo cenſetur reliquos omnes reiicere, & nolle in ædificium admittere, præſertim ſi ſciat nullum ex iis, quos ſelegit, poſſe deficere. Deus autem ſimili modo ſe habet in electione ſaluandorum. Concepta enim menſura ſuæ domus, quam vult ædificare in cælis, & omnium partium eius, eligit certum numerum perſonarum tamquam lapidum (angelorum ſcilicet & hominum) menſuræ illi congruentem, & ſingulis prędefinit ſuum locum & gradum, quem in ædificio debent obtinere. Cùm ergo ædificium totum exactiſſimè ſecundùm menſuram intentam ex iſtis electis perficiatur; quis non videat ceteros omnes cenſeri poſitiuè excluſos? Idem decla-

1. Ratio, quòd excluduntur alij omnes nõ ſic electi.

ratur exemplo nuptiarum. Qui enim conſtituit facere conuiuium nuptiale certæ magnitudinis, v. gr. ſecundùm capacitatem domus ſuæ, & ſeligit certum numerum conuiuarum, qui hanc menſam exactè impleat, quos abſolutè vult intereſſe; hoc ipſo ceteros omnes apud ſe & in animo ſuo excludit: quantumuis exteriùs eos inuitet vt veniant.

Confirmatur Secundò, quia Deus ex vi huius electionis certus eſt neminem reliquorum ſaluandum: ergo ex vi huius decreti cenſentur excluſi. Conſeq. patet, quia ſi decretum iſtud non haberet vim excluſionis, non poſſet ex eo haberi certitudo illa. Antecedēs probatur: quia ex vi iſtius decreti Deus eſt certus de numero ſaluandorum, & de tota menſura & proportione ſui regni. hæc enim eſt, quæ primariò intenditur in iſta electione: vnde ordine intentionis præcedit electionem mediorum, & voluntatem ea exequendi; vt ipſi docent.

Confirmatur Tertiò, quia ex vi illius electionis prouenit, vt Deus circa omnes alios velit ſe habere negatiuè, & non dare illis gratiam congruam, nec præfinire illis perſeuerantiam. atqui ex iſto modo ſe habendi certiſſimus eſt eos non ſaluandos: ergo in iſta electione cenſentur excluſi. Ad hæc non video quid reſponderi poſſit, niſi dicatur Deum conſtituiſſe menſuram ſui regni non abſolutè, quaſi nollet eam excedi, ſed ſecundùm quid, vt ſaltem ad illam attingeretur. Sed hoc non eſt ad mentem eorum qui ſtatuunt huiuſmodi electionem: tum quia ſic numerus ſaluandorum non eſſet certus ex vi electionis, ſed ex præſcientia; tum quia Deus confuſo modo procederet in illa electione, idque circa primarium illius obiectum, quod eſt menſura regni cæleſtis; tum quia id eſſet tollere omnem certam & definitam menſuram ab illo obiecto intento. Quod enim poteſt eſſe maius & minus, non habet certam mēſuram. quæ omnia ipſi non admittunt.

Secunda Ratio.

II. Ratio, quòd non conſiſtat cum deſiderio ſalutis.

HIc modus electionis non videtur ſatis conſiſtere cum ſincera voluntate ſaluandi omnes homines, maximè fideles: neque cum illo amore, & illa cura qua omnes ad ſalutem excitat, quæ Scriptura tantopere commendat. Si enim ſincerè deſiderat omnium ſalutem, cur ante omnem præuiſionem futurorum tam paucos eligit, & ceteros omnes non ſic electos ita negligit, vt nemo ex illis ſaluetur? cur circa iſtos omnes, nulla eorum culpa exigente aut præuiſa, ita ſe gerit, vt ex eo modo gerendi, certò ſciat neminem ſaluandum? Cer-

tè

tè iſta non videntur ſigna vera deſiderij ſalutis eorum. Item ſi ſincero affectu cupit omnes ſaluos fieri, cur illis non præparauit niſi gratiam incongruam?

Dices, Non quærit vt ſit incongrua, ſed talem dat, qualem curſus rerum & opportunitas circumſtantiarum poſtulat, non curans ſitne congrua, an incongrua. Si ita eſt, quomodo non accidit aliquando dari congruam, & hominem ſaluari? Incredibile enim eſt, ſi abſque conſideratione congruitatis, vel incongruitatis, detur pro occaſione oblata, non aliquando accidat eſſe congruam. Sicut ſi quis haberet ſaccum pomorum partim bonorum, partim malorum, & diſtribueret ex illis magnæ hominum multitudini; fieri non poſſet, quin aliquibus obtingerent poma bona, niſi de induſtria omnia mala illis ſeligat. eodem modo ſi Deus ſincero animo diſtribuit illis ſuas gratias, & non ſeligit ſolas incongruas, fieri nequit quin alicui obtingat congrua, & ita ille ſaluetur. at nulli obtingit congrua: ergo vel non eſt verè ſufficiens, vel de induſtria quæſita eſt eius incongruitas.

Confirmatur Primò, quia ſi in Deo non eſſet præſcientia conditionata, qua ſciret quæ gratia ſit caritura effectu ſi detur, & ſic diſtribueret gratias verè ſufficientes cum deſiderio cooperationis humanæ, nemo dubitaret quin in plurimis eſſent habituræ effectum, & homines eſſent cooperaturi, & futuri ſalui. ergo quod nunc nemo eorum cooperetur, prouenit ex eo quòd Deus de induſtria gratias incongruas pro illis ſeligat.

Confirmatur Secundò, quia electis ſeligit gratias congruas, vt fiat opus ab ipſo prædefinitũ: ergo non electis debet ſeligere incongruas, ne fiat opus quod ipſe non prædefiniuit. Abſurdum enim eſſet ipſos facere aliqua opera bona, quæ à Deo non ſunt prædefinita. id enim eſſet contra perfectum modum prouidentiæ, qui poſtulat, vt omnia talia ante omnem præuiſionem ſint prædefinita, vt ipſi volunt. Vnde vlteriùs ſequi videtur, Deum quaſi inſidiari illorum ſaluti. Si enim, cùm ſalus periclitatur, quærit & ſeligit illis gratias incongruas (id eſt, quas ſcit fore irritas) videtur id facere ne ſaluētur, néve in numerum ſaluandorum irrepant non electi. Quam enim ob cauſam alioquin id faceret? Sicut enim ad prouidentiam eius pertinet vt ſaluetur numerus ſic electorum: ita ad eamdem pertinere videtur, vt alij qui ab illa electione ſunt excluſi, non fiant ſalui. quia alioquin poſſet fieri, vt aliquis ex iſtis in numerum illum intraret, quod eſt abſurdum. quare cùm ex tam immenſa multitudine nemo ſaluetur; ſignum eſt id aliqua peculiari prouidentia prouiſum: atqui hoc non conſiſtit cum

ſince-

ſincero deſiderio ſalutis; & nefas eſt ità de fonte illo bonitatis ſentire.

Confirmantur hæc omnia exemplis architecti & regis inſtituentis nuptias, quæ antè attulimus; & agonothetæ, qui apud ſe ſtatuit centum ſelectis à ſe iuuenibus præmia dare, & idcircò eos iuuare certis vnctionibus vt vincant: quas vnctiones non vult dare ceteris, certiſſimus tamen ſine his illos nihil obtenturos. Quis enim dixerit hunc habere ſincerum deſiderium, vt alij etiam aliquid præmij referant, etiamſi exteriùs valdè hortetur ad curſum, & alia vnguenta offerat? Ibi enim non videtur eſſe verum deſiderium effectus, vbi ſi effectus fieret, euerteretur prior deſignatio & intentio. atqui ſi aliquis non ſic electus fieret ſaluus, euerteretur numerus anteà præfinitus; & ſalus obtingeret abſque electione: quorum neutrum Deus ſeriò deſiderare poteſt.

Dices, Seriò deſiderat ſalutem eius, quem tamen ſcit non ſaluandum; & ſeriò vocat quem ſcit non ſecuturum. & tamen non idcircò vult aliquid fieri contra ſuam præſcientiam: ergo ſimiliter poteſt ſeriò vocare, & velle ſaluare illum non electum; nec idcircò volet aliquid fieri contra illam electionem, aut numerum electum, aut prædeſtinationem. Reſpondeo, negando conſeq. Eſt enim diſpar ratio præſcientiæ, & electionis illius abſolutæ. Illa enim pendet quodammodò ex rerum euentu: electio autem nullo modo, quia præuenit omnes euentus præuiſos. Itaque ſicut homo poteſt ſeriò deſiderare, & cum vero deſiderio ſuadere id quod ſcit non euenturum, & dolere quòd non fiat: ita etiam Deus. Neque ideò cupit aliquid fieri contra ſuam præſcientiam, ſed cupit aliquid fieri, quod ſi fiat, ſequetur in ipſo non fuiſſe illam præſcientiam. Vellet enim (vt ſic dixerim) ſe non habere illam præſcientiam, quatenus vellet non eſſe eius obiectum, à quo illa præſcientia ſuo modo pendet. Quòd ſi illa præſcientia non penderet à rerum euentu, ſed ex decreto abſoluto liberæ voluntatis, certè non videretur Deus hominem, quem ſic præſcit non ſecuturum, ſeriò poſſe vocare, aut verè eius ſalutem deſiderare: quia euentus repugnaret illi decreto, quod Deus ex ſe concepit. Simile prorſus videtur in electione, de qua diſputamus. euentus enim ſalutis repugnaret iſti electioni: vnde non videtur ſeriò poſſe à Deo deſiderari. Itaque omnes adhortationes & vocationes, quibus Deus & per Scripturas & per inſpirationes incitat ad ſalutem, potiùs videbuntur in ſpeciem & ſimulatoriæ, quàm veræ & ſeriæ. Sed hoc ampliùs in Tertia ratione oſtendetur.

Tertia

Tertia Ratio.

12 ISte modus electionis non videtur conſentaneus promiſſionibus & comminationibus diuinis, quæ generales cùm ſint, ad omnes pertinent. Vt enim Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 20. ait, Promiſſiones vitæ æternæ ſunt conditionatæ, & ſemper tacitam vel expreſſam continent hypotheſim; nimirum, ſi omnia mandata ſeruaueris; ſi perſeueraueris: ergo etiam voluntas, qua nobis vult vitam æternam ante præuiſionem perſeuerantiæ, eſt conditionata. Sicut enim promiſſio eſt ſignum voluntatis; ita promiſſio conditionata eſt ſignum voluntatis conditionatæ: & promiſſio abſoluta ſignum voluntatis abſolutæ: maximè quando conditio eſt poteſtatiua, ſeu pendens ex arbitrio promiſſarij. Sanè inſolẽs planè eſt inter homines id ſub conditione promittere, quod iam voluntate abſoluta decreuerunt. Vnde cùm de diuinis rebus non poſſimus iudicare niſi ex analogia rerum humanarum, rectè ex modo promittendi colligimus in Deo non eſſe talem electionem. Confirm. quia non ſolùm promiſſiones omnes ſunt conditionatæ, ſed adduntur minæ, niſi conditio illa præſtetur, amiſſionis regni, & æternæ damnationis incurrendæ; quæ etiam ad omnes pertinent: ergo regnum non eſt ita decretum alicui, quin reipſa poſſit amitti. Si enim non poſſet ſequi realis amiſſio, vana eſſent iſta terriculamenta. Vnde non ſatis eſt ſi dicas poſſe amitti, ſi ſpectetur intrinſeca diſpoſitio hominis, non autem vt ſubeſt efficaci electioni & decreto: quia re vera hoc non eſt abſolutè poſſe amitti, ſed potiùs abſolutè non poſſe, & ſolùm poſſe ſecundùm quid, quod non ſufficit, vt iſtæ minæ ſint ſeriæ, aut valeant ad terrendum electum. *III. Ratio, quòd repugnet promiſſionibus, &c.*

Si dicas ipſum meritò timere, quia cùm ignoret ſe electum, putat fieri poſſe vt reipſa amittat. Sed ſi hoc eſt verum, ergo totus ille timor naſcitur ex falſa opinione & errore intellectus, quod eſt abſurdum: nam re vera vanus eſſet ille timor. Sicut ſi quis in lubrico conſiſtens, timeret cadere, qui neſciret ſe à fortiſſimo viro duci, vano timore diceretur percelli. Vanus enim timor eſt, cùm malum euenire abſolutè non poteſt. Simili modo vanæ videbuntur promiſſiones reſpectu aliorum non electorum: quia omnia antecedentia ſic ſunt diſpoſita per diuinam prouidentiam, vt fieri nequeat, vt aliquis illorum ſalutem conſequatur; vt ex ſupradictis colligitur. Etſi enim gratia quam accipiunt, dicatur aliquo modo ſufficiens in actu primo, & dicantur per eam poſſe ſaluari; tamen quia datur vt ſeparata ab actu,

ſeu vt incongrua, fieri nequit, vt in re habeat effectum.

Poſtremò confirmatur: quia facta tali electione & reprobatione, conditio, ſi perſeueraueris, idem valet ex parte rei, ac ſi dicas, Si Deus ex ſe prædefiniuit vt perſeueres; & conditio, ſi non perſeueraueris, Si Deus non prædefiniuit tuam perſeuerãtiam. Hæc enim inter ſe conuertuntur, perſeuerare reipſa, & Deum prædefiniuiſſe vt perſeueres; & hæc prædefinitio eſt cauſa perſeuerantiæ. Item non perſeuerare reipſa, & Deum noluiſſe tibi decernere perſeuerantiam; vbi etiam illa nolitio eſt cauſa ſine qua non illius defectus in perſeuerando. Itaque cùm Deus ſaluandis promittit vitam æternam ſub conditione, ſi perſeuerent, perinde facit ac ſi dicat; Promitto vobis vitam æternam, ſi ego ex meo beneplacito vobis perſeuerantiam decreui: & cùm minatur gehennam non perſeuerantibus; perinde agit ac ſi dicat; Si ego vobis nolui decernere perſeuerantiam, deturbabo in gehennam. Cùm enim conditio pendet à promittente, vel vt cauſa principali, vel ſaltem vt cauſa ſine qua non, rectiſſimè in illius arbitrium totum negotium reſoluitur, & conditio in re idem valet ac ipſius beneplacitum. At nemo hoc modo intelligit illas conditiones: & abſurdè omnino ſic acciperentur. Omne enim ſtudium bonorum operum eluderetur, & deſperatio hominum mentibus iniiceretur. Denique eſſent illuſoriæ potiùs quàm ſeriæ, & diuinæ bonitati indecoræ.

Quarta Ratio.

IV. Ratio, quòd nõ congruat bonitati & iuſtitiæ.

NOn videtur ſatis congruum bonitati & iuſtitię diuinę. Non bonitati; quia non videtur huic conſentaneum, vt in bonis quæ ex ſe ante omnem præuiſionem futurorum creaturæ rationali præparat, aliquos excipiat. Vnde omnes angelos, nemine excepto ſanctificauit, & ad gloriam ordinauit. ſimiliter omnes homines in Adamo. Cupit enim ipſe ſe omnibus communicare, nemine excepto. Itaque ſi ex ſe, & ante omnem præuiſionem futurorum, ſtatuere voluiſſet de ſaluandis, non elegiſſet tam paucos; nec præparaſſet tam exiguos gloriæ gradus, nec imperfecta opera: ſed vel omnes, vel certè quàm plurimos, & perfectiora opera, maioreſque gradus gloriæ prædeſtinaſſet. Videmus enim cetera omnia ſupernaturalia, quæ Deus ex mera bonitate ſua ſtatuit circa angelos, vel homines, eſſe omnibus communia, & neminem in illis excipi. Sicut ergo in ceteris, quæ ex mera bonitate prædefiniuit, beneficiis, neminem excepit; ſed 13

ea

ea omnibus efficaciter, etſi ſecundùm varios gradus, voluit; vt patet in euectione naturæ rationalis ad ſtatum ſupernaturalem, in ſanctificatione ante peccatum, in vocatione poſt peccatum, in donatione Redemptoris, in oblatione Sacrificij ipſius, in Sacramentis, &c. ita putandum eſt, in electione ad gloriam, neminem excepiſſe ante præuiſum peccatum. Rurſus, Deus ex ſe ſeu ſola bonitate numquam ſtatuit aliquid, quod per ſe ſit inutile, imò pernicioſum creaturæ, & non tendat niſi ad eius perditionem. *Deus enim* (vt Sapientiæ primo dicitur) *mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum.* & Oſeæ 13. *Perditio tua* (id eſt, tibi imputanda) *Iſraël, ex me tantummodo auxilium tuum.* Atqui illa negatiua reprobatio qua excluduntur ab electione & præparatione auxilij congrui, eſt inutilis & pernicioſa creaturæ, & non tendit per ſe niſi ad eius exitium. vnde fatétur eam non cadere ſub meritum Chriſti: quia, inquiunt, Chriſtus non venit animas perdere, ſed ſaluare. quod etiam confirmat euentus; quia nemo cum illa ſaluatur: imò infallibiliter ex ea ſequitur damnatio. ergo Deus eam ex ſe non ſtatuit.

Dices, Deus ex ſe ſtatuit permiſſionem peccati angelorum & hominum, quæ tamen ipſis eſt pernicioſa. Reſpondeo: Non ſtatuit eam propriè ex ſe; ſed quia ratio rerum & vniuerſalis adminiſtrationis eam poſtulabat: nimirum vt conſtaret perfecta libertas arbitrij, & creatura rationalis ſufficienter inſtructa ſineretur agi ſuis motibus, néve virtus coacta videretur; vt Patres docent. Vnde volitio permiſſionis non videtur dura, nec proficiſci ex animo damnandi. Vt autem fieret illa negatiua reprobatio, nulla ratio poſtulabat. Sat enim multi ſine illa ruiſſent in exitium, in quibus reſplẽderet diuina iuſtitia: ſicut & ſine illa electione ſat multi potuiſſent ſaluari, in quibus reluceret miſericordia. Rurſus, non eſt credibile illam bonitatem ita ſtatuiſſe ex ſe de ſuis creaturis, ſicut nemo bonus & ſapiens cenſeret de illis ſtatuendum, ſi res eius arbitrio committeretur; & ſicut animus naturaliter refugit credere de infinita illa dulcedine. atqui nemo bonus & ſapiens (vt videtur) inter homines cenſeret ita ſtatuendum, & animus horret quodammodò credere ita factum. Quiſque enim ita cenſebit: Eſto, ſint aliqui ita efficaciter eligendi ante omnem præuiſionem, ſi ita vultis; at ceteri non ſic electi, non ita deſerantur, vt omnes pereant: habeant auxilium verè ſufficiens iuxta communem rerum curſum & opportunitatem, nec ſolùm incongruum pro illis ſeligatur, ſed conferatur cum vero deſiderio ſalutis, perinde ac ſi euentus adhuc ignoraretur, & nulla præſcientia conditionata adeſſet. Sanò

Permiſſio peccati.

nè iſte modus humano iudicio bonitati & æquitati videtur conformior, minuſque calumniæ obnoxius.

At inquies, *Iudicia Dei abyſſus multa.* Ita eſt, ſed ſuppoſito peccato. Illud enim longè aliter ponderat Deus, aliter homines. Sed nos agimus de decretis bonitatis ante omne peccatum, quę non videntur tendere, niſi in id quod optimum & ſaluberrimum.

Non cōgruere Iuſtitia. Iuſtitiæ etiam non videtur hic modus ſatis congruere. In damnatione enim impiorum, & remuneratione iuſtorum, non relucebat tanta æquitas, quanta iuxta alterum modum. Nam de iuſtis dicent; Quid mirum ſi iſti bona opera fecerunt, ſi perſeuerauerunt, ſi ſaluati ſunt? Deus enim illos præ ceteris abſoluta voluntate ad gloriam ſelegit: Deus omnia & ſingula eorum bona opera cum omnibus ſuis circumſtantijs, & perſeuerantiam in gratia ante omnem præuiſionem futurorum prædefiniuit. Quid laudis habet talia bona facere, quæ ſpectato Dei decreto impoſſibile erat omittere? Nos ab illo decreto excluſi fuimus; nobis gratia congrua nullo noſtro merito denegata, & ſolùm incongrua præparata; nobis bona opera decreta non fuere; ipſe nos implanauit; ipſe noſtræ ſaluti eſt inſidiatus; ipſe eam nobis impoſſibilem reddidit: alioquin quî fieret vt ex tam immenſa multitudine nemo ſaluus fieret? Si dicatur eis, Deus etiam vos ad vitam æternam deſtinauit; ſed ſub conditione, ſi in bonis operibus perſeueraueritis. Reſpondebunt; Quid potuit nobis prodeſſe talis ordinatio facta ſub cōditione, quam ipſe ſciebat numquam implendam, & cuius non impletionem ipſe elegit, & poſteà ſua prouidentia procurauit? quis non malit non eſſe, quàm eo modo ad vitam æternam deſtinari, qui nulli vmquam fructuoſus erit?

Addo in hac ſententia difficile eſſe explicare, quomodo maxima hominum pars nō ſit *diuina poteſtate prædeſtinata ad malum, & creata vt pereat.* Nam ante omne eorum meritum vel demeritum præuiſum, Deus ſtatuit illos è numero ſuorum electorum excludere. Hoc autem eſt ingens malum, etſi negatiuum: nam ex eo infallibiliter ſequitur æterna damnatio. Ex vi enim huius decreti res omnes ita debent diſponi & gubernari à Deo, vt numquam in illum numerum ſubintrent: quia alioquin ſalui fierent aliqui non electi, &c. Similiter denegata eſt illis perſeuerantia & gratia congrua, & ſelecta ſola incongrua, quæ ſciebatur fore irrita & inutilis. Nec refert ſi dicatur Deum non ſtatuiſſe directè & poſitiuè vt perirent: quia id implicitè & ſecundùm æſtimationem moralem videtur feciſſe eo ipſo quo illos ex illo numero excluſit, & gratiam congruam ac perſeuerantiam

tiam denegauit. Nam ſecundùm communem æſtimationem hominum paria videntur, Deum velle vt pereas, & nolle te ponere in ſuorum electorum numero, neque gratiam congruam & perſeuerantiam dare: æquè enim infallibiliter ſequetur damnatio. & ſi alterum horum decretorum eſſet ſubeundum, quiuis cenſeret ſibi eſſe indifferens vtrum eligatur. Quid ergo ſolatij adferunt homini illæ ſententiæ: *Deus neminem creauit ad interitum; neminem prædeſtinauit ad malum; omnes vult ſaluos fieri*; & ſimiles, quæ in Scripturis & Patribus leguntur?

Ratio Quinta.

14 Videtur planè hic modus electionis tollere omnem ſollicitudinem bonorum operum & ſalutis. Quiſque enim apud ſe ita ratiocinari poteſt: Vel ſum de numero electorum, vel non ſum. Si ſum de illo numero; impoſſibile eſt vt damner: nam diuinum decretum eſt abſolutum & efficax, cuius effectum nemo impedire poteſt. Etſi enim poſſim damnari ſpectata liberi arbitrij intrinſeca diſpoſitione & mutabilitate; tamen vt ſubſto & regor vi illius efficacis & abſoluti decreti, abſolutè non poſſum. Non eſt ergo quòd metuam damnationem ſuppoſita illa electione. vt autem illa electio ponatur, aut non ponatur, non pendet vllo modo ex meis operibus aut mea ſollicitudine: quia ante omnem præuiſionem futurorum ex ſola Dei voluntate poſita eſt, vel non poſita. Rurſus, non eſt quòd ſim ſollicitus de bonis operibus aut perſeuerantia, quia hæc omnia mihi cum omnibus ſuis circumſtantijs ſunt decreta abſoluto & efficaci decreto: v. g. vt tali momento habeam tale opus, & illo tale, & ſic de ceteris; & vt ſingula ſic fiant, decreta eſt pro illis momentis gratia congrua, quę infallibiliter me faciet ſingula operari, ſicut ſunt decreta. Euidens enim eſt eſſe impoſſibile vt Deus non impleat decreta ſua abſoluta & efficacia, aut vt illa non habeant ſuum effectum. Cur ergo ſim ſollicitus? ſit potiùs (vt humano more loquar) ſollicitus ille vt decreta ipſius impleantur. Pari modo, non eſt cur ſim ſollicitus de profectu; quia certa menſura gloriæ & meritorum eſt iam præfinita, quam numquam per meam ſollicitudinem excedam. Sanè non video qua ratione efficaciùs omnis ſollicitudo ab animis hominum abſtergi poſſit.

V. Ratio, quòd ſollicitudinem tollat.

Si dicas, Deus decreuit vt ſis ſollicitus. reſpondebit ille, Si hoc decreuit, excitabit me ad illam, & faciet vt ſim ſollicitus, & fiat id quod

quod decreuit; nihil ergo opus eſt vt ego me ad ſollicitudinem prouocem. Idem dicetur de impletione mandatorum, & ceteris omnibus ad ſalutem neceſſariis. Si verò non ſum de numero ſic electorum, fruſtrà etiam ſum ſollicitus, fruſtrà præcepta ſeruo, fruſtrà conſilia Chriſti, & ſtatum perfectionis ſector; quia certiſſimus ſum hæc omnia nihil mihi in re profutura ad ſalutem. omnibus enim iſtis non poſſum intrare in iſtum numerum; extra quem nemo ſaluatur. Deinde quia etiamſi diu benè vixero, tandem occurret tentatio in qua denegabitur mihi gratia congrua, & ſic cadam in peccatum, & damnabor. Quòd ſi ex illis negatiuè reprobatis reipſa mille vel duo millia eſſent ſaluandi extraordinaria quadam diligentia, quiſque poſſet adhuc aliquam ſpem concipere, & conari. Sed cùm certiſſimum ſit neminem ex illis ſaluandum, non video, quid talem ad ſollicitudinem excitare queat.

Nec refert quòd dicantur poſſe ſaluari. Quid enim prodeſt potentia ab actu ſeparata? longè ſatius eſſet huiuſmodi potentia carere, quia cedit in maiorem damnationem. Deinde non ſola impotentia tollit conatum, ſed etiam certitudo fruſtrationis effectus. Cur enim conetur, & ſit ſollicitus, ſi certus eſt tandem aliquo caſu ſe fruſtrandum fine intento? Vnde non ſemel audiui viros quoſdam doctiſſimos iſta accuratiùs perpendentes dicere, neſcire ſe quo futuri ſint animo in ſtatu religionis, & dura regularis vitæ diſciplina; ſi illam ſententiam ſibi perſuaſam haberēt. Neque ſanè video, quid ad iſta probabiliter, quod animum tranquillet, reſponderi poſſit. Vnde, vel ob hanc vnicam cauſam, puto ſententiam illam ad animum non admittendam. Quod etiam inde confirmo. quia etiamſi recedat à ſententia hæreticorum huius temporis, quatenus ſaluat vtcumque libertatem intrinſecam; tamen in ordine ad praxim & affectum humanum, non videtur multùm diſcrepare. Non enim minùs videtur tollere ſollicitudinem bonorum operum, & inducere licentiam vitæ, quàm illa; vt ex ſupradicta ratiocinatione colligi poteſt. Parum enim intereſt ad ſollicitudinem tollendam, ſiue dicamur poſitiuè reprobati, ſiue negatiuè, ſi æquè infallibiliter ſequitur damnatio. Similiter parum intereſt ad eumdem effectum, ſiue dicatur electio adferre neceſſitatem bonorum operum intrinſecam ſiue extrinſecam, cùm omnia æquè certò ſint futura.

Denique, quod valdè conſiderandum eſt, ſi Deus omnes non ſic electos poſitiuo decreto reprobaſſet, & à regno excludere ſtatuiſſet, & vellet hoc decretum occultis modis exequi ſub ſpecie quadam benigni-

nignitatis & miſericordiæ, qua ratione id commodiùs & certiùs præſtaret, quàm illa quam ipſi ſtatuunt, nimirum res humanas ſic dirigendo, & tales gratias illis præparando, cum quibus ſciebat certiſſimè fruſtrandos effectu? Itaque parum videtur intereſſe, ſiue poſitiuè ſiue negatiuè dicantur reprobati, quando eadem media adhibentur, ex quibus æquè infallibiliter ſequitur damnatio.

Sexta Ratio.

15 VIdetur tollere zelum animarum. Si enim omnes ſaluandi ante omnem præuiſionem ſunt iam abſolutè electi & præfiniti, cur de illorum ſalute ſim ſollicitus? Nam etiamſi ego quieſcam, æquè benè omnes illi & ſoli ſaluabuntur, & ad eoſdem gloriæ gradus peruenient: imò eadem opera bona facturi ſunt. Cur ſim anxius de eo quod ex vi decreti diuini certiſſimè eſt euenturum, quod nulla diaboli machinatio aut mundi carníſve illecebra impediet? Numquam aliquis in illum numerum intrabit; numquam inde aliquis excidet. nulla ei fiet acceſſio, aut detractio: nemo etiam gradum ſibi præfinitum excedet, aut infra illum conſiſtet. Certè nihil hîc video, quod ad zelum animarum, & ad laborandum pro Chriſto magnopere excitare poſſit: quin potiùs videtur tolli penitus, aut ſaltem valdè reſtingui.

VI. Ratio, quòd zelo animarum officiat.

Dices, Magnum bonum eſt & Deo gratiſſimum, vt illi qui ſaluandi abſolutè ſunt, per nos ſaluentur; & hoc ſufficit, vt in nobis zelum hunc excitemus. Sed re vera hoc non eſt quod zelum hunc in ſanctis viris excitat; ſed potiùs perſuaſio illa & ſpes, ſua opera aliquos ſaluandos, qui alioquin damnarentur. quę perſuaſio excludit illam electionem abſolutam, & reprobationem negatiuam. Si contrarium perſuaſum haberent, parum mouerentur, & mallent in ſuis cubiculis vacare rebus diuinis, quàm per exteras regiones & populos cum ſumma diſtractione mentis, & iactura diuinæ contemplationis, procurare id quod æquè benè futurum erat. Sed charitas Dei vrget illos, vt oues aliquas errantes, alioquin perituras, ipſi lucrentur, & vt plurimos ad maiorem perfectionem & gloriam promoueant, quàm ſine illorum labore fuiſſent habituri.

Dices, Deus etiam hunc zelum abſolutè prædefiniuit, & vt iſti per te ſaluentur. Si ita eſt, nihil eſt quod ego ad illum me excitem; ipſe me excitabit temporibus à ſe præfinitis. Impoſſibile enim eſt, vt non fiat id quod abſolutè & efficaciter ex ſe decreuit.

Septi-

Septima Ratio.

VII. Ratio, quòd nõ conſentiat ordini naturali rerum.

NOn videtur illa ſententia conſentanea naturali rerum ordini, 16
& curſui, ac gubernationi vniuerſi. Si enim ita facta eſt omnium ſaluandorum electio; ergo etiamſi Adam non peccaſſet, & permanſiſſet ſtatus innocentiæ, nihilominùs iidem homines, & non alij ſaluandi fuiſſent; & ad eoſdem gradus gloriæ, quos modò obtinebunt, perueniſſent. Sequela patet: quia electio quoad numerum & perſonas, & opera, & gradus gloriæ, facta eſt ante præuiſum peccatum originale: cumque fuerit abſoluta, non pendens vllo modo à conditione futuri, non potuit euerti per peccatum ſuperueniens. Concedunt illi totum. ſed re vera difficile eſt creditu. Nam Primò, quomodo omnes ſaluandi, qui nunc naſcuntur, etiam tunc naſcituri erant, cùm tam multi naſcantur modò occaſione peccatorum, & per actus peccaminoſos, per ſacrilegos, inceſtos, adulteros, & fornicariôs concubitus, & ab hominibus reprobis; quæ omnia tunc non fuiſſent? Dices diuinæ prouidentiæ non deeſſe modos, quibus res humanas ita dirigat, vt hi omnes naſcerentur ab electis. Fateor non deeſſe; ſed quæritur an ita ſtatuerit, cùm non videatur id naturali rerum ordini conſentaneum; & communis hominum perſuaſio ſit in contrarium. Et confirmatur; quia non ſolùm animæ, ſed etiam corpora ſaluandorum ſunt electa ante omnem præuiſionem futurorum, vt ipſi volunt. ſi ergo Adam non peccaſſet, debuiſſet diuina prouidentia ad exequendum iſtud decretum procurare vt omnes ſaluandi vterentur eodem pane, eodem lacte, iiſdem carnibus & piſcibus, iiſdem fructibus, denique eodem cibo & potu, quibus modò vtuntur. alioquin non fuiſſent eadem corpora. Item debuiſſent corpora eorum naſcitura conflari in vtero ex eodem numero, ſemine, & ſanguine, quibus modò coaleſcunt. quæ omnia ſatis ſunt incredibilia, & non niſi ſpecialiſſima prouidentiæ cura, & quaſi miraculosè fieri potuiſſent, in cuius neceſſitatem non ſolet Deus ſe coniicere, niſi momentum rei poſtulet. Credibile ergo eſt, longè aliam rationem, magiſque congruam rerum curſui, quæ talem curam non exigat, iniiſſe.

Secundò, parum credibile eſt, omnes peruenturos ad eoſdem gradus gloriæ, ad quos modò pertingunt. Quis enim credat infantes qui moriuntur poſt baptiſmum, non fuiſſe merituros in ſtatu innocentiæ perfectiorem gradum, quàm ſit is quem modò obtinent: aut Apoſtolos, S. Ioannem Baptiſtam, B. Virginem, & multos Martyres non habere

bere modò maiorem gradum, quàm ſit ille, quem in illo ſtatu obtenturi fuiſſent? Quis dubitet profuiſſe illis ad hoc plurimùm Saluatoris noſtri præſentiam, conuerſationem, ſanguinem eius recèns effuſum, & adhuc calentem, immenſæ illius charitatis exemplum, & alia miranda & extraordinaria ſalutis adminicula, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſent?

Tertiò, non magis videtur veriſimile ſaluandos in illo ſtatu, eoſdem actus bonos, eamdem fidem, ſpem, charitatem, & ſimilia meritoria opera cum omnibus ſuis circumſtantijs habituros fuiſſe: præſertim cùm ferè omnia ſupponant Chriſtum, & religionem ab ipſo inſtitutam (ſi loquamur de hominibus noui Teſtamenti) vel peccatum. Confirmantur hæc omnia; quia ſecundùm veriorem ſententiam, quam modò ſuppono, Chriſtus non erat venturus in carne, niſi Adam peccaſſet: vnde neque incarnatio Chriſti neque eius paſſio fuerunt præordinata ante præuiſionem peccati; ergo neque opera bona iuſtorum, quæ Chriſtum ſupponunt, v.g. fides in Chriſtum, & ſimilia quę fidem ſequuntur: ergo verum non eſt omnia illa fuiſſe prędefinita abſoluta voluntate cum omnibus ſuis circumſtantijs, ante præuiſum peccatum Adami; aut illa fuiſſe futura, etiam ſi Adam non peccaſſet.

Dices, Deus permiſit peccatũ Adæ vt ſic ſapientiſſimo modo decretum ſuum exequeretur; & ita non eſt quærendũ, vtrùm ſi Adam non peccaſſet, futuri fuiſſent iidem ſaluandi, eadem opera, & eadem gloriæ menſura. Sed parum videtur referre Deum in hunc finem id permiſiſſe. Hæc enim permiſſio ſecundùm ipſos pertinet ad voluntatem executionis: at hac voluntate prior eſt voluntas intentionis, qua omnia illa ſuprà dicta ſunt efficaci & abſoluto decreto intenta & volita. Vnde hæc nullo modo pendet à voluntate ſic vel ſic exequendi; plures enim modi Deo ſuppetebant: ergo ſi Adam non peccaſſet, ſicuti poterat non peccare, debuiſſet illam intentionem exequi in ſtatu innocentiæ: & ſic omnia quæ diximus locùm habent. *Permiſſio peccati Adami.*

Simile argumentum fieri poteſt de reprobis. Nam illa reprobatio negatiuą omnium non ſaluandorum facta eſt ante præuiſum peccatum originale, nempe in eodem ſigno rationis, in quo facta eſt electio ſaluandorum. Tunc enim habuit ſe Deus circa ceteros negatiuè. ergo etiamſi Adam non peccaſſet, omnes iſti fuiſſent perituri. quod qua ratione dici poſſit non video.

Si dicas eorum exiſtentiam non fuiſſe præfinitam ante præuiſum peccatum; hoc repugnat ſententiæ eorum, quibuſcum diſputamus:

qui docent in 1. & in 2. ſigno rationis ante præuiſum peccatũ, Deum erga illos habuiſſe poſitiuum & abſolutum decretum, quo denegauit illis electionem illam abſolutam & præparationem gratiæ congruæ. ergo in illo ſigno iam erant prædefiniti ad eſſe naturæ. Quomodo enim poſſet haberi tale decretum circa eos qui nondum habent rationem futuri? Confirmatur; quia decreuit eiſdem gloriam ſub conditione operum futurorum, ſcilicet, ſi benè vſque ad finem operarentur: ergo iam habebant rationem futuri; ac proinde eorum eſſe naturale iam erat decretum.

Ratio Octaua.

VIII. Ratio, ex præfinitione operum.

IN illo modo electionis, non ſolùm perſonæ, & gradus gloriæ ſta- 17
tuuntur ante omnem præuiſionem futurorum prædefinitæ, ſed etiam omnia opera bona cum omnibus ſuis circumſtantijs in particulari (exceptis ijs quæ intrinſecè ſupponunt peccatum) idque abſque mutua inter ſe dependẽtia in ratione meriti, aut finis: quia, inquiunt, hæc dependentia pertinet ad ordinem executionis, qui eſt poſteriùs ratione volitus à Deo. At multa ſunt, ob quæ non videtur talis præfinitio efficax operum probanda.

Contra prædefinitionem abſolutam operum.

Videtur derogare libertati.

Primò, quia non videtur ſatis conſiſtere cum perfecta & pleniſſima libertate. Etſi enim non tollat indifferentiam intrinſecam voluntatis, eam intrinſecùs ad omnia illa opera prædeterminando; tamen tollit indifferentiam extrinſecam. Nam quatenus voluntas ſubeſt efficaci decreto, concipitur vt determinata ad opus; nec poteſt impedire abſolutè quin ponatur in re. ſicut Doctores tradũt de voluntate Chriſti in acceptanda morte. Etſi enim ſpectata intrinſeca diſpoſitione illius voluntatis (ſepoſita interim viſione beata) ipſa non erat determinata ad acceptationem mortis à Patre imperatam, & poterat non acceptare, & conſequenter peccare: tamen quatenus ſuberat cuſtodiæ & decreto diuinæ prouidentiæ, non poterat non acceptare; & ſic abſolutè loquendo, non poterat peccare. Simili modo dicemus electos abſolutè non poſſe omittere illa opera bona quæ faciunt; quia ſubſtant efficaci decreto illos dirigenti & applicanti. Quis enim ſperet ſe poſſe efficere vt non fiat quod Deus ita abſolutè decreuit fieri, & in quod tanta ſapientia & potentia inuigilat, aut ſit ſolicitus vt fiat? At hoc multum videtur derogare perfectæ libertati, quæ poſtulat, vt omnibus præuiis non ſolùm intrinſecis, ſed etiam extrinſecis, abſolutè poſſit opus omitti; vt ex Scripturis colligimus.

Dein-

Deinde laudi & gloriæ Sanctorum, quæ in eo ſita eſt, quòd abſolutè potuerint tranſgredi, & omittere bona quæ fecerunt; & tamen non ſunt tranſgreſſi, vt Eccleſiaſtici 31. dicitur. Parua enim videtur laus facere boná, quæ tantis decretis, & tanta prouidentiæ cura ſunt præparata & vallata, vt abſolutè omitti nequeant. Secundò, non videtur congruere cum illa Scripturæ ſententia Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. adiecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris extende manum tuam*, &c. Quomodo enim reliquit eum in manu conſilij ſui, ſi ipſe ſuo conſilio, quid velit ab eo fieri, ante omnem præuiſionem minutiſſimè prædefiniuit? Si Dominus prædefiniret hoc modo omnes actiones quas vellet fieri à famulo, & ſumma cura curaret illum eas exequi, diceretúrne relinquere famulum in manu conſilij ſui, vt ipſe ſuo conſilio & arbitrio ſtatuat quid faciendum ſit?

Et laudi Sanctorum.

Non videretur relictus in manu ſui conſilij.

Nec refert quòd homo neſciat illa decreta, & ita agat, quaſi conſilio ſuo relictus. quia hoc non eſt verè & ex parte Dei eſſe relictum in manu conſilij ſui, ſed putare ſe relictum, cùm tamen ex parte Dei iam omnia ſint definita, & ipſe neceſſitati cuidam illa faciendi adſtrictus, non quidem ita vt debeat facere neceſſariò, ſed liberè quoad indifferentiam intrinſecam, vt dictum. Confirmatur: Si homo ſciret decreta illa Dei abſoluta, non cenſeretur eſſe relictus in manu conſilij ſui; quia iam videret ſe diuino conſilio circa ſingula præuentum, nec fieri poſſe vt in re aliud aut aliter fiat. Ergo etiam dum neſcit, non eſt relictus conſilio ſuo: quia eſſe relictum conſilio ſuo, non pendet ex ignorantia, & errore hominis.

Tertiò, non videtur iſta præfinitio congruere cum illa doctrina Patrum, qua docent præſcientiam diuinam non adferre noſtris operibus neceſſitatem; eò quòd hæc non ideò futura ſint, quòd Deus ea præſciat, ſed ideò Deum illa præſcire, quia futura ſint. Ita Hieronymus in cap. 26. Ierem. in princip. *Non ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcircò futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit: quia præſcius futurorum eſt.* Idem repetit in cap. 2. Ezech. explicans illud; *Et dices ad eos.* Iuſtinus martyr quæſt. 58. *Non cauſa eius quod futurum, prænotio; ſed quod futurum eſt, prænotionis. Neque enim prænotionem ſequitur quod futurum eſt; ſed quod futurum eſt, prænotio.* Origenes lib. 7. in epiſt. ad Rom. explicans illud, *Quos præſciuit: Non proptereà erit aliquid, quòd Deus id nouit futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat.* & infrà: *Vt autem ſcias, non in præſcientia*

Deus præſcit futura, quia ſunt futura, non contrà.

Dei vnicuique ſalutis cauſam poni, ſed in propoſito & actibus ſuis, vide Paulum verentem, ne fortè cùm aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur, macerare corpus ſuum, & ſubiicere ſeruituti. Idem docet luculentè D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 4. & lib. 5. de Ciuitate cap. 10. Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 10. Chryſoſt. hom. 60. in Matth. explicans illud, *Væ mundo à ſcandalis.* Damaſcenus contra Manichæos. denique omnes pænè auctores ſuprà citati in cap. 8. ad Rom. in illud, *Quos præſciuit.*

At ſi omnia opera bona eſſent abſoluta voluntate præfinita, falſum eſſet Deum ea noſſe quia futura: nam præſciret ea quia præfinita, non quia futura. Imò ideò eſſent futura quia præſcita. Nam illa præſcientia eſſet practica, ac proinde eorum cauſa. ſicut qui firmiter ſtatuit domum fabricare, præſcit illam futuram, & per ſuam ſcientiam, qua nouit qualis eſſe debeat, eam fabricat. Deinde futilis fuiſſet illa ratio Patrum ad oſtendendum diuinam prouidētiam non adferre neceſſitatem actibus humanis, ſi putaſſent in ea præter præſcientiam eſſe aliam quamdam æternam rationem, quæ poſſit videri adferre neceſſitatem rebus, nimirum abſolutam prædefinitionem. hæc enim longè magis videretur obſtare libertati. Vnde Caluin. l. 3. Inſtit. cap. 23. §. 6. ridet hanc Patrum rationem: *Si hominum,* inquit, *euenta Deus præuideret dumtaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret & ordinaret, tum non abs re ageretur quæſtio, ecquid ad eorum neceſſitatem eius valeat prouidentia. Sed cùm non alia ratione quæ futura ſunt præuideat, niſi quia ita vt fierent, decreuit; fruſtrà de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potiùs & nutu omnia euenire.* Hæc ille.

Ratio cur hîc & nunc opus fiat.

Quartò, ſi talis præfinitio omnium bonorum operum facta eſt, tota ratio cur hîc & nunc tale opus cum iſtis circumſtantijs à te fiat, referenda eſſet in decretum diuinum; quod ſanè videtur abſurdum. Nemo enim cùm de huiuſmodi quæritur, decretum diuinum allegat: ſed vel placitum ſuæ voluntatis, vel finem à ſe intentum. v. g. Cur hoc momento, hoc loco vis dare eleemoſynam, audire Sacrum, orare, &c? Dicendum erit, Quia Deus abſoluto decreto prædefiniuit vt hoc momento, hoc loco tale opus vellem facere. Cur tam intenſè, tam remiſsè facis? Quia Deus prædefiniuit, vt opus ſic fieret. prædefiniuit enim illud cum omnibus ſuis circumſtantijs, &c. Cur hoc die tot opera facis, v. g. decem, illo die duo tantùm, iſto quinque, &c. Quia Deus ſic prædefiniuit, ſic ex ſe ſtatuit, & res ſic diſponit vt omnia ſic eueniant. Deinde hinc ſequitur Deum ex ſe abſolutè vellē vt faciamus interdum opera imperfecta intenſiuè, v. g. vnius vel

duo-

duorum graduum intenſionis, maximâ ad hoc collata gratia; quod eſt incredibile. cur enim velit vt tepidè operemur?

Dices, Sicut ex ſe prædefiniuit quibuſdam exiguum gloriæ gradum; ità etiam exigua quædam opera, quæ illi gradui reſpondeant. Sed hoc ipſum eſt, quod nobis incredibile videtur. Cùm enim Deus ex ſe nihil aliud deſideret, quàm vt omnes ſint quàm perfectiſſimi, ipſiq; ardentiſſimo amore copulētur (vt ex oratione Domini, Ioannis 17. aliiſque Scripturæ locis, colligitur) cur tam curtum limitem, & cæleſti gloriæ & operibus plurimorum ſtatuat? Cur Sancti omnes ſuum teporem accuſant? cur queruntur ſe diuinæ vocationi & gratiæ acceptæ non ita reſpondiſſe vt poterant & debebāt? Si enim Deus ex ſe non maiorem menſuram intendit, ſed hanc abſolutè præfiniuit, cur queruntur illam ſe non exceſſiſſe?

Quintò, pleraque opera iuſtorum noui Teſtamenti ſupponunt Chriſtum, eiuſque religionem. atqui Chriſtus non erat venturus in carne, ſi Adam non peccaſſet, vt modò ſuppono: ergo opera iuſtorum ſecundùm ſuam ſpeciem & obiecta non ſunt efficaciter præfinita ante præuiſionem peccati: & multo minùs ſecundùm omnes ſuas circumſtantias. Maior patet: quia primum bonum opus, quod ceterorum eſt fundamentum, nempe fides, ſupponit Chriſtum; quia fides in Chriſtum eſt neceſſaria ad ſalutem: ſimiliter & ſpes; quia non poſſumus ſperare ſalutem, niſi ex Chriſti meritis. Vſus quoque omnium Sacramentorum, quo potiſſimùm ſaluantur fideles, Chriſtum ſupponit. Denique pleraque alia opera habent reſpectum ad Chriſtum, vt ſunt opera conſiliorum, & alia quæ faciunt, vt vel Chriſtum imitentur vel ipſi placeant, &c. *Opera iuſtorum ſupponunt Chriſtum.*

Dices, Hoc argumentum paruam habet vim in altera ſententia, quia ſupponit Chriſtum venturum, etiamſi non fuiſſet peccatum. Sed nos ex contrario fundamento, quod putamus eſſe veriſſimum, meritò colligimus contrarium. Accedit, quòd opera illa non ſolùm ſupponunt Chriſti incarnationem, ſed etiam paſſionem & mortem, & religionem Chriſtianam, vt modò eſt conſtituta. At Chriſti paſſio & mors non fuit decreta ante præuiſum peccatum, vt ipſi fatentur: ergo adhuc manet vis argumenti, etiam poſita illa ſententia de Chriſto venturo. Prætereà pœnitentia non fuit præfinita ante præuiſum peccatum, vt ipſi fatentur; ergo nec alia opera. Cur enim alia ſint præfinita in primo illo ſigno rationis ſine aliis, cùm debuerit præfiniri ea menſura operum quæ reſpondeat tantæ gloriæ?

18 Dices, Deus ordine intentionis poterat omnia iſta opera (exceptis *Obiectio.*

illis quæ intrinſecè ſupponunt peccatum) prædefinire ſecundùm totam ſubſtantiam, gradum intenſionis, & vim merendi, ante omnem præuiſionem futurorum: deinde in ordine executionis præuiſo peccato, velle illa ita exequi, vt habeant reſpectum ad Chriſti labores, exempla, doctrinam, paſſionem, mortem, ad eius religionem & Sacramenta. id enim illi ſuppoſita præſcientia conditionali facile erat. Simili modo facile erat, gratiarum dona & opera bona abſolutè, & ſine vlla inter ſe dependentia, decreta per voluntatem intenſionis, ita exequi, vt inter ſe haberent connexionem & dependentiam in ratione meriti & finis, &c.

Reſponſio. Reſpondeo, non facilè id eſſe Deo negandum, ſi de abſoluta potentia loquamur. Verùm ex rationibus ſupradictis colligimus non eſſe ita reipſa factum. Accedit, Primò quòd nulla fuerit neceſſitas huiuſmodi præfinitionis, cùm facilè ſine illa homo benè operari poſſit. Si ad ſingula opera per præuium aliquem impulſum diuinitus immiſſum deberemus prædeterminari, tunc omnino neceſſaria eſſet omnium operum in particulari abſoluta prædefinitio: quia voluntas abſque illo impulſu præuio non poſſet ſe ad aliquid determinare. Vnde qui huiuſmodi prædeterminationes requirunt, meritò ponunt omnia opera noſtra ab æterno ante præuiſionem determinationis noſtræ voluntatis abſolutè prædefinita: quia non poteſt eſſe maius ſignum talis abſolutæ prædefinitionis operum quàm temporalis illa prædeterminatio, cui reſiſti non poteſt. At negata ſemel & excluſa hac prædeterminatione, nulla iam eſt neceſſitas talis prædefinitionis operum; quia ſine hac facilè fieri poſſunt: nec aliquid in illis eſt, quod talem prædefinitionem requirat.

Deinde accedit, quòd illa prædefinitio, ſine ſpecialiſſima & extraordinaria prouidentię cura, non potuiſſet executioni mandari, quam Deus, niſi neceſſitas poſtulet, adhibere non conſueuit. Mirabile enim eſſet, Deum res omnes ab initio mundi vſque ad momenta ſingula, quibus vnumquodque opus fieri decretum eſt, diſponere ad certas aliquas circumſtantias, vel reſpectus quoſdam cuique operi accerſendos. v. g. decretum ſit, vt tali temporis momento, tali loco, iſti pauperi dem tantam eleemoſynam, curandum primò erit, vt ſimul extemus, vt diuerſa ſit noſtra conditio, vt illo tempore & loco concurramus, & ſimilia. alioquin non erit in particulari actio illa prædefinita. Iuuat. quidè conditionata præſcientia ad executionis facilitatè, quatenus oſtendit varios modos quiduis exequendi; non tamen tollit alia incómoda, quæ ſuprà oſtendimus, ex huiuſmodi præfinitionibus ſequi.

qui. Non enim ideò minùs durum cenſeri debet decretum, aut minùs tollere ſollicitudinem animi, aut inducere licentiam vitę, aut minùs requirere ſingulariſſimam prouidentiæ curam in executione, quòd Deo ſuppetant variæ rationes exequendi, vt infrà in ſolutione argumentorum num. 62. magis oſtendetur. Deinde ex illo modo explicandi apertè colligitur, non eſſe præfinita illa opera decreto intentionis cum omnibus circumſtantijs. Si enim in illo decreto non ſunt definita ſecundùm reſpectus, quos habent inter ſe, vel ad Chriſti paſſionem & Sacramenta, vt ipſi fatentur; ergo non ſunt præfinita cum omnibus circumſtantijs.

Sextò, ſicut ſingula opera bona ponuntur decreta antecedenter ad noſtram cooperationem; ita omnes particulæ corporum electorum poni debent prædefinitæ ante præuiſionem curſus rerum, ſaltem quatenus pendet à libertate creaturæ. ergo ſicut ab initio mundi vſque ad finem res omnes diſponuntur, vt illa opera cum ſuis circumſtantijs momentis præfinitis fiant; ita etiam omnia debebunt ordinari & dirigi, vt corpora ſingulorum illis particulis conſtent, quibus debere conſtare decretum eſt. At quanta quamque mirabili opus eſt ad hoc prouidentia, vt tam infinitæ particulæ materiæ infinitis locis diſperſæ per tot generationes & alterationes, & motus locales, longo ſęculorum ordine, tandem in vnum conueniant corpus? Sanè longè magis eſt admirabilis hæc prouidentiæ cura, quàm illa, qua in reſurrectione omnes corporum noſtrorum particulę in vnum colligentur. Facillimum enim eſt intelligere, quo modo Deus, cuius notitia omnes ſunt veluti ſignatæ, illas ſua potentia repentè in vnum colligat. Hìc enim non opus eſt tot generationibus & corruptionibus, tantaque cauſarum ſecundarum & ſæculorum ſerie; ſed res vnico veluti temporis momento immediatè à Deo perficitur. At ibi cura illa & directio multis ſæculis durare debet, & coniungi cum naturali curſu rerum; quod videtur difficillimum.

Singula corporum particula eſſent prædefinita.

19 Septimò, afflictiones & paſſiones Chriſti non fuerunt prædefinitæ ante præuiſionem malitiæ Iudaicæ illius temporis, & tamen hæ erant ſummi momenti, vtpote infinitæ æſtimationis, à quibus pendebat ſalus orbis, & honoris diuini inſtauratio. quis ergo inducat in animum credere minutias noſtrorum operum ſigillatim abſolutis illis decretis eſſe prædefinitas ante omnem præuiſionem futurorum, & Deo tantopere eſſe curæ, omniaque eò diſponere ab initio mundi, vt illa præcisè fiant, non alia, nec cum aliis circumſtantiis? Similiter martyria & perpeſſiones martyrum non fuerũt decreta ante præuiſio-

Chriſti paſſiones quo modo prædefinita in particulari.

Paſſiones martyrum.

uiſionem malitiæ Tyrannorum ſuas voluntates ad illa inferenda flectentium: quæ tamen fuêre excellentiſſima media prædeſtinationis illorum. Rurſus, regnum Dauid non videtur præordinatum abſolutè ante prçuiſionem peccati Saulis: hoc tamen erat maximi momenti, nimirum vt ſceptrum transferretur ad tribum Iuda, cui prædeſtinatum erat, & vt Chriſtus deſcenderet ex regibus de tribu Iuda. Antecedens colligitur 1. Reg. 13. vbi cùm Saul contra mandatum Domini obtuliſſet holocauſtum, dixit ei Samuel: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum. Sed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget. quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuũ, & præcepit ei vt eſſet dux ſuper populũ ſuum*, &c. Itaque ſi Saul nõ peccaſſet, ſicut facillimè potuiſſet, regnum eius fuiſſet ipſi & poſteris eius confirmatum in longiſſimum tempus: & ita Dauid & Salomon, eorumque poſteri non fuiſſent Reges. Simili modo Ioſeph non fuiſſet factus princeps Ægypti, niſi à fratribus ſceleratiſſimè fuiſſet venditus, vt ex decurſu narrationis S. Scripturæ Gen. 37. colligitur. vnde eius principatus non fuit prædeſtinatus ante præuiſionem illius ſceleris: & tamen res maximæ & valdè vniuerſales hinc pendebãt. Item euerſio Ieruſalem per Chaldęos facta, non fuit decreta abſoluto decreto, ne quidem permiſſiuo; ante præuiſionem obſtinationis Sedechiæ, qua noluit parere conſilio Ieremiæ ſuadentis tranſitum ad Chaldæos, vt colligitur Ieremiæ 38. Si enim voluiſſet ad eos tranſire, ciuitas non fuiſſet ſuccendenda, vt ibidem dicitur. hæc tamen res erat maximi ponderis, & valdè vniuerſalis.

Regnum Dauidis. *Principatus Ioſeph.* *Euerſio Ieruſalem.*

Sententia quorũdam. Reſpondent quidam negando quod aſſumitur: hæc enim omnia, & nominatim paſſiones Chriſti fuiſſe abſolutè prædefinitas ante prçuiſionem malitiæ Iudaicæ; & Deum idcircò permiſiſſe illam, vt iſta omnia Dominus noſter tali modo pateretur. Idem dicunt de principatu Ioſeph, & ſimilibus rebus maximis. Cùm enim illa per ſe bona ſint, nec intrinſecè peccatum ſupponant, poſſunt abſolutè à Deo prçdefiniri, poſteà tamen occaſione peccati oblata, Deus ea vtitur ad executionem ſui decreti. Confirmatur Act. 2. *Hunc definito conſilio & praſcientia traditum, per manus iniquorum affligentes interemiſtis.* hîc traditio ipſius paſſiua dicitur definita. & cap. 4. *Conuenerunt aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum facere, quæ manus tua & conſilium tuũ decreuerunt fieri.* De principatu verò Ioſeph Gen. 45. dicit Ioſeph: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis.* & cap. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Sed

Sed contrà Primò, ſi omnes Chriſti perpeſſiones ſunt prædefinitæ ante præuiſionẽ malitiæ Iudaicæ: ergo etiam ſi Iudæi ſponte ſua illas non irrogaſſent, nihilominùs illæ futuræ fuiſſent. Quidquid enim prædeſtinatum eſt priùs ratione & independenter ab alio, ex vi prædeſtinationis neceſſariò fieri debet, etiamſi illud poſterius non eueniat. quod ex ipſis terminis videtur perſpicuum. Nam efficacia eius quod prius eſt, non pendet ab eo quod eſt poſterius. atqui illa prædeſtinatio eſt prior & efficax, eique ſuppetunt varia media exequendi: ergo non eſt alligata ad hoc medium. Vnde concedunt, omnes illos qui iam ſaluandi ſunt, fuiſſe ſaluandos & eodem ſalutis gradu, etiamſi Adam non peccaſſet; quia ante præuiſum peccatum erant prædeſtinati ſiue electi. Idem dicunt de bonis operibus, quæ nõ ſupponunt intrinſecè peccatum. quia ante præuiſum peccatum Adami ponunt ea prædefinita, vt oſtenſum eſt. Simili modo D. Thomas 3. p. qu. 1. art. 3. ad. 4. colligit prædeſtinationem incarnationis, ſi facta eſt ante præuiſum peccatum, habituram effectũ etiamſi peccatum non ſequatur. Certum itaque eſt, quando aliquid prædefinitum eſt abſoluto decreto ante præuiſionem mediorum, & plura media ſuppetũt exequendi, illud debere fieri, etiamſi hoc vel illud medium non extiterit. Quòd ſi vnicum tantùm ſit medium, tunc hoc ipſo, quo prædefinitus eſt finis, implicitè & virtute cenſetur quoque prædefinitum hoc medium. At videtur omnino incredibile Chriſtum omnia illa perpeſſurum fuiſſe, etiamſi Iudæi ſponte ſua illa non intuliſſent. ergo non fuerunt in particulari prædefinita ante malitiam Iudaicam præuiſam. *Refutatur illa ſententia, & probatur aſſumptum.*

Reſpondent quidam, id nullo modo eſſe incredibile; quia Deus poterat illa ſupplicia per ſe inferre, vel præcipere aliis vt inferrent, cùm illa per ſe mala non ſint, conſequenter ſanè illi principio. Sed mihi prorſus eſt incredibile. Primò, quia hinc ſequitur, imò generalibus terminis expreſsè dicitur, quòd Deus iuſſiſſet Chriſtum prodi, ligari, colaphis cædi, conſpui, flagellari, coronari, crucifigi inter latrones; vel ipſemet per ſe hæc intuliſſet, niſi Iudæi ſponte ea patraſſent. quod certè aures piæ vix ſuſtinent. Secundò, quia magna pars ſuppliciorum Chriſti fuerunt venditio & proditio diſcipuli, irriſiones, blaſphemiæ, maledicta, ſputa, calumniæ, falſæ accuſationes, contumeliæ, comparatio cum latronibus, reputatio cum ſceleratis, & ſimilia. Nihil autem horum Deus vel per ſe inferre, vel aliis præcipere poterat vt inferrent, cùm ſint intrinſecè mala, ſacrilega, horrenda auditu & cogitatu. Tertiò, magna etiam pars ſupplicij conſtitit *Reſponſio quorumdam.* *Refutatio.*

ex affectu inferentium, quòd omnia ex tanto contemptu, tanto odio, tantoque affectu ipſum eiuſque doctrinam & inſtituta perpetuò infamandi & perdendi, irrogata ſint. Cauſa quoque maximè conſideranda, vt quòd propter confeſſionem veritatis ad ſalutem maximè neceſſariæ hæc intulerunt. Atqui Deus huius affectus & prauæ intentionis nullo modo cauſa eſſe poterat. Quartò, 1. ad Corinth. 2. Apoſtolus ait: *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* At ſecundùm iſtam ſententiam, hoc non videtur verum: quia ſi non feciſſent ſponte ſua, debuiſſent facere ex Dei præcepto. Ex his perſpicuum videtur dici non poſſe illas omnes perpeſſiones fuiſſe futuras, etiamſi Iudæi eas ſua ſponte non intuliſſent: ac proinde non fuiſſe abſolutè prædeſtinatas ante præuiſam eorum malitiam.

II. Refutatio illius ſententiæ, & probatio aſſumpti. Secundò, idem probatur alia ratione. Quicumque abſolutè & efficaciter vult aliquem finē, eo ipſo neceſſariò vult medium ad executionē illius finis neceſſarium: & illud debet procurare vt adſit, niſi iam videat eſſe poſitū aliunde. Atqui ad executionem perpeſſionū Chriſti plurima & grauiſſima peccata tamquam media ſunt neceſſaria, vt ex dictis conſtat. Illæ enim vt in particulari conſiderantur, intrinſecè includunt, vt inferantur ex odio, ex contemptu, ab ingratiſſima gente tantis cumulata beneficijs, cum tantis contumelijs, irriſionibus, blaſphemijs, maledictis; idque ob veritatis confeſſionem, &c. Horum enim apprehenſio Chriſti animam maximè affligebat: vnde ſuppoſitis Chriſti doloribus, per nullam potentiam poterant iſta abeſſe. Item, ad perpeſſiones Chriſti eſſentialiter & ex natura rei neceſſariæ erant actiones, quibus inferrentur. Si ergo Deus abſoluta voluntate omnes illas perpeſſiones in particulari prædifiniuit ante prçuiſionem malitiæ Iudaicæ; etiam prædefiniuit omnes illas actiones, & omnia peccata neceſſaria ad illas inferendas, & ad eius prouidentiam pertinebat procurare; vt hæc omnia fierent: quia qui vult finem, eo ipſo vult medium neceſſarium; & ad ipſum pertinet procurare vt ſuppetat. Atqui nulla ratione dici poteſt Deum iſta media voluiſſe, aut ſua prouidentia procuraſſe: quia ſic eſſet auctor grauiſſimorum peccatorum.

Triplex reſponſio ad hoc argumentū. Prima refutatur. Hìc triplex adhibetur reſponſio. Prima eſt, Domini perpeſſiones fuiſſe prædefinitas in genere, vt abſtrahunt à peccato. Sed hoc non ſatisfacit. Sic enim non eſſent prædefinitæ in particulari, vt factæ ſunt reipſa, & operatæ ſunt noſtram ſalutem (quod tamen iſti qui introducunt iſtas prædefinitiones maximè intendunt) ſed confuſo

tantùm

tantùm modo. Quæ prædefinitio ad quid ſeruit, aut quænam eius neceſſitas aut vtilitas? Deinde præcipua quæque in perpeſſionibus Domini intrinſecè ſupponunt peccatum, vt oſtenſum eſt: ergo præcipua nō ſunt prædefinita. Similiter actus illi, quibus ſingula tormenta vt inferebantur, acceptauit, non erunt prædefiniti: quia acceptauit illa vt profecta ex odio, ab ingratis, ob confeſſionem veritatis. Item acceptauit contumelias, irriſiones, blaſphemias, falſas accuſationes, iniquiſſimam ſententiam, & alia huiuſmodi; & ſingula horum, peculiarem illi afflictionem doloremque intulerunt. Denique ſi illa tormenta etiam in confuſo abſque circumſtantiis prædefinita fuere: ergo ſi Iudæi ea ſponte non intuliſſent, Deus debuiſſet curare, vt alia ratione inferrentur. quod iam refutatum eſt.

Altera reſponſio eſt, Deum præſciſſe per præſcientiam conditionatam Iudęos ſua malitia hæc omnia ſic illaturos, ſi ipſe permitteret: qua præſcientia poſita prius ſtatuiſſe abſoluto decreto omnia quæ Chriſtus erat paſſurus cum omnibus ſuis circumſtantiis: deinde poſterius ratione voluiſſe permittere vt ipſi ſuam malitiam ſic in illum effunderent. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit. Primò, quia fruſtrà dicitur hæc prædefinitio abſoluta, cùm pendeat à certa conditione; quæ ſi ſecuta non fuerit, erit irrita prædefinitio. Si enim Iudæi non eſſent ſua malitia id facturi, eſſet inefficax illa prædefinitio. vnde non eſt verè abſoluta & prior præuiſione, ſed includit tacitam conditionem à Deo præuiſam. Secundò, quia neque hoc modo tollitur vis argumenti. Si enim Deus ante voluntatem permittendi illa peccata, ſtatuit vt Chriſtus omnia illa pateretur: ergo eo ipſo voluit omnia iſta inferri (nam hoc intrinſecè in illa perpeſſione includitur, vt oſtenſum eſt) & ad ipſius prouidentiam pertinebat curare vt omnia ſic inferantur.

Secunda reſponſio ex præſcientia cōditionata.

Refutatur.

Nec refert ſi dicas, ſola permiſſione poſita, omnia illa ſic euentura ex ipſorum ſpontanea malitia: quia nōn ſolùm abſurdum eſt, Deum aliquid mali procurare incitando, ſed etiam permittendo. Neutro enim modo per ſuam prouidentiam malum procurare poteſt; atqui hîc procuraret malum permittendo. nam permitteret illud quia eſt medium neceſſarium ad finem à ſe intentum: & ita peccatum ſe haberet inſtar finis ad voluntatem permittendi; quod alienum eſt à diuina bonitate, quæ omne peccatum infinitè & neceſſariò odit, nec ſub vlla ratione illud poteſt velle, aut vt occaſionem & medium ad bonum finem captare. Vnde etiam fieri non poteſt vt aliquid ex ſe ante præuiſionem peccati præordinet, ad cuius executionem pec-

cati permiſſio & exiſtentia ſit ipſi neceſſaria: tunc enim deberet velle permiſſionem peccati, vt extet peccatum, quod ipſi ad talem finem eſt neceſſarium.

Tertiò, ſi Domini perpeſſiones ſunt prædefinitæ ante præuiſionem illorum peccatorum; ergo ſimiliter contritio, pœnitentia, ſatiſfactio ante præuiſionem peccatorum prædefinita erunt: quod tamen iſti auctores negant. Non enim minùs intrinſecè & eſſentialiter perpeſſiones Domini ſupponunt peccata, quàm iſti actus pœnitentiæ. Vnde ſi illæ potuerunt abſolutè prædefiniri ſuppoſita ſola præſcientia conditionata; etiam hi actus potuerunt: & ſi hi non potuerunt, nec illi potuerunt. Deinde eadem licentia imaginandi poterimus dicere omnes Chriſti perpeſſiones fuiſſe abſolutè & in particulari præordinatas in primo ſigno rationis ante omne peccatum humani generis præuiſum, ſuppoſita ſola præſcientia conditionata; vt facile eſt intelligere cuiuis rationem illam hîc applicanti. Idem poterimus dicere de ſuppliciis damnãdorum, ſaltem quoad excluſionem à regno.

III. Reſponſio ex myſterio paſſionis.

Tertia reſponſio eſt quorumdam aliorum, qui dicunt Deum 20
inconditam Iudæorum malitiam in horum ſuppliciorum inflictionem inclinaſſe & formaſſe. *Quomodo*, inquit quidam, *Iudæis in mentem venire potuiſſet tanti myſterij ſupplicia Chriſto irrogare, niſi vaſtiſſimam eorum crudelitatem Deus omnipotens in iſtorum ſuppliciorum inflictionem formaſſet, inclinaſſet, temperaſſet, idq́; intrinſeca operatione in ipſum hominis affectum & ſenſum penetrando?* Confirmari poteſt, quia conſtat ex Scriptura & Patribus, maximè ex D. Auguſtino, Deum vti malitia hominum ad id quod ipſe fieri voluerit.

Refutatur.

Hæc reſponſio admittit totum quod in argumento intenditur, & aliquid etiam amplius. Verùm ſi hæc propriè accipiantur vt ſonant, nullo modo admitti poſſunt. Faceremus enim apertè Deum auctorem grauiſſimorum peccatorum. Quantumuis enim quiſpiam ſit malus, ſi Deus penetrando in ipſius affectum format illam indeterminatam malitiam in has vel illas peccatorũ ſpecies, verè eſt auctor peccati: quia eſt auctor illorum actuum, qui ex ſua ſpecie praui ſunt. Confir. nam ſi homo gnarus omnium myſteriorum paſſionis ſuaſiſſet Iudęis peſſimè in Chriſtum affectis, vt ſic eum tractarent, nimirum vt paſſio plena eſſet myſterij, verè eſſet auctor grauiſſimorum peccatorum. Ergo multò magis Deus auctor erit, qui non exteriùs ſuaſit, ſed interiùs inclinauit, & efficaciter ipſos affectus formauit. Confir. ſecundò; quia longè grauius peccatum erat Chriſtum ſic tractare, quàm generatim illum odio proſequi. atqui numquam licet volun-

voluntatem alicuius inflectere in maius malum; imò nec in minus. Poteſt quidem interdum ſuaderi minus malum, quando maius alia ratione impedire non poſſumus; ſed hoc ſolùm fit proponendo obiectum, idque ſemper cum hac tacita vel expreſſa conditione, ſi nolis omnino abſtinere fac potiùs hoc quod minus eſt, quàm illud quod maius. Interiùs tamen inclinare in malum minus, & affectum in illud formare per ſe & intrinſecè malum eſt: quia hoc non eſt ſub conditione proponere obiectum, ſed actu abſoluto velle opus prauum, & mentem ad illud actu abſoluto inflectere. Vnde etiam ad maximum peccatum impediendum, Deus non poteſt voluntatem inclinare vel in minimum.

Quo modo Deus vtatur malitia impiorum.

Itaque non vtitur malitia impiorum eam poſitiuè ad hæc vel illa inclinando, ſed ſolùm permittendo, & manum omnipotentiæ ſuæ, qua omnia ita continet & cohibet vt in nullum motum ſine ipſius nutu emicare poſſint, laxando. Sicut qui furioſum canem paratum inuadere fune continet, poteſt eo vti ad nocendum ſiue multùm ſiue parum abſque vlla incitatione, ſolo fune plus minúſve laxato, & rurſus adducto. Tales ſunt omnes dæmones, & mali homines ſub diuinæ potentiæ manu. Iuxta hunc modum poſſent illius Doctoris verba ad bonum & verum ſenſum reuocari.

Quo modo Chriſti paſſiones prædefinita.

Ex his ſatis perſpicuum eſſe puto, Domini perpeſſiones non fuiſſe prædefinitas in particulari ante preuiſionem malitiæ eorum à quibus fuêre inflictæ. Præuidebat Deus omnes, qui eo tempore, quo Filium mittere ſtatuerat, erant victuri, & qui in auctoritate apud Iudæos futuri. præuidebat quanto odio illum eſſent proſecuturi, quæ & qualia tormenta illaturi ſi permitterentur. Hac preuiſione poſita, ſtatuit permittere vt ea inferrent, quæ reipſa in tempore intulerunt: & voluit vt Filius ea exciperet, ſiue vt ſe non ſubtraheret, noſtræ ſalutis cauſa. nullo alio opus fuit decreto vt illæ paſſiones exiſterent. Quòd autem illa tormenta ſint plena myſterij, id ex eo prouenit, quòd Deus ſumma ſapientia in illis permittendis ſit vſus. Noluit enim vt Iudæi quouis modo ſæuirent in Filium (v.g. lapidando, plectendo capite, comminuendo oſſa, comburendo igne) ſed certum dumtaxat permiſit cum certis circumſtantiis, qui etiam eorum malitiæ & myſterio maximè congruebat; nimirum vt tali tempore, tali loco, tali inſtrumento, tali modo, &c. facerent. Quòd autem vt res contineat myſterium, non ſit opus eam à Deo ita eſſe prædefinitam ſeu volitam, patet in aliis innumeris; vt in ebrietate & denudatione Noë, in irriſione Cam, in ædificatione turris Babel, in perſecutione Eſau, in vendi-

tione Ioſeph, in ſeruitute Ægyptia, in ſeditione Core, in murmuratione populi in deſerto, in concupiſcentia carnium, & faſtidio mannæ, in amoribus Sampſonis, in adulterio Dauidis ſecundùm B. Gregorium, in ſuſpendio Achitophel, & proditione Doëg Idumæi: & aliis huiuſmodi, quę à Deo non fuêre prædefinita efficaciter, ſed tantùm permiſſa; & tamen ſunt plena myſterij.

Ad locum Actor. 2. Ad locum Actor. 2. Chriſtus *definito conſilio & præſcientia Dei fuit traditus*: quia permiſſus Iudæorum arbitrio. Nam illa traditio nihil aliud fuit, quàm permiſſio qua iniuriis illorum fuit expoſitus defenſione ſubtracta, vt ex Græco colligitur: τοῦτον, inquit, *τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες.* Hunc definito conſilio & præſcientia Dei expoſitum, veſtroq; arbitrio permiſſum accipientes, &c. Quibus verbis inſinuatur, quòd nihil in illum potuiſſent, niſi ſingulari Dei conſilio id eis fuiſſet permiſſum; qui voluit vt Filius eorum iniurias exciperet. Eodem ſenſu dicitur ad Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* & ipſe Dominus ad Pilatum: *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* q. d. Niſi Pater me tibi tradidiſſet, me tuis iniuriis exponens, & iubens vt eas excipiam. Hic eſt verus ſenſus.

Ad locum Actor. 4. Ad locum Actor. 4. nihil aliud ibi ſignificari, quàm Deum decreuiſſe vt Chriſtus pro redemptione mundi exciperet & pateretur ea quæ Pilatus & Herodes cum principibus Iudæorum erant illaturi. Hinc tamen non ſequitur id eſſe decretum ante præuiſam eorum malitiam; imò contrarium colligitur: quia ibi agitur de omnibus quæ Chriſtus paſſus eſt, quoad cauſam, modum & circumſtantias inuoluentes maxima peccata. Vt autem penitiùs iſta intelligantur, quinque ſunt diſtinguenda in Domini perpeſſionibus ordine quodam ſe habentia. 1. eſt Peſſima voluntas inferentium. 2. Actio externa, v. g. flagellatio, blaſphemia, &c. ex illa voluntate procedens. 3. Impreſſio in corpus Chriſti. 4. Dolor inde reſultans in carne & anima Chriſti. 5. Voluntaria acceptatio, qua hæc omnia ſponte excipiebat, cùm facile ei eſſet impedire ne vel ipſi inferrent, vel dolor inde reſultaret. Primum & ſecundum nullo modo fuit à Deo prædefinitum, ſed ſolùm permiſſum. Tertium, quartum, & quintum prædefinitũ fuit, ſed ſuppoſito primo & ſecundo. Tertium tamen & quartũ ſufficienter definitum fuit in quinto. Hoc ipſo enim quo ſtatuit, vt Chriſtus illorum ictus exciperet, illorum blaſphemiis ac contumeliis ſe non ſubduceret; etiam ſtatuit vt dolores perciperet, & impreſſiones vulnerum, ſenſuſque blaſphemiarum in illo exiſterent.

Ex

Ex his patet quid dicendum ſit de afflictionibus Martyrum. Si enim Domini perpeſſiones non fuerunt prædefinitæ in particulari ante prçuiſionem malitiæ irrogantium; multo minùs perpeſſiones Martyrum. Confirmatur; quia in his maximè ſpectanda cauſa ob quam iſta perpeſſi ſunt, nimirum confeſſio fidei. Martyrem enim facit non pœna, ſed cauſa; & hæc fecit iſtas perpeſſiones meritorias & media prædeſtinationis: atqui vt iſta paterentur ob fidei confeſſionem, neceſſariò requirebantur peccata Tyrannorum infidelium, qui ob eam cauſam illas vellent inferre. *Afflictiones Martyrum.*

Idem dicendum de principatu Ioſeph in Ægypto. Hunc enim Deus non prædefiniuit ante præuiſionem malitiæ fratrum, qua illum vendiderunt. Vnde non erat futurus princeps Ægypti, niſi à fratribus venditus fuiſſet. Dicere autem Deum alia ratione illum fuiſſe tunc euecturum, eſt ſine fundamento diuinare. Confirmatur Primò, quia alioquin de omnibus quæ occaſione peccati decreta fuere à Deo, dicere poterimus, illa fuiſſe abſolutè decreta, & Deum alia ratione illa fuiſſe executurum, ſi occaſio iſta ſe non obtuliſſet. Itaque regnum Saülis decretum erit ante poſtulationem populi præuiſam; & ſi populus non poſtulaſſet regem, Deus alia ratione illũ ad regnum euexiſſet. Idem dicetur de regno Dauidis, de regno Ieroboam, Iehu, &c. quæ omnia cum ſacra hiſtoria non ſatis congruunt. Confirmatur Secundò, quia hic principatus fuit decretus tãquam in præmium illius humiliationis & afflictionis quam paſſus fuerat illa venditione, & iniurioſo carcere (quod inſinuatur Pſal. 104.) vt ſic gereret typum Chriſti, qui venditus & afflictus à ſuis fratribus, fuit à Deo exaltatus, &c. *Principatus Ioſeph.*

Ad illud autem Geneſis 45. *Non veſtro conſilio*; & ad alia, quæ tum ex illo capite, tum ex cap. 50. adferri poſſunt, quatenus contra noſtram ſententiam adducuntur, facilè reſpondetur: quidquid ibi dicitur de euectione Ioſeph, fuiſſe quidem diuinitus decretum, non tamen abſoluto decreto ante præuiſionem odij fratrum, & venditionis per ipſos factæ, & multorum aliorum quæ inde ſecuta. Vult enim huiuſmodi verbis ſolari fratres ſuos ne timeãt ob tantum crimen in ipſum patratum, & ideò extenuat eorum peccatum, quantum poteſt; vt docet Chryſoſtomus Homilia 64. in Gen. referens totum ad diuinam prouidentiam, quæ illud permiſit, vt inde tantum boni eliceret. Cùm enim ex aliqua iniuria accepta magnum nobis bonum prouenit, non apprehẽdimus illam tamquam malum, ſed tamquam medium diuinæ prouidentiæ ad bonum, etiamſi à Deo tantùm ſit per-

permiſſum. vnde libenter ignoſcimus. Sed non ſtatim, ſi Deus aliquid permittit ob aliquod bonum, ſequitur illud bonum fuiſſe abſolutè prædefinitũ. Senſus igitur eſt: *Non veſtro conſilio* (nempe vt primariæ cauſæ) ſed diuinæ voluntati tribuo, quòd huc miſſus ſum, quæ ob magnum bonum id voluit permittere. Sic Iob ſuas clades non tribuebat diabolo, Chaldæis vel Sabæis, ſed Deo; *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abſtulit*: cùm Deus ſolùm permiſiſſet. Sic Dauid maledictionem Semei, quam Deus ad illum affligendum permiſerat, tamquam ex Domini voluntate & præcepto factam excepit. *Dominus*, ait, *præcepit ei vt malediceret Dauid*: 2. Reg. 16. Deus enim in Scripturis ſæpè dicitur facere & velle, quod ſolùm permittit, vt notum eſt. Vt verò eadem loca inſinuare videntur Deum directè velle aut prædefinire opus prauum, à multis Catholicis, & in primis ab Illuſtriſſimo Cardinali Bellarmino lib. de cauſa peccati cap. 11. reſponſum eſt. Hæc de prædefinitione actuum ſufficiant.

Ex quibus etiam apertè refutatur ille gratiarum delectus, quo hæc ſententia maximè nititur. Si enim opera bona non ſunt abſolutè prædefinita; ergo Deus non ſeligit gratias congruas ab incongruis, illas deputans electis, has reprobis. Ideò enim hæc diſcretio gratiarum ſtatuitur, quia neceſſaria eſt, vt opera bona à Deo prædefinita infallibiliter fiant; & quæ non ſunt prædefinita, infallibiliter nõ fiant. Quare ſi non eſt talis operum abſoluta prædefinitio, non erit opus illa gratiarum diſcretione, quæ propter iſtam prędefinitionẽ ponitur.

Ratio Nona.

IX. Ratio, quòd non ſit vtilis ad ſalutem.

EA ſententia non videtur vera, quæ explicata populo, & diligenter 21
expẽſa pareret ſcandalũ, & licentiam vitę. At hęc ſententia, quam impugnamus, eſt talis; non ergo putanda eſt veritati conſona. Maior videtur ſatis clara. Etſi enim veritas doctrinæ apud aliquos malè diſpoſitos ſcandalum parere poſſit, ſicut ex prędicatione Domini patet, cuius doctrinâ Phariſæi ſcandalizati, & deteriores facti ſunt; tamen vt ordinariè id faciat, & apud animos pios, Deiq; cultores egregios, non eſt credibile. Veritas enim ex ſe non eſt animis pernicioſa, ſed ſalutaris & conſolatoria; quod magis perſpicuum eſt in ijs, quę Deus ex ſe, meraque bonitate ſua ante præuiſionem futurorum ſtatuit. Quomodo enim fieri poteſt, vt ex immenſo illo bonitatis fonte, aliquid amaritudinis, aut quod animos offendat, aut inijciat torporem, profluat? Ex bonitate nihil niſi quod bonum, conſolatorium, procedere poteſt.

poteſt. aſperitas omnis & amaritudo occaſione peccati. Valdè profectò alienum videtur ab illius immenſo in creaturas amore, vt aliquid ex ſe, non occaſione peccati ſtatuat, quod animos non ædificet, ſed potiùs ſcandalizet; quodque non ſolùm nemo cupit, ſed omnes vt ſummum malum exhorrent. Cùm mundus eſſet in peccato, & æternę morti obnoxius; *ſic Deus*, mero & libero bonitatis ſuę affectu, *dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*: & ipſe erga eumdem mundum, priuſquam vllum eius peccatum eſſet præuiſum, ita frigidè, áſperè & inclementer ſe geſſiſſet, vt paucis dumtaxat electis, ceteros omnes negatiuè reprobaret? *Si cùm adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius*: multò *magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius*. Hoc ad conſolationem iuſtorum addo, ne putent Deum ex ſe non cogitare cogitationes pacis ſed afflictionis.

Minor ſatis conſtat experientia. Scio quoſdam ex ea ſententia in grauiſſimos mœrores & barathrum deſperationis delapſos: audiuī multos doctiſſimos & optimos viros eam grauiter hoc nomine accuſare, quodque metuerent ſibi effrenem vitæ licentiam, ſi eam in animum demiſiſſent. Nihil horum incommodorum habet altera ſententia, quæ electioni abſolutè & efficaci præſcientiam operum ſupponit. Clarè enim oſtendi poteſt, præſcientiam, cùm ab ipſis rebus obiectiuè pendeat, eiſq; ratione ſit poſterior, nullam operibus noſtris neceſſitatem adferre. Hoc modo ſancti Patres diuinam prouidentiam ab hac calumnia vindicarunt. Si alium ſciuiſſent, non eſt credibile, ſilentio fuiſſe preſſuros. Præter citatos ſuprà nu. 17. vide Anſelmum libro de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis: nam c. 1. docet præſcientiam non adferre niſi neceſſitatem conſequentem, qualis eſt cùm dico, Si hoc eſt futurum, neceſſe eſt vt aliquando fiat. & cap. 2. docet prædeſtinationem non adferre maiorem neceſſitatem quàm præſcientiam. & D. Thomam 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. vbi dicit prædeſtinationem ſupponere præſcientiam futurorum.

Decima Ratio.

22 HÆc ſententia in multis diſcrepat à ſententia B. Auguſtini, cuius tamen auctoritate illi Doctores maximè nituntur, & ſua confirmant. Primò, quia in ea ponuntur etiam angeli ſimili modo electi abſoluto decreto ad gloriam, ante omnem præuiſionem. At hoc apertè videtur contra D. Auguſtinum, qui diuerſis locis perſeueran-

X. Ratio, quòd à ſententia D. Auguſtini in multis diſcrepet.

Electio angelorũ ad gloriam ex præuiſis meritis, Auguſtino.

tiam ponit in libero illorum arbitrio (nempe donis gratiæ habitualis inſtructo) & ex lapſu vel perſeuerantia eis decretam pœnam vel gloriam. Nam lib. de corrept & gratia c. 10. ſic ait: *Saluberrimè confitemur Deum Dominumq́; rerum omniũ ſic ordinaſſe angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitriũ; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæq́; iudicium. Denique angeli quidam, quorum princeps eſt qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino refugæ facti ſunt: refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fierent, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Ceteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamq́; de ſuo caſu numquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.* Vbi D. Auguſtinus perſeuerantiam illorum non refert ad prædeſtinationem qua ipſa in ſe prædeſtinata fuerit abſoluto decreto, ſed in liberum arbitrium gratia inſtructum. Et in fine cap. illius dicit idem futurum fuiſſe in homine, ſi vt poterat, perſeueraſſet. Et cap. 11. vbi cùm dixiſſet, fuiſſe relictum in libero arbitrio primi hominis vt perſeueraret ſi vellet, addit: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt angeli ſancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi; & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros,* &c. Idem patet ex toto diſcurſu illius capitis & ſequentis.

Neque dici poteſt, D. Auguſtinũ loqui de ordine executionis non intentionis. Si enim putaſſet, illorum qui ſteterunt perſeuerantiam in ſe fuiſſe abſoluto decreto prędeſtinatam ante omnem cooperationem liberi arbitrij; non retuliſſet illam in liberum arbitrium, eiuſque cooperationem, ſed in diuinam prædeſtinationem. nunc autem dicit illam relictam libero arbitrio, ſicut & eius contrarium. Denique viri in Auguſtino verſatiſſimi, in cauſa angelorum, hanc ei ſententiam, quam nos aſſerimus, ſemper tribuerunt; eſtq́; ferè communis eruditorum apprehenſio.

Nec obſtat quòd idem Auguſtinus libro 12. de ciuitate cap. 9. 23
dicat, angelos, qui aliis cadentibus ſteterunt, *fuiſſe magis adiutos*, & ita perueniſſe ad eam beatitudinis plenitudinem. quia loquitur de adiutorio diuinæ cooperationis, quod habuerunt in actu illo plenè libero, quo Deo adhærere & ſubeſſe elegerunt; quod adiutorium etiam aliis præparatum erat, & veluti in actu primo aderat, ita vt illud in ſua poteſtate haberent: ſed quia noluerunt Deo ſubeſſe, conuer-

tentes

tentes ſe ad ſuperbiam, non habuerunt in actu ſecundo. Idem dici poteſt in omni euentu, quo altero ceſſante, alter aliquid boni operatur: qui enim operatur, magis à Deo iuuatur. Volebat D. Auguſtinus oſtendere omnem bonam voluntatem quæ fuit in angelis, fuiſſe à Deo, malam non fuiſſe; quod probat: Nam & prima in qua creati ſunt, à Deo erat ſimul in eis & condente naturam & largiente gratiam: & ſecunda qua illi ceteris cadentibus adhærere elegerunt, non ſine eius adiutorio extitit, quod alij non habuerunt: quia ſcilicet noluerunt. Hæc eſt mens D. Auguſtini. Hinc tamen non colligitur diſparitas auxilij præuenientis; aut quòd his de induſtria ſit data gratia congrua, illis incongrua. Idem enim locum haberet, etiamſi in Deo non eſſet præſcientia illa conditionata, quam illa diſtinctio ſupponit.

Alterum in quo à D. Auguſtino videtur diſſentire, eſt, quòd eamdem electionem abſolutam ponat etiam pro ſtatu innocentiæ, ſi is perſeueraſſet. At D. Auguſtinus paſſim docet eamdem hoc in negotio eſſe rationem illius ſtatus, atque conditionis angelicæ, vt ex locis citatis conſtat. non ergo agnoſcit pro illo ſtatu iſtam electionem abſolutam.

Tertium eſt, quòd totam prædeſtinationem & electionem ſtatuat ante præuiſum peccatum originale, quod omnino videtur repugnare doctrinæ D. Auguſtini, qui initium electionis conſtituit in ſeparatione à maſſa damnata, vt Ruardus, Driedo, & alij docent: eſtque communis ferè Doctorum opinio, quod etiam patet ex ipſa definitione prædeſtinationis, quam ponit lib. de bono perſeuerantiæ c. 14. *Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Vnde liberantur, niſi à communi peccato & damnatione? Simili modo reprobari D. Auguſtino eſt relinqui in maſſa perditionis: vt patet ex eodem cap. 14. & paſſim docet eius cauſam eſſe peccatum originale, vt patet ep. 105. ad Sixtum: & in Enchirid. cap. 94. 98. 99. & alibi. Confirmantur hæc omnia; quia electio omnium facta eſt in Chriſto, id eſt, propter Chriſti merita, vt patet ad Epheſ. 1. & alibi. Atqui Chriſtus ſecundùm D. Auguſtinum non erat venturus, ſi Adam non peccaſſet; ergo electio facta eſt non ante præuiſum peccatum, ſed eius præuiſione abſoluta iam ſuppoſita.

Quartum eſt, quòd illi auctores veluti baſim ſuæ ſententiæ ponant electionem Chriſti ante omnem præuiſioné futurorum; quod neque doctrinæ D. Auguſtini, neq; veritati putamus conſentaneum. Ex his patet non rectè eam D. Auguſtino tribui: imò multò probabilius

bilius eſſe, ipſum in re à noſtra ſententia non diſcrepare, vt ſup. nu. 9. oſtenſum eſt; etſi fortè interdum duriuſculè, vel obſcuriùs loquatur, dum Pelagianos gratiæ & prædeſtinationis gratuitę inimicos inſectatur, vt infrà oſtendetur.

Eamdem non congruere cum ſententia D. Thomæ, imò D. Thomam noſtrę fauere, oſtenſum eſt fusè à Gregorio de Valencia, & Gabriele Vaſquezio. Certè D. Thomam non probare illam operum prædefinitionem apertè colligitur ex qu. 6. de Veritate art. 3. Similiter non probat illam abſolutam electionem ante præuiſum peccatum, cùm ipſum Chriſtum non velit eſſe prædeſtinatum ante peccati præuiſionem.

Denique 3.p.q.1.a.3.ad 4. cùm feciſſet tale argumentum: Prædeſtinatio Dei (qua Chriſtum prædeſtinauit) eſt æterna: peccatum autem eſt temporale. ergo etiamſi non ſecutum fuiſſet peccatum, Chriſtus debuiſſet incarnari, vt prædeſtinatio impleretur. reſpondet hoc modo: *Ad quartum dicendum quòd prædeſtinatio ſupponit praſcientiam futurorum, & ideò ſicut Deus prædeſtinat ſalutē alicuius hominis per orationes aliorum implendam: ita etiam prædeſtinauit opus incarnationis in remedium humani peccati.* Senſus eſt: Etſi prædeſtinatio, cùm ſit æterna, præcedat exiſtentiam peccati, quæ temporalis eſt; tamen non præcedit eius præſcientiam, quæ æterna eſt; imò hanc ſupponit; quia prędeſtinatio ſupponit pręſcientiam futurorum. Vnde non ſequitur debuiſſe prædeſtinationem Chriſti impleri, non ſecuto peccato; ſed potuit opus incarnationis in remedium peccati prædeſtinari. Simili modo prædeſtinatio v. g. Pauli eſt æterna, oratio autem Stephani eſt temporalis. non tamen hinc ſequitur Paulum fuiſſe ſaluandum, etiamſi Stephanus pro illo non oraſſet: quia etſi orationis illius exiſtentia ſit temporalis, eius tamen præſcientia eſt æterna, quam præſcientiam prædeſtinatio Pauli ſupponit. Hæc apertè eſt mens D. Thomæ. Aliæ expoſitiones, quas quidam excogitarunt, ſunt extortæ, nec poſſunt commodè argumento aptari.

An oratio vnius poſſit eſſe cauſa prædeſtinationis alterius.

Dices, Prædeſtinatio Pauli eſt cauſa illius orationis, non effectus. nemo enim alteri prædeſtinationem poteſt mereri: ergo non ſupponit præſcientiā orationis Stephani. Reſpondeo: Suppoſito quòd Stephanus ſua oratione primam vocationē Paulo impetrauerit, & quòd abſque illa oratione Paulus non fuerit conuertendus (vt apertè bis inſinuat D. Auguſtinus ſerm. 1. de S. Stephano, cùm ait: *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* quamuis hîc de veritate exempli non diſputemus) illa oratio propriè non fuit effectus

præ-

prædeſtinationis Pauli, ſed cauſa. Ratio eſt : quia ſi homo ſuis operibus ſibi eſſet cauſa primæ gratiæ & eleuationis ad ſtatum ſupernaturalē, eſſet ſibi cauſa prædeſtinationis, vt ſuprà n. 4. ex D. Auguſtino oſtenſum eſt : ergo ſi alius illi ſit cauſa primæ gratiæ , erit illi cauſa prædeſtinationis. Qui enim eſt cauſa donationis, eſt etiam cauſa pręparationis, ſeu voluntatis donandi. voluntas autem donandi gratiam eſt prædeſtinatio iuxta D. Auguſtinum. Confirmatur; quia alioquin Chriſtus non poſſet nobis mereri prædeſtinationem . Dicetur enim opera ipſius eſſe effectus noſtræ prædeſtinationis ; cùm Deus ea prædeſtinarit ex affectu noſtræ ſalutis. Nec obſtat quòd Doctores quidam dicunt neminem alteri poſſe mereri prædeſtinationem ; quia loquuntur de prædeſtinatione vt extendit ſe ad omnia media etiam extrinſeca , antecedentia primam vocationē, quibus homo dirigitur ad ſalutem. Nos autem de ea loquimur ſicut D. Auguſtinus, vt incipit à prima vocatione in adultis, à Baptiſmo in paruulis. Et hoc modo loquitur hîc D. Thomas.

24 Dicet fortaſſe aliquis ſe non probare illam ſententiam per omnia, ſed ſolùm quatenus aſſerit omnes homines ſaluandos efficaciter & abſoluta voluntate electos ad gloriam , ante omnem præuiſionem bonorum operum, quæ ipſi eſſent facturi, non tamen ante præuiſum peccatum originale. Poſita enim maſſa humani generis perdita, tum demum per talem electionem factam eſſe ſegregationem ſaluandorum & non ſaluandorum : & illis præparata bona opera & perſeuerantiam, his minimè ; & illos eripi è maſſa perditionis, hos relinqui. quam ſententiam multi putant eſſe diui Auguſtini. Sed etiam hoc modo explicata illa electio, nullo modo probatur. Primò , quia ferè habet omnia incommoda , quæ altera. Non enim minùs tollit ſollicitudinem ſalutis & bonorum operum, nec minùs inducit licentiam vitæ , nec minùs reddit ſalutem non ſaluandis reipſa impoſſibilem, nec minùs videtur repugnare ſinceræ voluntati Dei ſaluandi omnes, &c. vt ex rationibus ſuprà deductis facilè oſtendi poteſt. Secundò , quia non videtur credibile aliter factam eſſe electionem abſolutam ad gloriam in angelis, aliter in hominibus; præſertim iuſtis poſt lapſum ; cùm vtrique per Dei gratiam æquè in ſua poteſtate habeant perſeuerare, & non perſeuerare. atqui in angelis non eſt facta niſi pręuiſa ipſorum perſeuerantia, vt ipſi fatentur, & ſatis inſinuat D. Auguſtinus, vt ſuprà num 20. oſtenſum : ergo neque in hominibus Tertiò , quia ſi permanſiſſet ſtatus innocentiæ , non fuiſſet facta talis electio per decretum diuinum in hominibus, vt ipſi ex D. Auguſtini

An circa homines ſit probanda hæc ſententia, ſuppoſito peccato originis.

Refutatur.

ſententia fatentur. ergo etiam poſt lapſum non videtur facta: nulla enim erat neceſſitas.

Dices, Ante lapſum non erat facienda illa electio; quia bona ope- 25
ra & perſeuerantia relinquenda erant libero arbitrio, vt ea præſtaret, vel non præſtaret, prout placeret: at poſt lapſum non erant libero arbitrio relinquenda, alioquin nemo perſeueraſſet: ſed Deus ipſe debebat hæc dare, & operari in hominibus. Itaque opus erat electione æterna eorum quibus hæc eſſet daturus, & æterna præparatione iſtorum beneficiorum: quia Deus non poteſt aliquid incipere velle in tempore. Confirmari iſtud poteſt ex iis quæ ſcribit D. Auguſtinus libro de correptione & gratia, præſertim cap. 10. 12. 14. & 20.

Quomodo bona opera & perſeuerantia relicta libero arbitrio in ſtatu innocẽtia, & non modò.

Fateor hos eſſe modos loquẽdi D. Auguſtini. ſed facilis eſt ſolutio, ſi mens eius intelligatur. Non vult D. Auguſtinus bona opera & perſeuerantiam ita relicta libero arbitrio in angelis, vt etiam non fuerint dona Dei ab æterno ipſis præparata & prædeſtinata, quæque in ipſis Deus eſſet operaturus. Neque in ſtatu lapſo vult iſta ſic eſſe dona Dei, vt non fuerint relicta in libero arbitrio diuinitus præparato, aut fuerint à Deo efficaciter decreta ante omnem operum præuiſionem. Non eſt ea mens magni illius Doctoris. Dicuntur ergo iſta relicta libero arbitrio in angelis, & homine ſano: quia præter naturæ integritatem & dona gratiæ habitualia non opus erat illis quotidianis inſpirationibus, excitationibus, impulſibus ad bonum faciendum & perſeuerandum in iuſtitia accepta, ſicut nobis. ſufficiebat enim liberum arbitrium inſtructum viribus in creatione acceptis. Hinc tamen non ſequitur, illa opera nõ fuiſſe dona Dei, aut non fuiſſe ab æterno prædefinita: ſed ſolùm, non fuiſſe præfinita in ſe abſoluto decreto ante præuiſam eorum cooperationem. In ſtatu naturæ lapſæ dicuntur non eſſe relicta libero arbitrio; quia iuſti per liberum arbitrium donis iuſtificationis inſtructum non poſſunt cõſtanter benè operari, nec perſeuerare; idque ob tentationes ac multiplices inſidias ex vna parte, & mentis noſtræ, hoc eſt intellectus & voluntatis, imbecillitatem & inconſtantiam, ex altera. Vnde eget maioribus auxiliis, nimirum crebra excitatione, inſpiratione, illuminatione, ac directione, vt perſeuerare poſſit, ac reipſa perſeueret: & per hæc Deus dicitur dare ipſa bona opera & perſeuerãtiam. Verùm cùm omnibus illis auxiliis præuiis poſitis, & cum mente noſtra compoſitis, liberum ſit voluntati bonum opus facere, & non facere; perſeuerare, & non perſeuerare; non minùs quàm angelo vel primo homini, vt ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 5. & 6. conſtat: verè & propriè dici poteſt (etſi non ſenſu Augu-

Auguſtini) hæc etiam nunc in electis relicta libero arbitrio : ac proinde non eſſe efficaciter ante præuiſionem cooperationis prędefinita. Dici ergo poſſunt, etiam in hoc ſtatu iſta relicta eſſe libero arbitrio, & non relicta libero arbitrio, ſed Dei miſericordiæ reſeruata; verùm diuerſo ſenſu, vt conſtat ex dictis. Itaque nihil ex iſtis colligi poteſt pro illis abſolutis decretis.

SECTIO III.

Argumenta aduerſæ partis ex S. Scriptura.

26 SEQVITVR nunc vt argumenta contrariæ ſententiæ ſoluamus. ac primùm ex Scripturis adferuntur varia loca, quibus illam electionem probent. Primus eſt Matthæi 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* & paulo pòſt: *Dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) & electi.* Sunt ergo aliqui *electi*, qui abſolutè non poſſunt excidere, & propter quos Deus omnia diſponit; qui proinde debent eſſe electi ante præuiſionem rerum, cùm res omnes ad executionem perſeuerantiæ ipſorum à Deo diſponantur. Eòdem pertinet illud Domini Ioan. 13. *Ego ſcio quos elegerim.* Vbi ſignificatur hanc electionem eſſe radicem omnium bonorum, & in primis doni perſeuerantiæ.

Secundus ſit Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Eadem *complacentia* ſignificatur Matth. 11. cùm Dominus ait, *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* ergo hæc electio eſt ex mero beneplacito Patris, non ex vllis meritis, ſed potiùs radix omnium meritorum.

Tertius ſit ad Rom. 6. *Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* ergo hæc gratis decreta eſt, ſicut mors ob peccatum. Eòdem pertinere aliqui volunt illud Pſalmi 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.*

Quartus ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* nimirum ſecundùm *propoſitum abſolutum* ſaluandi. nam præſcitis non omnia cooperantur in bonum. Quòd autem ita intelligendum ſit illud *ſecundùm propoſitum*, confirmatur ex ijs quæ Apoſtolus ſubiungit. *Nam*, inquit, *quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagi-*

imaginis Filij ſui. quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, hos & magnificauit. Vbi manifeſtè loquitur de ſolis electis. Hi enim ſoli magnificantur, id eſt, ad gloriam adducuntur.

Quintus ad Rom. 9. *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei; Quia maior ſeruiet minori: ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Hìc apertè ſignificatur in electione non haberi rationẽ operum. Deinde concludit: *Ergo non eſt volentis & currentis, ſed Dei miſerentis.* Et infrà vocat *electos, vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriã.*

Sextus eſt 1. Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* &c. Hìc Apoſtolus totam diſcretionem iuſtorum & iniuſtorũ refert in electionem diuinam tamquã in primam radicem.

Septimus ad Epheſios 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum; ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Quòd enim Apoſtolus hìc loquatur de voluntate abſoluta, patet tum ex verbo *eligendi*, tum ex verbo *prædeſtinandi*; tum ex eo quod adiungit, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Quòd etiam loquatur de electione gratuita, ſatis conſtat. Non enim quia eramus ſancti nos elegit; ſed vt eſſemus ſancti. Denique quòd loquatur de ſanctitate conſummata, ex eo conſtat; quia loquitur de tota ſanctitate, quæ in tempore confertur.

Octauus Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitã æternam.* Ecce immediata & abſoluta præordinatio ad gloriam ante operum præuiſionem. Hæc enim præordinatio erat cauſa credendi & conſequenter aliorum operum.

Nonò adduci poſſunt ea loca, in quibus electi dicuntur *ſcripti in libro vitæ*; in quo, qui ſcriptus non eſt, nemo ſaluatur, Apoc. 20. *Dati Filio à Patre:* Ioan. 6. & 17. *Non poſſe rapi de manu* Filij: Ioan. 10. Eſſe *à Deo ſignatos*: iuxta illud 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, cognouit Dominus qui ſunt eius.* Denique *omnia* dicuntur *eſſe propter electos.* Quæ omnia indicant eſſe aliquos electos ad gloriam abſoluto decreto, qui non poſſunt perire.

Reſpon-

RESPONSIO, *& Scripturarum explicatio.*

27 AD hæc non eſt difficile reſpondere, ſi quis loca ipſa non auulſa, ſed in ipſo Scripturæ contextu conſideret. Igitur quod ad primum locũ attinet, ex eo potiùs noſtra probatur ſententia, & euertitur illa abſoluta electio. quod ſic probo: *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*, vt Dominus ait; id eſt, omnes vincerentur tandem vi perſecutionum, & perirent: ergo nulli erant abſolutè electi ad gloriam ante præuiſionem finis. Si enim fuiſſent ita electi, ex vi diuini decreti, debebatur illis auxilium, quo difficultates omnes ſuperarent; nec potuiſſent vllo modo vinci per aliquid poſterius permiſſum. Vnde directè reſpondeo, per *electos*, non intelligi tali modo electos, ſed præuiſa perſeuerantia. Hi non poterant ſeduci finaliter, quia cùm Dominus non ſtatuiſſet permittere eos ſupra vires tentari, ſtatuit etiam illis tribulationum dies accidere; & ita vſque in finem perſeueraturi erant & ſaluandi; quod cùm eſſet à Deo præuiſum, & ipſi inde abſoluto decreto eſſent electi, fieri non poterat vt perirent. Simili modo dicere poſſemus Dominum feciſſe ſigna, quibus etiam reprobi Phariſæi, ſi fieri poſſet, conuerterẽtur. Et Ioan. 12. dicitur Iudæos non potuiſſe credere, quia prædictum erat ab Iſaia excæcandos fore; iſta enim in ſenſu compoſito exponenda. Non tamen inde colligimus illos abſoluto decreto reprobatos. Nec obſtat quòd Deus propter illos rerum curſum diſponat, tribulationes illas abbreuiando. quia id etiam facere poteſt, etiamſi non ſint ita electi. Omnia enim potiſſimùm dirigit ad hominum ſalutem, & multa non permittit, ne peruertantur ij, quos ſcit alioquin fore ſaluos. Hoc tamen non eſt ſignum illos abſoluta voluntate electos ante præuiſionem futurorum.

Exponuntur quædam loca Matth. 24.

Illud, *Ego ſcio quos elegerim*, non vrget. Senſus enim eſt, Ego ſcio quales ſint quos elegi; nimirum vnum ex illis eſſe proditorem; vnde non omnes dico mundos, aut beatos eſſe. Itaque non agitur de electione ad vitam æternam; ſed ad Apoſtolatum, vt Euthymius & alij exponunt. quod confirmatur; quia electionem illam Dominus nuſquam ſibi tribuit, ſed Patri, vt Matth. 20. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* & cap. 24. *Venite benedicti Patris mei*, &c. & cap. 11. *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Luc. 12. *Complacuit Patri meo dare vobis regnum*, & alibi. Ratio eſt, quia Chriſtus loquitur hîc vt homo; illa autem electio eſt æterna. Deinde quia,

Locus Ioannis 13. explicatur.

Patri tribuitur prouidētia & gubernatio rerum: illa autem electio eſt pars prouidentiæ. Si tamen quis velit cum D. Auguſtino & Beda accipere de electione ad vitam æternam, non obſtat, ſed potiùs fauet noſtræ ſententiæ. Non enim dicendum eſt, voluiſſe Dominum inſinuare defectum ſuæ electionis eſſe cauſam cur Iudas non ſit vel erit beatus; quod tamen ſignificaretur, ſi ageretur de illa electione antecedente; ſed contrà potiùs Iudæ improbitatem eſſe cauſam cur ipſum non elegerit. ſenſus enim erit, Non dico Iudam fore beatum; quia ſcio eius improbitatem, in qua perſeuerabit, ob quam illum non elegi ſed reprobaui. Non enim voluit Dominus apertè dicere, Scio vnum ex vobis in malitia permanſurum; idcircò non omnes dico beatos; ſed tectè, Scio quos elegerim. volebat innuere præſentem malitiam Iudæ, in qua eſſet permanſurus. Sed prior expoſitio eſt germanior.

Explicatur locus Luc. 12. Ad ſecundum: Loquitur ibi Dominus de complacentia, non qua 28
Pater velit ipſis dare regnum abſolutè (id enim fuiſſet contra ipſius propoſitum) ſed ſub conditione. Habent enim omnes huiuſmodi S. Scripturæ locutiones tacitam vel expreſſam conditionem; *ſi perſeueraueritis.* Promiſſiones enim vitæ æternæ ſunt conditionatæ, vt Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 20. docet; ac proinde etiam omnis voluntas diuina illam conferendi, quæ in Scripturis nobis eſt reuelata. Si enim non eſſet voluntas conditionalis, æquè certos ac ſecuros redderet ſalutis, atque promiſſio abſoluta. Senſus igitur illius loci eſt: Hortatur Dominus ſuos vt deponant vanam temporalium ſollicitudinem; imò vt ſuas poſſeſſiones vendant, & in pauperes conferant; nec idcircò metuant neceſſaria defutura: *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex*, ne vitæ neceſſaria vos deficiant; quia ſi Patri veſtro complacuit dare vobis ſuum regnum, rem ſcilicet maximam, quanto magis adiiciet quærentibus regnum Dei iſta temporalia, quæ ſunt minima? Quòd nō loquatur de decreto abſoluto, patet Primò, quia hęc non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad omnes diſcipulos dicta ſunt; vt perſpicuum eſt ex antecedentibus: imò ad omnes in ipſum credentes & credituros, vt Interpretes exponunt. nam cetera, quæ ibi dicuntur, ad illos omnes pertinent. atqui certum eſt non omnes credentes eſſe electos. Omitto quòd inter illos etiam fuerit Iudas. Secundò, quia alioquin Chriſtus ibi intēdiſſet omnibus ſuis diſcipulis reuelare ſuam prædeſtinationem: voluiſſet enim illorum mentibus commendare illud Patris beneplacitum, & eximium illum fauorem, vt non dubitarent ipſum etiam in temporalibus non defuturum. At quis credat

aut

aut hanc Domini mentem fuiſſe, aut diſcipulos omnes illud arcanum ſciuiſſe? Tertiò, quia volebat eos excitare ad opera perfectionis, ad paupertatem, eleemoſynam, contemptum rerum humanarum, & ſimilia difficilia. at reuelando eis ſuam electionem potiùs dediſſet occaſionem licentioſæ vitæ. Deniq; etſi ibidem dicatur Deum velle dare iſta temporalia, tamen non vult abſolutè, ſed ſub conditione; Si nos etiam operam aliquam congruam adhibuerimus: ergo idem cenſendum de regno. habet ergo illa ſententia tacitam conditionem, Si nimirum perſeueraueritis, &c. Solùm enim oſtendit præſentem amorem Patris in eos conceptum, eò quòd Filio adhærent; qui amor tantus eſt, vt velit eis dare regnum, ſi in Filij fide & obedientia perſtiterint: inde colligens & docens multò magis daturum iſta temporalia.

In illo autem loco Matth. 11. Dominus gratias agit Patri quòd ei placuerit myſterium regni Dei, hoc eſt Filium ſuum, reuelare non ſapientibus & potentibus huius ſęculi, ſed paruulis. Itaque non agitur ibi de electione ad regnum, ſed ad fidem Chriſti. Idem beneficiũ pertinet ad omnes in Chriſtum credentes. omnes enim trahuntur & diſcunt à Patre; vt conſtat Ioan. 6. qui tamen non omnes prædeſtinati, aut firmiter ad gloriam electi. *Locus Matthæi 11.* Confiteor tibi Pater, *&c.*

29 Ad tertium: Vita æterna dicitur ibi *gratia*, non quia gratis abſolutè decreta, ſed quia gratia Dei obtinetur, & exiguis operibus, ex gratuito Dei beneplacito eſt conſtituta. Imò totum quod homo ad illam confert, ſi conſideretur quatenus procedit à natura hominis, eſt nullius momenti; vt meritò dixerit Cyprianus, *In nullo gloriandum, cùm nihil ſit noſtrum.* Hoc igitur ſenſu dicitur gratia. ſicut ſi magnus Monarcha alicui propter paruum obſequium promitteret & daret ſtatum regium, quis non dixerit hoc totum eſſe gratiã principis? Si aliquid poſſemus per naturam quod vita æterna ſit dignum, iam non poſſet ipſa dici gratia, ſed merces tantùm & ſtipendium. Sicut ſtipendia peccati mors: quia ex nobis illam meremur. Illud Pſalm. 102. non eſt intelligendum de corona gloriæ, ſed de beneficiis huius vitæ, quibus nos *coronat*, id eſt, vndique cingit & quaſi vallat. Accedit, quòd Propheta ibi loquatur de ipſa executione & collatione beneficij. at fide certum eſt, gloriam non dari ſine meritis. quare iſte locus non facit ad propoſitum. *Locus ad Romanos 6. explicatur.*

30 Ad quartum: Illud *ſecundùm propoſitum*, non ſignificat electionem abſolutam ſaluandorum, ſed gratuitum Dei beneplacitum. quod probari poteſt Primò, quia iuxta Apoſtolum omnes fideles *Ad Rom. 8. explicatur.* Secundum propoſitum *quid ſit.*

electi & vocati ſunt ſecundùm propoſitum. nam paſſim Apoſtolus illam particulam addit, cùm de electione aut vocatione ad fidem loquitur, vt patet ad Rom. c. 4. & 9. ad Epheſ. 1. v. 5. & 11. 2. ad Timoth. 1. Idem propoſitum vocat B. Petrus epiſtola 1. c. 1. *præſcientiam. Electis aduenis ſecundùm præſcientiam Dei Patris*, &c. Idem propoſitum ſignificare videtur Apoſtolus Paulus ad Rom. 8. cùm ait, *Quos præſciuit.* & cap. 11. *Non repulit plebem ſuam quam præſciuit.* Itaq; pertinet ad omnes fideles. Secundò, quia Apoſtolus illud *ſecundùm propoſitum*, opponit ei quod *ex operibus*, vt colligitur ex locis citatis, maximè 2. ad Timoth. 1. vbi ſic ait: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia.* Nihil ergo eſt aliud vocari ſecundùm propoſitum, quàm non ſecundùm opera, ſed ex gratuito Dei beneplacito; quod ad omnes fideles pertinet. Vnde Apoſtolus non ſolùm ibi de ſe & Timotheo loquitur, ſed abſolutè de omnibus in Chriſtum credentibus. Tertiò, quia ad Rom. 8. Apoſtoli ſcopus eſt omnes fideles Romæ degentes hortari ad patientiam in perſecutionibus, & non ſolos prædeſtinatos. Omnia enim quæ habentur in iſto capite ad omnes fideles pertinent.; quod quia maximi eſt ſolatij, paulo fuſiùs oſtendere decreui. v. 14. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Manifeſtum eſt hæc omnia ad omnes iuſtificatos pertinere. Ne quis autem putet ſe iam eſſe ſecurũ eò quòd ſit filius & heres; oſtendit hanc hereditatem Dei & cohereditatem cum Chriſto non eſſe præparatam niſi ſub certa quadam conditione; vnde ſubdit: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Ad quam conditionem præſtandam inducit illos tribus potiſſimũ rationibus. Prima, ex magnitudine gloriæ cui nulla tribulatio poſſit conferri; *Exiſtimo enim*, inquit, *quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, &c. quam dicit eſſe tantam, vt in omnem creaturam ſit redundatura, adeò vt omnis creatura exſpectet reuelationem gloriæ filiorum Dei. Secunda, ex auxilio Spiritus ſancti, qui noſtram infirmitatem adiuuat. Tertia, ex eo quòd diligentibus Deum omnis tribulatio cooperetur in bonum, ijs, inquam, qui non ex operibus, ſed gratuito Dei beneplacito vocati ſunt; quod

addit,

addit,ne quis putet hæc in Iudæos competere,qui operibus legis gloriantur, & ſe Deum diligere putabant, ſed in ſolos fideles. Deinde probat & explicat quomodo omnia illis in bonum cedant. *Quos enim præſciuit*, &c. quem locum dupliciter explicare poſſumus. Primò,ſicut ſuprà num.6. ex multorum Patrum ſententia explicuimus; & ita maximè fauet noſtræ ſententiæ. Secundò, vt *præſciuit* ſignificet dilectionem, & curam quam Deus ab æterno habuit erga iuſtificatos. quod magis videtur eſſe ex mente Apoſtoli, & ſequitur D. Auguſtinus: & ſic ſenſus erit, Diligentibus Deum in fide Chriſti omnis tribulatio in bonũ cedit, &c. quia hos Deus ab æterno dilexit & prædeſtinauit vt Filio ſint cõformes. Quare ſicut Filio eius omnis afflictio & perſecutio verſa eſt in gloriam; ita & illis fiet. Itaque hæc ſententia ad omnes iuſtificatos pertinet, cùm ſit probatio prioris. quod etiam docent omnes Patres & Doctores à nobis ſuprà num. 7. citati. Vnde non loquitur hîc de electione abſoluta ad gloriam,ante omnem præuiſionẽ, ſed de electione ad gratiam iuſtificationis: neq; de prædeſtinatione abſoluta & completa, ſed de prædeſtinatione quantùm eſt ex parte affectus diuini,quæ vt compleatur,requirit noſtram cooperationem,& vt Filio compatiamur,ſicut antè dixit Apoſtolus: vnde non ſit omnino abſoluta & completa reſpectu conformitatis in gloria, niſi præuiſione ſuppoſita conformitatis in tolerantia. Simili modo paſſim in Scriptura accipitur nomen *prædeſtinationis* & *electionis*: ſicq; omnes iuſti dicuntur prædeſtinati & electi, vt ſtatim oſtendetur. Propoſitum enim Spiritus ſancti eſt docere totum negotium noſtræ iuſtificationis, non ex noſtris meritis, ſed ex ſola gratuita Dei miſericordia pendere,idq; non tantùm in ordine intentionis, ſed etiam & maximè in ordine executionis. quod ſanè de gloria obtinenda dici non poterat.

Omnes iuſti prædeſtinati & electi phraſi S. Scripturæ.

31 Sequitur in Apoſtolo, *Quos autẽ prædeſtinauit*,&c. Declaratur hîc modus quo diligentibus Deum vocatis ſecundùm propoſitũ omnia cedant in bonum. Quia hi ſunt quos ipſe ab æterno prædeſtinauit vt ſint Filio conformes: quos autẽ prædeſtinauit, hos ſuo tempore vocat; & quos vocat, hos etiã iuſtificat; & quos iuſtificat, hos & glorificat. Sed hîc rurſus intelligẽda conditio; *Si in iuſtitia permanſerint, ſi Filij patientiam imitati fuerint.* Solùm enim vult oſtẽdere quid Deus ex parte ſua firmiſſimè de iſtis ſtatuerit. vnde certiſſimè illa faciet, niſi ipſi ex parte ſua defuerint, & ſe illius benignitati ad gloriam dirigenti ſubtraxerint. Hac enim ratione eos efficaciter ad tolerantiam & conformitatem paſſionum Chriſti excitat. at parum excitaret, ſi

nulla cōditio ex parte illorum requireretur, & omnia illa vt abſolutè decreta, forent intelligenda. Diceret enim quiſque fidelium: Ego ſum iam vocatus & iuſtificatus; abſolutè mihi decreta eſt gloria; quid opus eſt vt multum patiar in poſterum? non enim poſſum fruſtrari eo quòd mihi abſolutè ante omnem operum præuiſionem eſt præparatum.

Sequitur in Apoſtolo: *Quid ergo dicemus ad hac, Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hæc etiam ad omnes iuſtificatos in Chriſto pertinét. Duo erant quæ poterant fideles turbare. Alterum, quòd viderent totum mundum cum tota ſua potentia & ſapientia contra ſe inſurgere; alterum, conſideratio præcedentium peccatorum, ob quæ poterant timere ne apud iuſtitiam diuinam accuſarentur. Vtrumq; remouet Apoſtolus: Primum oſtendendo non eſſe timendum, eò quòd Deus ſtet à nobis, qui ſummo amore nos complectitur, vt qui Filium proprium & omnia cum illo nobis donarit. Si enim Flium ad noſtram ſalutem miſit, non eſt dubitandum, quin vniuerſam creaturam quoque ad eamdem promouendam direxerit. Et hoc ſenſu alibi dicit Apoſtolus, *omnia eſſe propter electos*. Secundò, declarando ipſos eſſe electos & iuſtificatos à Deo; at *quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* Neque hoc ſolùm, ſed Chriſtus Ieſus Filius Dei ſua morte ſatisfecit pro nobis; neque ſolùm ſatisfecit, ſed etiam in gloria Patris interpellat pro nobis. Quid his ampliùs cogitari vel deſiderari poteſt ex parte Dei, vt ſecuri ſimus? Vnde concludit: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti?* nempe qua Chriſtus nos diligit: de hac enim agitur. Nihil poterit efficere, vt Chriſtus aut Deus propter Chriſtum nos non diligat, non iuuet, non protegat. hæc omnia ad omnes iuſtificatos pertinent.

Dices, Apoſtolus in fine ſic ait: *Certus ſum quia neque mors, neque vita,* &c. *neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ergo loquitur de ſolis prædeſtinatis. Reſponderi poteſt, illud *certus ſum*, idem eſſe quod mihi perſuadeo; eſt enim Græcè πέπεισμαι, perſuaſus ſum, exiſtimo, confido, quod verbum non ſignificat certitudinem, ſed exiſtimationem & confidentiam, vt ad Hebræos 6. ver. 9. *Confidimus de vobis meliora chariſſimi, etſi ita loquimur*, Græcè πεπείσμεθα. Ad Philippen. 1. v. 6. *Confidens hoc ipſum*, &c. πεποιθώς, &c. & alibi paſſim. Ita multi recentiores. Sed puto rectè verti hoc loco, *Certus ſum*. nam etiam in

certiſſima perſuaſione hoc verbum πέπεισμαι locum habet. Dico igitur de omnibus iuſtificatis certum eſſe, nullam creaturam poſſe efficere vt Deus eos deſerat, aut minùs diligat, quantumuis ab eo videantur derelicti & abiecti; ſi nimirum priùs ab eo ſua voluntate non receſſerint. Itaque & hîc ſubeſt tacita conditio, niſi nos ipſi noſtra libertate à Deo ſeparauerimus, vt inquit B. Bernardus ſerm. de duplici baptiſmo. Loquitur enim Apoſtolus de magnitudine & firmitate amoris diuini ex parte Dei & Chriſti. Hanc vtile eſt fidelibus noſſe; quia incredibilem adfert conſolationem, & animum accendit ad omnia amore Chriſti fortiter perpetienda. perſuaſio verò de abſoluta electione ante omnem operum præuiſionem, neſcio ad quid ſit vtilis, niſi ad licentiam vitæ & deſperationem.

Denique confirmantur hæc omnia; quia ſupradicta Apoſtoli oratio, eſt vehementiſſima quædam & ardentiſſima exhortatio ad patientiam in perſecutionibus; ergo non pertinet ad ſolos illos abſoluto decreto electos, ſed ad omnes fideles. Conſequentia patet; quia non ſolùm frigida, ſed etiam inſulſa eſſet talis exhortatio: Eſtote patientes in perſecutionibus, quia illæ omnes cedent vobis in gloriam, ſi eſtis ex illis abſolutè electis ante operum præuiſionem: ſi autem ex illis non eſtis, cedent in maiorem ruinam. Eſtote bono animo; ſi eſtis ex illis electis, Deus pro vobis eſt, Deus vobis omnia donauit, nemo vos poterit accuſare, nulla creatura à Dei charitate ſeparare, &c. Et tamen talis planè erit exhortatio Apoſtoli, ſi verum eſt ipſum de talibus ſolùm loqui. Ex dictis perſpicuum videtur, illa verba Apoſtoli, *prædeſtinatio, electio, præſcientia, ſecundùm propoſitum, prædeſtinati, electi, præſciti à Deo, vocati ſecundùm propoſitum*, ad omnes iuſtificatos pertinere; quod etiam in ſequentibus ampliùs oſtendetur.

32 Ad quintum: Ex illo loco nihil poteſt colligi pro iſta electione ad gloriam ante præuiſionem operum. Primò, quia Patres Græci, & multi Latini ita exponunt illud, *non ex operibus*, vt ſolùm excludantur opera iam facta, non autem opera præuiſa. Secundò, quia illi qui omnia opera etiam præuiſa ibi excludi volunt (vt D. Auguſtinus, & multi ipſum ſecuti) non interpretantur de electione vel dilectione abſoluta ad gloriam, ſed ad gratiam iuſtificationis, idque meritò. alioquin oporteret fateri etiam Eſau, & conſequenter omnes damnandos eſſe reprobatos ante omnem operum præuiſionem. quod ſanè duriſſimum eſt. Sic enim verè ac propriè dici poſſet: Deus ante omnem operum præuiſionem ex ſe & mero ſuo beneplacito iſtos paucos dilexit, & hanc innumerabilem multitudinem odio habuit: quod

Explicatur cap. 9. ad Romanos.

quod adducit ex Scripturis quibus dicitur *amare animas, & nihil odiſſe eorum quæ fecit.*

Quomodo Iacob prælatus ipſi Eſau.

Alij, & melius exponunt de electione ad beneficia huius vitę, partim temporalia, partim ſpiritalia. Cùm enim Deus elegiſſet Iacob & poſteritatem ipſius, vt ex illis naſceretur Chriſtus, ſtatuit illos ſingularibus beneficiis proſequi, & diſponere ad Chriſti aduentum: idque non intuitu operum, ſed ex ſuo beneplacito. Ex hac electione proceſſit illa populi intra breue tempus multiplicatio: deinde liberatio ex Ægypto, ſuſtentatio in deſerto, legiſlatio, ſacerdotium, inſtructio, protectio ſingularis in mille difficultatibus, tot diuinæ apparitiones, tot præſentiæ numinis exhibitiones, quibus Deus inter eos aſſiduè verſari videbatur, tot victoriæ, tot triumphi, tot ſpolia & trophæa, tot regnorum deletis incolis fortiſſimis poſſeſſiones, tot iudices & ſacerdotes, & reges diuinitus electi & adiuti, tot prophetæ & ſapientes, qui diuinam voluntatem populo annuntiabant. denique ipſe Sanctus Sanctorum cum ſanctiſſima ſua Matre, Præcurſore, & Apoſtolorũ choro, qui omnes ex illa ſtirpe. Eſau verò & eius poſteris non præparauit tam eximia beneficia, quamuis ipſe primogenitus eſſet; ſed communem quamdam prouidétię & donorum menſuram. hinc factum eſt, *vt maior ſeruiret minori*, hoc eſt, poſteritas Eſau, qui ſunt Idumæi, poſteris Iacob ſeu Iſraëlitis. hi enim maioribus à Deo fauoribus euecti, longè potentiores fuere, & Idumæos debellarunt.

Scopus Apoſtoli in hoc capite.

Verùm vt meliùs intelligatur totum Apoſtoli in hoc capite diſcurſum nihil illi ſententiæ fauere, notandum eſt non eſſe ſcopum Apoſtoli (vt multi putant) oſtendere Deum in vocatione ad fidem, aut electione ad gratiam iuſtificationis, non habere vllam rationem operum bonorum aut malorum etiam internorũ, ſed omnia facere ex nudo beneplacito ante omnem operum præuiſionem concepto: non iſta eſt mens eius. Quorſum enim iſta doctrina pertineret, niſi ad inijciendam hominibus deſperationem, & Deum accuſandi, ipſiq́; incredulitatem & iniuſtitiam ſuam imputandi? Neque enim hoc modo excitaret ad fidem Chriſti, quod ipſe intendit, ſed torporem induceret, & ſupinam quamdam oſcitantiam à Deo omnia expectantem, ſi fortè ipſi ſint inter illos electos. Sed ſcopus eius eſt docere Deum in conferenda ſalute, gratia iuſtificationis, & donis Spiritus ſancti, non habere rationem operum externorum præſertim legis, quæ Iudæi tanti faciebant, & ob quæ putabant ſibi omnia deberi, eſſeque omnibus aliis præferendos; ſed fidei tantùm & interni affectus in Deum & Chriſtum. Itaque fit comparatio inter gentes fide

præ-

præditas, abſque operibus externis, & inter Iudæos habentes opera legis, & illis nitentes. id ita eſſe patebit ex tota deductione Apoſtoli. Primùm dicit ſe graui mœrore affici, quòd videat Iudęos fratres ſuos, quorum ſunt tam eximia priuilegia diuinitus collata, expertes gratię Chriſti & veræ iuſtitiæ: non tamen idcircò, inquit, putandum verbum Dei, quo filiis Abrahæ & Iſraëlitis promiſit ſalutẽ, eſſe irritum, & non impleri. quia hæ promiſſiones qua parte ſpiritales ſunt, non pertinẽt ad filios Abrahę carnales, ſed ad filios eius ſpiritales, qui ſunt omnes credẽtes ſiue ex Gẽtibus, ſiue ex Iudæis. Hi enim dicuntur *filij Abrahæ*, quia fidem eius imitãtur: & *filij promiſſionis*, quia non virtute naturali, ex ipſo deſcẽdunt, ſed vi diuinę promiſſionis & gratiæ. Sicut enim promiſſiones diuinæ quà terrenæ pertinent non ad Iſmaël & eius poſteros, qui virtute naturali ex Abraham deſcendunt; ſed ad Iſaac (qui virtute diuinæ promiſſionis conceptus eſt) eiuſq; poſteros per Iacob: ita qua parte ſunt ſpiritales, & ſpectãt gratiam iuſtificationis & bona cęleſtia, pertinẽt non ad filios Abrahę carnales ſed ſpiritales (qui ſunt omnes illi, qui fidem eius imitantur) & in his cõplentur. *Ad quos pertineãt diuinæ promiſſiones.*

Idem oſtendit exemplo gemellorum Rebeccæ. Sicut enim non ex operibus minor (nempe Iacob, & eius poſteri qui ſunt Iſraëlitæ ſecundùm carnem) prælatus eſt maiori (ipſi Eſau & eius poſteritati, qui ſunt Idumæi) & benedictio quæ maiori debita videbatur, tranſlata eſt in minorem & Iſraëlitas ſecundùm carnem: ita Iſraëlitæ ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, credentes in Chriſtum (qui obedientiam & patientiam Iacob imitantur, & Deum per fidem tamquam veri Iſraël filij vident) prælati ſunt Iudæis incredulis, qui ſunt ſpiritales Idumæi terrenis addicti, & ſanguine Prophetarum, filij Dei, & Apoſtolorum eius rubricati: & benedictio quæ videbatur debita Iudæis tamquam primogenito & maiori filio, tranſlata eſt ad Gentes fidem amplexas, veluti ad filium minorem: idq; non propter opera externa & legalia, qualia Gentes non habebant, ſed ex diuina vocatione & fauore, cui placuit nullã habere rationem operum legis, ſed ſolius fidei & internæ diſpoſitionis animi, quę ex gratia ipſius proueniebat. Hæc eſt legitima huius loci expoſitio, & vera allegoria iſtorũ geminorum. ita enim debet iſtud exemplum applicari vt congruat cum exemplo priore; quia idem vtroque intenditur, & ad eamdem rem confirmandam vtrumque adducitur. quod etiam inde conſtat, quia Gentes in infidelitate conſtitutæ, non ſunt veri Iſraëlitæ, nec poſſunt allegoricè per Iſraël deſignari; ſed tantùm fideles. ergo hi ſoli comparantur cum Iſraël carnali operibus nitenti & glorianti.

Quomodo autem (hiſtoricè loquendo) minor ſit prælatus maiori non ex operibus, ſed ex vocante, iam dictum eſt. Loquitur autem de operibus iſtorum geminorum: *Antequam*, inquit, *aliquid boni feciſſent, vel mali.* Dictum enim id fuit priuſquam eſſent nati, cùm in vtero colliderentur, & hac ſua colliſione futuram diſſentionem & inimicitias ac bella diuinitus præſignarent; vt ex Geneſi cap. 25. conſtat. Dictum autem id eſt, non ante præuiſionem operum, ſed ante opera re ipſa facta, vt Deus oſtenderet ſe operum iſtorum geminorum ratione͂ non habere. Itaq; non ſequitur ſeruitutem Idumæorum fuiſſe decretam à Deo ex ſolo beneplacito abſque reſpectu ad eorum peccata. id enim falſum eſt. nam eos propter ſua peccata permiſit Deus, tum à Chaldæis, tum à Iudæis vaſtari; vt ex Malachia & Machabæorum libris conſtat. Simili modo quòd Iudæi modò ſeruiunt Chriſtianis, eſt propter illorum peccata. nam propter illa euerſi ſunt, omniq; imperio exuti, & diſperſi per orbem, & in ſeruos venditi; vt ex cap. 23. Matth. & aliis ſacræ Scripturæ locis colligitur.

Odium quid deſignet. Illud autem, *ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui*, hiſtoricè dupliciter exponi poteſt. Primò, vt intelligatur id factum non ex operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito: & ſic nomine *odij*, non poſſumus accipere verum odium quo velit malum Eſau, vel eius poſteris, ſed minorem amorem, qui comparatione fauoris impenſi alteri, poſſit dici odium. Sic Dominus Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & vxorem & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* id eſt, qui non minùs amat iſta quàm me, qui hæc mihi non poſtponit. Et Geneſ. 29. cùm Scriptura dixiſſet, Iacob magis dilexiſſe Rachelem quàm Liam; paulò pòſt ſubiungit: *Videns Dominus quòd odio haberet Liam*, ſic enim habent 70. ὅτι μισεῖται ἡ Λεία. noſter vertit *deſpiceret Liam.* Vbi nihil aliud ſignificatur, quàm minor amor in Liam, quæ tamen maiore digna videbatur, eò quòd eſſet prior & fecũdior. Cùm enim minora ſigna amoris oſte͂dimus ei, qui maiore dignus videbatur, ita nos gerimus ac ſi eum odiſſemus. Itaque cùm Eſau eſſet primogenitus, ac proinde maiori videretur benedictione afficiendus quàm Iacob; Dominus contrarium fecit, & in Iacob abundantem benedictionem effudit; in Eſau longè minorem, & hoc ſenſu dicitur Eſau odio habitus. Conſentit vulgaris modus loque͂di. Secundò, vt dilectio quidem ſit ex beneplacito: odium verò ex peccatis. quo modo *odium* accipitur pro vero odio, ſeu voluntate inferendi mali. qui ſenſus videtur conformior Scripturæ. Nam locus Malachiæ quem hîc Apoſtolus

lus adducit, loquitur de odio illo, quo Deus Idumęos per Chaldęos vaſtari permiſit, & vaſtatos noluit reſtitui, ſicuti reſtituit Iſraëlem. Illa autem vaſtatio & non reſtitutio ſtatuta fuit in pœnam peccatorum. Dilectio tamen qua proſecutus eſt Iſraëlem, non erat ex meritis ipſorum, ſed ex gratuito Dei beneplacito; vt antè dictum eſt. Solùm vult Apoſtolus oſtendere teſtimonium Malachiæ congruere cum illâ Dei prædictione. Hæc de ſenſu hiſtorico.

Pergit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? Nũquid iniquitas apud Deum?* vt qui operum rationem non habet, ſed eos qui carent operibus, præfert iis qui opera habent? Reſpondet, *Abſit.* quia vt ipſe Moyſi ait, poteſt miſereri cui voluerit. Sicut enim ex iis qui peccarant vitulum adorando, pepercit quibus ipſi placuit, & puniuit quos placuit: ita, cùm & Iudęi & Gẽtes peccauerint, poteſt dare ſuam gratiam quibus ipſi placet (placet autem dare credentibus) & denegare quibus placet, nimirum Iudæis incredulis, etſi opera habeant. Hinc infert: *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, nimirum aſſequi diuinas promiſſiones, & veram iuſtitiam. *Volentis*, inquam, & *currentis*, ſicut Iudæi volebant & currebant, nimirum per opera legis & obſeruantias externas. ſed *miſerentis Dei*, quia ſtatuit eas implere in credentibus. Ita hunc locum explicat diſertè Apoſtolus infrà v. 30. cùm ait: *Quid ergo dicemus? quòd gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem quæ ex fide eſt.* Ecce quid ſit *miſerentis Dei. Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Ecce quid ſit *volentis*, & *currentis*.

34 Sequitur, *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitaui te*, &c. id eſt, Ideò poſui te in regno, vel ideò te excitaui in certamen mecum, *vt oſtendam in te potentiam meam.* quod non eſt ita intelligendum quaſi oſtenſio potentiæ fuerit primarius finis cur Deus illum in regno tolerauerit, vel ſtatuerit affligere (cõtrarium enim conſtat ex cap. 12. Sapientiæ.) ſed cùm Deus primariò intenderet illius emendationem & obedientiam, & ſciret ſe ſuis flagellis nihil effecturum, ſtatuit tamen pergere; quia præuidebat inde ſaltem hoc boni conſecuturum, vt omnes cognoſcerent diuinam potentiam in variis illis afflictionibus inferendis, & maximè in liberatione populi per mare Rubrum, & ſubmerſione Pharaonis totiuſque exercitus illius; & hac ratione Deum timere diſcerent, qui tam potenter ſeruos ſuos nouit liberare, & inimicos delere; in illos vti miſericordia, in hos ſeueritate & iuſtitia.

Cur Deus flagellarit Pharaonem.

Hinc rurſus concludit Apoſtolus: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* quod non eſt ita crude accipiendum, quaſi nulla requiratur ex parte hominis ratio, cur Deus *miſereatur*, vel *induret*, hoc eſt, à peccatis liberet, vel in peccatis indurari permittat. non eſt ea mens Apoſtoli; ſed reſpicit ad Iudæos incredulos, & Gentes credentes. Illos enim ſinit in peccatis ſuis & infidelitate obdurari; quia tantis beneficiis, quibus alliciuntur ad Chriſtum, videt eſſe rebelles: horum verò vult miſereri, quia fidem Chriſti amplectuntur. Simili modo Pharaonem voluit ſinere obdurari, & Iſraëlitarum miſereri.

Induratio.

Quid ergo adhuc queritur, &c. Inducit Iudæum obiicientem & accuſantem Deum, quaſi iniuſtè conqueratur & indignetur (vtrumque enim verbum μέμφε) indicat) Iudæis non credentibus, ſi ipſe obdurat quos vult: quia voluntati eius nemo poteſt reſiſtere. Ad hoc reſpondet Apoſtolus dupliciter. Primò, à Deo, cùm ſummum ius in omnes habeat, non eſſe factorum exigendam rationem. Secundò, explicando quales, & quo modo induret, & ob quem finem. Reſpondet autem perinde ac ſi obiectum eſſet Deum non iuſtè obduraſſe Iudæos (ad hoc enim ipſa obiectio tacitè tendebat) ſed ita reſponſionem moderatur, vt ex ea etiam conſtet eum iuſtè conqueri de obduratis. Dicit ergo: *O homo tu quis es*, qui cum Deo contendas & rationem operum ab ipſo exigas? poteſtne figmentum petere rationem ab artifice, & queri de iniuria ſibi facta, quòd talem formam ab eo acceperit? An figulus ex eodem luto non poteſt facere aliud vas ad vſus honoratos, aliud ad infimos? pari modo poteſt Deus iure ſummi dominij Gentium miſereri, & Iudæos ob incredulitatem indurare.

Quomodo Deus induret.

Quòd ſi Deus, &c. Hæc eſt altera reſponſio, qua clariùs oſtendit quomodo nulla, ratione indurationis, ſit in Deo iniquitas. nimirum quia non indurat impertiendo malitiam, aut faciendo vaſa iræ, ſed ſuſtinendo in multa patientia eos, qui ex ſe erant vaſa iræ, & aptati in interitum. Sed quare ſuſtinuit? primariò quidem vt conuerterentur, & pœnitentiam agerent; quod inſinuat illud, *In multa patientia*: & patet ex innumeris beneficiis, monitis, & præſidiis ſalutis illi populo præ ceteris à Deo collatis, tum per Prophetas, tum per Apoſtolos, tum per ipſum Filium: & ex teſtimonio Domini Matth. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Nulli enim vmquam genti tanta beneficia ſalutiſque adminicula fuere diuinitus conceſſa. Primarius ergo finis cur

eos ſuſtinuerit, fuit pœnitentia, & illorum ſalus. Verùm cùm Deu ſciret illos ſemper fore rebelles,iuxta illud Actor.7.*Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis,ſicut patres veſtri,& vos*. Secundarius finis,& potiùs conſecutus quàm directè intentus, fuit oſtendere iram & iuſtam vindictam eos deſerendo & delendo per Romanos. Cùm autem in incredulos oſtendit iram,magis eluxit miſericordia in credentes. hæc eſt mens Apoſtoli, & ita totum hunc diſcurſum explicat Chryſoſtomus hom.16. in epiſt. ad Rom. Eſt autem ſententia ſuſpenſa ; vnde ſupplenda ſubaudiendo, *Quid habes quod calumnieris?* vel quid ſimile. Eòdem pertinent quæ Apoſtolus habet ad Rom. 2. ver. 4. *An diuitias bonitatis eius,& patientiæ,& longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei*, &c. Vbi clarè exprimit, finem quem Deus propriè intendit in ſuſtinendis peccatoribus, eſſe conuerſionem illorum. & ſatis indicat oſtenſionem iræ eſſe ſolùm quid conſequens, & ad illum finem patientiam Dei, qua ſuſtinet peccatores, non ordinari.

35 Sequitur in Apoſtolo, *Quos & vocauit non ſolùm ex Iudæis*, &c. Declarat hanc oſtenſionem iræ in incredulos,& miſericordiæ in credentes, cuius proximè fecerat mentionem (nam omnes credentes ibi vaſa miſericordię vocãtur) fuiſſe prænuntiatam à Prophetis:allato teſtimonio Oſeę,quo prædiciturGentes cõſecuturas miſericordiam, & fore populum Dei,& filios Dei viuentis ; & Iſaiæ, quo ſignificatur excidium Iudæorum ob incredulitatem,& paucitas ſaluandorum ex ipſis. quibus declaratis ſubdit, *Quid ergo dicemus?* &c. id eſt, Quid ex his omnibus concludemus? quid reſpondebimus ad quæſtionem propoſitam,cur Deus Gentes quæ non quærebant iuſtitiam elegerit, Iudæos illam quærentes reiecerit? Deinde reſpondet apertè: & ſumma eſt, quia Gentes etſi nihil antè cogitarent de iuſtitia, ſuſceperunt fidem Chriſti, & ita per fidem apprehenderunt veram iuſtitiam, & facti ſunt filij Dei. Iudæi autem credere noluerunt,& ita excluſi ſunt à vera iuſtitia, & manent in peccatis, & inimici Dei. Nam placuit Deo iuſtificare homines per fidem Chriſti, non per opera externa legis. Hæc eſt tota cauſa cur Deus Gentes prætulerit Iudæis.prætulit enim illos in donis quæ fidem ſequuntur, non in iis quæ antecedunt. Nam Iudæi longè ampliùs vocati fuere, & maioribus excitamentis ad fidem allecti, quàm Gentiles.

Sed quare Iudæi potiùs credere noluerunt quàm Gentes? Duas inſinuat *Cur Gentes potiùs quàm Iudæi crediderint.*

ſinuat Apoſtolus cauſas. Primò, quia ita inhęrebant externis operibus legis, vt putarent ſe per illa eſſe iuſtos coram Deo; & ita putabant ſe ſuis viribus iuſtificari, & obtinere remiſſionem peccatorum; cùm hæc ſolùm ſit iuſtitia quædam externa, & coram hominibus. Hunc errorem ſæpè Dominus in illis reprehendit, & Apoſtolus ex profeſſo in epiſtola ad Rom. refutat. Hinc fiebat vt veram iuſtitiam contemnerent. Secundò, quia vera iuſtitia non obtingit niſi interuentu fidei in Chriſtum. at ipſi Chriſtum reijciebant: *Offenderunt*, inquit, *in lapidem offenſionis*, vt prædictum erat in Scripturis. idq́; tum quia Chriſtus non apparuit talis externa gloria & ſęculari potentia, qualem ipſi volebant: tum quia ipſorum vitia, auaritiam, hypocriſim, ambitionem, & prauam legis expoſitionem increpabat: tum quia iuſtitiam legis externam, cui ipſi omnia tribuebant, euertebat. Ob has igitur cauſas Chriſtum reiecerunt, eiuſq́; doctrinam contempſerunt. Gentes verò his caruere impedimentis; nullam habebant ſpeciem iuſtitię qua poſſent gloriari, nullum odium in Chriſtum, & peccabãt potiùs ignorantia quàm obſtinata malitia. itaq; facilè fidei doctrinam ſibi explicatam ſuſceperunt. Ob eamdem cauſam pauperes, ſimplices, ignobiles potiùs conuertuntur ad fidem, quàm diuites, ſapientes huius ſæculi, & nobiles. Sed quia iſta impedimenta erant voluntaria, ideò non excuſabantur.

Cur Deus iſtũ modum prouidentiæ elegit.

Petes, Cur Deus tali prouidentiæ modo eſt vſus, ſub quo ſciebat 36
Iudaicum populum periturum; Gentilem verò ſaluandum? Reſpondeo, id ad beneplacitum diuinum eſſe referendum: & ad hoc quidam putant reſpicere Apoſtolum in decurſu iſtius capitis, vſque ad poſtremas periodos. in electione enim talis modi prouidentiæ, conſecutiuè cenſebantur Iudæi reiecti, & Gentes electæ. Explico: Poterat Deus mittere Meſſiam glorioſum, qui populum illum eueheret opibus, gloria & potentia, & alias gentes illi ſubijceret, retenta lege antiqua. quo facto haud dubiè totus ille populus libenter ei adhæſiſſet, & plurimi ex illis ſaluati fuiſſent. Sed non placuit Deo iſte modus, vtpote nimis carnalis; verùm alius longè ſublimior, eiuſque ſapientia & potentia dignior, & ad excellentem perfectionem ſaluandorum multò efficacior. ex quo tamen ſciebat ſecuturum vt Iudaicus populus maximam partem periret, Gentilis verò ſaluaretur. Non tamen propter illorum demerita, vel horum merita, hunc modum elegit; ſed ex ſuo beneplacito, maximis tamen rationibus ſuffulto. Apoſtolus tamen id hoc capite non intendit.

Hæc de ſententia Apoſtoli in cap. 9. ſufficiant. ex quibus perſpicuum

cuum eſt nihil pro illa electione ex hoc capite poſſe colligi, ſed potiùs multa contra illam.

37 Ad Sextum: Iſte locus, *Quis te diſcernit*, difficultatem non habet. Vel enim loquitur de diſcretione per gratias gratis datas (quæ videtur mens Apoſtoli) & ſic nihil ad rem facit; vel loquitur de diſcretione qua fidelis diſtinguitur ab infideli, & iuſtus ab iniuſto, quomodo paſſim intelligit D. Auguſtinus aduerſus Pelagianos diſputãs: & ſic dicendum eſt, iuſtum diſcerni ab impio beneficio diuino. Sicut ſi Rex duobus pauperibus offerret milionem aureorum, & alter acceptaret, alter negligeret: diceretur iſte iam diues & ſplẽdidus diſcerni ab altero beneficio regis; nec ille iam poſſet gloriari, quaſi à ſe, vel ſuis meritis illas opes haberet. Multo minùs iuſti in ſeipſis gloriari poſſunt, cùm nec acceptare quidem diuinum beneficium ſine auxilio gratiæ potuerint. Hæc tamen diſcretio non eſt à Deo ex parte vtriuſq; extremi, quaſi Deus ex ſe hunc elegerit ad gloriam, & ideò conferat illi gratiam; alterum ex ſe non elegerit, & ideò non conferat, ſicut videntur velle, qui hoc teſtimonium obijciunt: ſed ſolùm ex parte alterius qui acceptat, ſicut in exemplo Regis eſt declaratum. Hoc ipſo enim quo iſtud beneficium non eſt ex meritis ipſius, ſed ex Dei liberalitate, diſcernit illum Deus, & diuinum beneficium ab altero; quamuis Deus ex ſe voluerit etiam alteri dare, & reipſa daturus fuiſſet, niſi ille recuſaſſet. Solùm enim vult Apoſtolus oſtendere eum qui accepit, non poſſe gloriari, quaſi à ſe haberet, &c. Nec obſtat quòd requiratur conſenſus hominis, quem cùm iuſtus habeat, non impius, ſeipſum etiam diſcernit ab impio. quia etſi hoc ſit veriſſimum & conſentaneum aliis Scripturæ locis, vbi homo *ſeipſum* dicitur *ſaluum facere, emundare à peccatis, conuertere, facere vas in honorem*, &c. tamen Apoſtolus volens reprimere arrogantiam humanam, & oſtendere nihil eſſe à nobis præciſè in quo poſſimus gloriari, hoc loco iſtud non conſiderat. Nam quòd Deus ſtatuerit iuſtificare conſentientes diuinæ vocationi, eſt ex ſola Dei bonitate, & miſericordia: & iſte conſenſus, vt eſt à nobis, nullo modo illud beneficium meretur. Itaque nihil relinquitur nobis, vnde poſſimus extolli aduerſus alios. *Locus 1. Corinth. 4. exponitur.*

38 Ad Septimũ: Non loquitur ibi Apoſtolus de electione illa abſoluta ad gloriam, aut de ſolis completè prædeſtinatis; ſed de electione ad fidem Chriſti, & gratiam iuſtificationis, quæ eſt communis omnibus iuſtificatis. Quod probatur Primò, quia credibile eſt Apoſtolum ignoraſſe quinam eſſent ſic electi; imò videtur etiam ſuam ipſiuſmet *Locus cap. 1. ad Epheſ.*

ele-

electionem abſolutam neſciſſe; cùm 1. ad Corinth. 9. ita ſcribat: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar.* Secundò, quia cetera quæ ibi habet, pertinent ad omnes fideles; ergo & iſta electio: *Omnibus*, inquit, *ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Deinde gratias agit Deo de eorũ vocatione, iuſtificatione, aliiſque gratiis illis collatis, quæ omnia dicit illis eſſe præſtita ſecundùm æternam electionem & prædeſtinationem ob merita Chriſti: *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos* (Chriſtianos omnes) *in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Si priore loco per *nos*, ſignificantur omnes iuſtificati, vt per ſe notum eſt, & omnes exponunt; neceſſariò etiam ſecundo loco: quia eſt continuatio eiuſdem ſententiæ. Vnde & ſequentia; *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum*, &c. ad omnes iuſtos pertinent. nec video quomodo aliquis contextum Apoſtoli conſiderans poſſit de hoc dubitare. Et infrà de omnibus vocatis ſanctis ex populo Iudaico ait: *In quo & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Denique ſi illa de ſolis completè electis & prædeſtinatis eſſent accipienda, nulla eſſet connexio orationis; & parum ſolatij & vtilitatis illa Epheſiis Chriſtianis adferrent. Agitur ergo de *electione* & *prædeſtinatione* incompleta, quæ immediatè eſt ad gratiam iuſtificationis, ſeu adoptionem filiorum, vt Apoſtolus apertè indicat; mediatè autem ad perfectionem vitæ, ad perſeuerantiam, & ad gloriam. Iuſtificatio enim eſt veluti terminus intrinſecus & immediatus iſtius electionis & prædeſtinationis: reliqua verò ſe habent inſtar finium ad quos prædeſtinatio iſta per iuſtitiam nos dirigit. neque abſolutè illos nobis decernit, niſi ſuppoſita noſtra cooperatione, vel meritis ex gratia iuſtificationis procedentibus.

Electio & prædeſtinatio ſecundùm S. Scripturas ad omnes iuſtos pertinet.

Porrò quòd iſta verba, *electi, prædeſtinati*, paſſim in ſacra Scriptura accipiantur pro incompleta electione & prædeſtinatione, quæ ad omnes iuſtos pertinet, cõſtat clarè tum ex hoc loco, tum ad Rom. 8. & 9. vt ſuprà oſtendimus. Item Rom. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt.* vbi loquitur de omnibus qui ex Iudæis crediderunt. *Saluæ factæ*, id eſt, iuſtificatæ per fidem. *Secundùm electionem gratiæ*, id eſt, per gratuitam electionem, qua gratis, non ex operibus legis ad fidem adducti; vt ipſe Apoſtolus explicat. Et infrà;

Quid ergo? quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt: iuſtitiam videlicet. vbi omnes qui ex Iudæis crediderunt, vocantur *electi*. Ad Rom. 16. *Salutate Rufum electum in Domino.* 1. Corinth. 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus; & infirma mundi elegit*, &c. nempe ad iuſtitiam. Ad Coloſſenſes 3. *Induite ergo vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ*, &c. 2. ad Theſſ. 2. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis*, &c. Ad Titum 1. *Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundùm fidem electorum Dei.* q. d. Sum miſſus ad tradendam doctrinam, quam electi Dei, id eſt fideles, credere debent. 1. Petri 1. *Electis aduenis ſecundùm præſcientiam Dei Patris*, idem eſt quod *ſecundùm propoſitum Dei, & non ex operibus.* Et cap. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, &c. His & aliis locis pleriſque *Electi* dicuntur omnes fideles. Simili modo paſſim accipitur nomen *prædeſtinati*: vt ad Rom. 8. ver. 29. & 30. ad Epheſ. 1. ver. 5. & 11. Nec vſquam puto reſtringi ad ſolos ſaluandos. Propoſitum enim Apoſtolorum erat docere fideles, maximè Iudæos, iuſtitiam non conferri ex operibus præcedentibus, ſed ex gratuito Dei beneplacito. quod ſignificant nomine *electionis*, *prædeſtinationis*, & *propoſiti*. Vnde non ſolùm loquuntur de voluntate intentionis, ſed etiam executionis. De gloria autem, neque verè id docere poterant, neque talis doctrina populo conducibilis, ſed potiùs noxia fuiſſet.

39 Ad octauum hunc locum valdè vrget Caluinus pro ſua electione & reprobatione; ſed facilè reſponderi poteſt. Primò, non ſequi eos fuiſſe præordinatos abſolutè ad gloriam ante omnem præuiſionem; ſed vt ſummùm ſuppoſita perſeuerantia. Cùm enim Deus elegiſſet illos ad iuſtitiam, & ſciret perſeueraturos, etiam elegit abſoluto decreto ad gloriam: vnde cùm ſuo tempore ſunt conuerſi, rectiſſimè dici poterat, crediſſe quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam, ſiue quotquot erant ſaluandi. Secundò, multo veriſimiliùs eſſe, non agi hîc de prædeſtinatione completa, ſed incompleta, quæ eſt ad iuſtitiam. Quod probatur, Primò, quia illa eſt occultiſſima, nec apparet vlla ratio, cur illa ſcriptori fuerit reuelanda. Secundò, cur illud arcanum publicis tabulis ſacræ Scripturæ committeretur, vnde & illi qui tunc crediderunt, maximam habuiſſent anſam deponendi omnem ſalutis ſuæ curam; & qui non crediderunt, deſperandi? Si enim omnes qui erant prædeſtinati, tunc crediderunt; ceteri ergo *Locus Act. 13 expenditur.*

erant reprobi. Cur ergo vel hi vel iſti ſint ſolliciti de benè viuendo? Tertiò, quia non videtur credibile in vrbe celeberrima, nempe Antiochiæ Piſidiæ, non fuiſſe alios prædeſtinatos, præter iſtos qui tūc crediderunt. Quænam ergo eſt illorum verborum ſententia? Videtur aliud nihil ſignificari, quàm eos qui erant pro eo tempore ordinati ad vitam æternam, nimirum per curam & deſiderium ſalutis, quod Deus eorum mentibus iniecerat, tunc credidiſſe, nō alios; quia hāc curam nondum cōceperant. non enim Græcè eſt *προτεταγμένοι*, præordinati, vel *προωρισμένοι*, prædeſtinati, ſed *τεταγμένοι*, id eſt, ordinati, diſpoſiti, benè comparati; quod fit per deſiderium ſalutis. Et quia Deus æterno conſilio id mentibus eorum immiſerat, rectè dici poſſunt præordinati. Hæc interpretatio placet Stapletono in hūc locum contra Caluinum diſputanti, & aliis quibuſdam recentioribus. Vel certè loquitur de prædeſtinatione incompleta, quæ eſt ad fidem & gratiam iuſtificationis: quod mihi videtur valdè credibile. Nam ad hanc paſſim Apoſtolus Paulus refert vocationem & iuſtificationem fidelium; vt ex ſupradictis patet. Non tamen loquitur abſolutè de omnibus, quaſi nulli alij ex tanta vrbe eſſent conuertendi; ſed ſolùm de iis qui pro eo tempore erant ad fidem prædeſtinati.

Ad nonum: Sicut diximus duplicem eſſe electionem & prædeſtinationem, completam ſcilicet & incompletam; ita etiam dupliciter 40 dicitur quis ſcriptus in *libro vitæ*, completè & incōpletè. Non enim dumtaxat nomina nuda, ſed etiam cauſę & geſta ibi ſcribuntur. Omnes igitur iuſti ſcripti ſunt in libro vitæ, ſed pro eo tempore, quo adhuc poſſunt excidere, incompletè: & ita poſſunt deleri; vt apertè colligitur Exod. 32. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Pſal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Apoc. 3. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Eodem modo accipiendum videtur illud Lucæ 10. *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur; gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Non enim videtur credibile, quòd Dominus voluerit LXXII. diſcipulis ibi reuelare ſuam prædeſtinationem completam. Magna profectò res eſt, atque adeò infinitæ æſtimationis, eſſe ſcriptum cæli ciuem, & heredem regni; cum certiſſima ſpe illius obtinendi, niſi nos ſponte noſtra à Dei obedientia ſubtraxerimus. Sicut ſi pauper ſcriberetur heres regni Hiſpaniæ ea lege, vt Principis mandata ad paucos annos ſeruet, maximum inter homines cenſeretur beneficium, & maximo gaudio dignum.

Liber vitæ.

Item ad Philippenſ. 4. *Cum Clemente & ceteris adiutoribus meis, quo-*

quorum nomina ſunt in libro vitæ. Apoc. 20. *Qui non inuentus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* qu. d. Qui tunc non eſt inuentus in numero iuſtorum. Apoc. 21. *Auferet Deus partem eius de libro vitæ.* delebit de numero iuſtorũ. Ex his patet ferè ſemper iſtam Scripturæ formulam intelligi de omnibus iuſtis pro tempore quo iuſti ſunt; ac proinde de ſcriptione incompleta reſpectu illius temporis. Qui autem completè ſcriptus eſt in libro vitæ, deleri nequit, ſicut neque completè prædeſtinatus vel electus damnari. Neſcio tamen, an vſquam Scriptura de viuentibus loquens, ita ſit intelligenda.

Nec obſtat illud Danielis 12. *In illo tempore ſaluabitur populus tuus omnis, qui ſcriptus fuerit in libro.* & Apocal. 21. *Non intrabit in eam, niſi qui ſcriptus eſt in libro vitæ Agni.* quia agitur de iis qui poſt mortem inuenientur in illo libro. Quamuis locus Danielis intelligi poſſit de Iudæis conuertendis, & ſalute quæ in iuſtificatione ſita eſt. q. d. Illo extremo tempore, omnes Iudæi conuertentur, quos Deus ab æterno ad hoc elegit. hinc tamen non ſequitur illos omnes fuiſſe electos abſolutè ad gloriam.

41 Quod ad ſecundum locum attinet: Non ſoli abſolutè electi ad gloriam, ſed omnes iuſtificati dicuntur *dati Filio à Patre*, vt docet Chryſoſt. hom. 44. & hom. 80. in Ioannem, Cyrillus lib. 4 cap. 11. in Ioannem, & lib. 11. cap. 21. Theophyl. in cap. 6. Ioannis, Beda in eumdem locum. nec abhorret D. Auguſtinus tractatu 25. in Ioannem. Omnes enim qui veniunt ad Filium, dantur à Patre, iuxta illud: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* & *Omnis qui audiuit & didicit, venit ad me.* Atqui venire ad Filium; eſt credere in Filium; vt Auguſtinus ſuprà, & alij paſſim exponunt. Ergo omnes qui credunt in Filium, dati ſunt à Patre Filio. *Dari*, igitur, *à Patre Filio*, nihil aliud eſt, quàm trahi à Patre ad fidem, ita vt obediat tractui: ſiue, eſt audire à Patre & diſcere, id eſt, internam Patris inſpirationem admittere, ei aſſentiri. quæ omnia communia ſunt omnibus fidelibus. Porrò voluntas Patris eſt, vt omnes iſtos Chriſtus recipiat in ſuam protectionem, neminem eiiciat foràs, etiamſi barbarus ſit vel Scytha, neminem perdat, id eſt, vt ex parte ſua ita iuuet & protegat, vt nulla vis creata poſſit illis nocere; nempe, ſi cum illo manſerint, ſi ab eius fide vel obedientia ſe non ſubduxerint. *Hæc eſt*, inquit, *voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Vbi apertè de omnibus credentibus loquitur; & ſubeſt eadem tacita conditio, Si manſerint in fide & obedientia Filij.

Dati Filio omnes iuſti.

Hic eſt verus ſenſus huius loci. Reprehendit primùm Dominus Iudæos, quòd Patris teſtimonio, tum interno tum externo, quod per miracula dabat de Filio, non crederent, nec ſinerent ſe dari Filiò, id eſt, ad eius fidem adduci, & ſimul allicit vt Patris tractui non reſiſtāt, propoſitis maximis commodis, quæ inde illis eſſent obuentura.

Idem ſignificatur Ioan. 10. cùm ait: *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Per *oues* D. Auguſtinus & Beda intelligūt prædeſtinatos: quæ expoſitio etſi noſtræ ſententiæ non aduerſetur, tamen probabilius puto cum Patribus ſuprà citatis intelligi omnes fideles, qui Chriſtum paſtorem agnoſcunt, vel agnituri ſunt. Primò, quia Dominus reddit cauſam cur Iudæi nec dictis nec miraculis eius, quæ ipſe poteſtate paterna ad demonſtrandum ſe à Patre miſſum patrabat, credere vellent: *Quia*, inquit, *non eſtis ex ouibus meis.* Vbi accuſat eorum peruerſam voluntatem; & ſenſus eſt: Quia non vultis eſſe ex ouibus meis, non vultis me agnoſcere paſtorem, vt qui inimico in me ſitis animo. Eſt modus loquendi planè vulgaris. Si locutus fuiſſet de prædeſtinatione, neque veram cauſam attuliſſet, & Iudæis dediſſet occaſionem ſe excuſandi, & accuſandi diuinam prædeſtinationem. Deinde quia Dominus verbis ſequētibus hortatur eos vt velint eſſe oues, propoſitis maximis commodis, quæ inde eſſent percepturi; vt Chryſoſtomus, Cyrillus in catena, & alij exponunt. Ergo non loquitur de prædeſtinatione, ſed de affectu credendi, & ſubiiciendi ſe Chriſto paſtori. Denique locus iſte planè conſentit cum altero illo Ioan. 6. qui intelligendus eſt de omnibus fidelibus.

Quinā ſint oues Chriſti.

Nec obſtat quod Dominus addit: *Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum*, &c. In his enim omnibus intelligenda eſt conditio, Si manſerint oues meæ; ſi me paſtorem non deſeruerint. Explicat enim quid præſtiturus ſit ipſe ex parte ſua, quāta cura, quanta potentia protecturus. Ita Chryſoſt. hom. 80. & Cyrill. lib. 11. c. 21. Simili modo dixit Dominus Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* In eādem ſententiam intellige illud Ioannis 17. v. 24. Loquitur enim de omnibus iam credentibus, & in poſterum credituris; vt ſupradicti Patres exponunt.

Expenditur ſententia Apoſtoli 2. ad Tim. 2.

Locus ille 2. ad Timoth. 2. non vrget aduerſus ſententiam noſtram: nam etiamſi exponamus de prædeſtinatis, non tamen neceſſe 42

eſt

eſt illos eſſe electos abſolutè ante omnem præuiſionem. Omnia enim illa rectè côueniunt in eos qui electi ex operibus iuſtitiæ. hi enim ſunt *firmum Dei fundamentum*, & ſignati ſunt ab æterno diuina præſcientia, & acceptati in Dei filios, & peculium, & recedunt ab iniquitate. Mihi tamen valdè veriſimile eſt, non agi ibi de ſolis completè prædeſtinatis, ſed de omnibus qui in fide firmi, ab hæreticis non poſſunt peruerti. Ita exponunt Chryſoſtomus & Theophylactus. Probatur, quia Apoſtolus vult inſinuare cauſam cur aliqui ab hæreticis ſolent peruerti; alij minimè; vt Chryſoſtom. & Theophyl. exponunt. Non eſt autem veriſimile, huius rei cauſam voluiſſe in prædeſtinationem eiuſque defectum referre: tum quia defectus prædeſtinationis non eſt cauſa deficiendi à fide: tum quia etiam prædeſtinati interdum ad tempus deficiunt, ſtantibus reprobis: tum quia hoc non fuiſſet accuſare inconſtantiam lapſorum, & alios animare ad fidei conſtantiam, quod tamen ibi Apoſtolus intendit: tum quia credibile eſt aliquos ex lapſis fuiſſe correctos. denique quia Apoſtolus ibidem tacitè excitat lapſos vt ſe corrigant, & emundent ab hæreſi. *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus paratum.*

Illud autem: *Nouit Dominus qui ſunt eius*, ſumptum eſt ex cap. 16. Numerorum, ſecundùm editionem LXX. vbi enim noſtra verſio habet: *Manè notum faciet Dominus, qui ad ſe pertineant*; id eſt, quos elegerit ad populi gubernationem, & miniſterium ſacerdotij. Septuaginta habent: *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Itaque hæc verba ad ſenſum noſtræ verſionis exponenda, quæ veritati Hebraicæ reſpondet; vt *cognoſcere* non tantùm ſit in abdito cordis noſſe, ſed notum facere exteriùs, & oſtendere ſe cognoſcere. Sic enim alibi in S. Scriptura accipitur; vt Gen. 22. *Nunc cognoui quòd timeas Dominum*, &c. Duobus autem ſignis oſtenſum ibi fuit, qui eſſent Domini. Primò, ſeparatione illorum à congregatione Dathan & Abiron. Secundò, horribili iſtorum, & ipſis adhærentium, ſupplicio. Duobus ſimiliter ſignis & veluti ſigillis oſtenditur qui ſint veri fideles. Primò, fugâ hæreſeωn, & conſuetudinis hæreticorum. Secundò, notitia & approbatione diuina, quam ſuo tempore palàm faciet, hos euehendo ad gloriam, illos afficiendo æterno ſupplicio. Hic tamen ſubintelligenda conditio, Si perſtiterint, &c. Dathan, Abiron & Core cum ſuis ſunt figura noſtrorum hæreticorum. hi inſurgunt in Moyſen & Aaron, in ſummum Pontificem, in Eccleſiæ Prælatos, quaſi non ſint electi à Domino, ſed ipſimet ſint veri miniſtri à Deo miſſi. Sed nouit Domi-

nus qui ſunt eius, & manè notum faciet quos elegerit; illos & ipſis adhærentes euehendo ad gloriam; hos verò ad inferos præcipitando. Hæc videtur mens Apoſtoli. Hæc de locis Scripturæ, in quibus paulò fuſior fui, vt clarè appareat, quàm parum ex illis iſti ſententiæ præſidij, & quàm omnia illa noſtræ ſententiæ faueant.

SECTIO IV.

Argumenta ex Patribus, & Reſponſio ad eadem.

Primum argumentum ex D. Auguſtino.

DEINDE confirmant illam electionem ex D. Auguſtino, qui lib. de corrept. & gratia cap. 7. ſic ait: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſta gratia diuinæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium, & cùm audiunt, credunt; & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant, & ſi quando exorbitant, correpti emendantur.* Et infrà: *Hæc omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia.* Et infrà dicit hos *eſſe electos ad regnandum cum Chriſto, & neminem ex illis perire, quia Deus non fallitur, nec vitio humano vincitur.* 43

Explicatur locus D. Auguſtini.

Reſpondeo, hæc verba videri difficilia, & omnino fauere electioni ante præuiſioné operum, niſi quis conſideret ſcopum D. Auguſtini, quo ſpectato nulla eſt difficultas. Scopus eius erat docere omnia bona opera, & ipſam perſeuerantiam non eſſe ex nobis, id eſt, nudis liberi arbitrij viribus; ſed eſſe ex gratia, & dona Dei. Similiter diſcretionem è maſſa damnationis, & electionem ad gratiam iuſtificationis, & ad gloriam non eſſe ex operibus; ſed ex gratia, & gratuita Dei miſericordia. Vbi cùm dicit hæc *non eſſe ex operibus*, non excludit opera vt ſunt ex gratia, ſed ſolùm opera facta ante gratiam, & fortè opera gratiæ, qua parte ſunt ex nobis. Nulla enim opera noſtra, vt ex nobis ſunt, merentur aliquid horum.

Hanc eſſe mentem Auguſtini patet. Primò, quia ipſemet ita explicat illud *non ex operibus*, cùm ait: *Electi ſunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum; quia gratia illis eſt omne meritum.* id eſt, non ex meritis gratiam præcedentibus: *quia omne meritum illorum* eſt *gratia*, ſiue ex gratia. Itaque electio gratię, ſeu gratuita, non excludit merita quæ ſunt ex gratia; ſed ſolùm ea quæ non ſunt

ex

ex gratia. Sicut enim Apoſtolus diſputans & refutans Iudæos qui putabant operibus legis deberi iuſtificationis ſpiritum, & conſequenter vitam æternam, crebrò vtitur hac locutione, docens homines ad iſta eſſe à Deo electos non ex operibus legis, ſed gratis, electione gratiæ, ſecundum Dei propoſitum; quibus tamen verbis non intendit excludere fidem, ſpem, pœnitentiam, dilectioně, & ſimilia bona opera, quæ iuſtificationis gratiam præcedũt: ità Auguſtinus diſputans contra Pelagianos & Semipelagianos in ſimili errore verſantes, eadem locutione, & eodem ſenſu vtitur; nec intendit excludere opera gratiæ, præſertim quatenus ex gratia procedunt. Hoc ſenſu rectè dicimur gratis electi ad gloriam, ad regnandum cum Chriſto; quia ex nullo opere noſtro, vt noſtrum eſt: cùm omne meritum operis ſit ex gratia, non ex libero arbitrio. Simili modo gratiæ largitate, non ex operibus, diſcernimur ab originali damnatione. Hæc tamẽ diſcretio non eſt plenè facta ante præuiſam noſtram cooperationẽ & perſeuerantiam; quamuis iſta cooperatio & perſeuerantia, vt à nobis eſt, id non mereatur.

Secundò, quia D. Auguſtinus non ſolùm loquitur de ordine intentionis, ſed executionis, ſicut & Apoſtolus Paulus. Non enim tantùm volunt indicare Deum hæc dona gratis intendiſſe, ſed etiam gratis & non ex operibus conferre. Itaque non loquitur de operibus ex gratia factis: nam fide tenendum eſt horum operum in iuſtificatione & glorificatione rationem haberi: ſed de operibus ſolis liberi arbitrij viribus præſtitis, de quibus erat controuerſia inter Auguſtinum & Pelagianos, & eorum reliquias.

Tertiò, quia ſcopus diui Auguſtini erat, horum errorem refutare; qui in eo ſitus non erat, quòd putarent homines eligi ad regnum ex operibus gratiæ, ſed longè ab hac ſententia diſcrepabat. Pelagianorum enim error erat, homines immediatè eligi ad regnum ex operibus naturæ, ſeu propter opera bona ſolis naturæ viribus patrata regnum cælorum eſſe prædeſtinatum. Semipelagianorum verò erat, homines ex operibus naturæ eligi immediatè ad gratiam, & conſequenter ad regnum; ſiue gratiam, quia regnum poſſint mereri, eſſe prædeſtinatam ex operibus naturæ: vt ex epiſtola Proſperi & Hilarij ad D. Auguſtinum conſtat. Itaque gratuita electio apud D. Auguſtinum ſolùm excludit opera naturæ, non gratiæ. Quidquid enim Deus pro gratiæ operibus retribuit, rectè gratia eſſe, & gratis donari dicitur, vt docet D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. & 11. Confirmatur; quia alioquin D. Auguſtinus hac ſuâ

diſputatione neminem impeteret, niſi fortè ſanctos Patres, qui ante ipſum fuerunt, & ſenſerunt gloriam niſi ex meritis abſoluto decreto præparatam non eſſe.

Ex quibus patet hunc eſſe verum ſenſum D. Auguſtini hoc loco, & vbicumq; ſimili modo loquitur. Cuius etiam ſignum eſt; nam D. Auguſtinus hanc doctrinam tradit tamquam fide tenendam, & in Sacris litteris expreſſam. At certum eſt numquã Auguſtinum ſenſiſſe pertinere ad fidem, electionem abſolutam ad gloriam eſſe factam abſque intuitu meritorum quæ ex gratia: ſed certum eſt nos hanc electionem non mereri ex nobis, ſeu per merita noſtra quà à nobis procedunt; vnde hac ratione merita & opera noſtra excluduntur: quâ verò parte illa opera ſunt ex gratia, eatenus ſunt digna gloria, & ipſa gloria eſt decreta ob merita. verùm ſic non tam ſunt opera & merita noſtra (ad ſenſum Pelagianorum) quàm gratiæ dona.

Multas alias locutiones habet D. Auguſt. quas non facilè aſſequeris, niſi ſcopũ eius, & contra quos diſputet, diligenter attendas. vnde multi etiam diligentes eius lectores in errores prolapſi: vt cùm ait lib. de gratia Chriſti c.13. & ſequẽtibus & c.47. Deum non ſolùm dare *poſſe*, ſed etiam dare ipſum *velle:* non ſolùm ipſum *poſſe* iuuari debere à Deo, ſed etiam ipſum *velle.* & lib. de corrept. & gratia cap. 10. 11. & 12. angelos bonos ſtetiſſe libero arbitrio. Angelo & primo homini datum poſſe perſeuerare ſi vellent; vt autem vellent, relictum in libero arbitrio: nunc autem ſi ſolùm daretur poſſe, & velle relinqueretur libero arbitrio, neminem perſeueraturum. itaque ſubuentum eſſe humanæ infirmitati, vt inſeparabiliter & indeclinabiliter per gratiam ageretur. Item, Quibus deeſt adiutorium ſine quo non poteſt perſeuerare, pœna peccati eſt, &c. Et cap. 7. Deus ceteros Apoſtolos elegit ad regnum, Iudam verò ad effundendum ſuum ſanguinem. Et epiſtola 107. ait Deum nolle ſaluos fieri plurimos. & alia ſimilia. Quàm multi iiq; doctiſſimi viri & aſſidui in D. Auguſtini operibus ſenſerunt peccatũ originale eſſe quid poſitiuum: liberum arbitrium ita eſſe debilitatum per peccatum, vt ſingula opera bona egerent gratia phyſicè prædeterminante: nullum eſſe auxilium ſufficiens, præter illud prædeterminans: & ſimilia: quòd putarent hanc eſſe ipſiſſimam D. Auguſtini mentem?

D. Auguſtinum non diſſentire ab aliis Patribus.

Dices, Si Auguſtinus in huiuſmodi electione ad gloriam, & ſecretione à maſſa, ſolùm volebat excludere opera viribus naturæ facta, non autem opera gratiæ, ergo non diſſentiebat ab aliis Patribus. Hęc enim erat Patrum communis ante D. Auguſtinum ſententia, vt con- 44

ſtat

ſtat ex teſtimoniis allatis, & expreſsè docet B. Proſper epiſtola ad D. Auguſtinum. Atqui D. Auguſtinus ſuo tempore paſſim putabatur ab aliis Patribus diſſentire, vt ibidem Proſper refert. Vnde petit ab eo quomodo illorum obiectionibus ſit reſpondendum.

Reſpondeo, D. Auguſtinum à pleriſque malè fuiſſe tunc intellectum, vt patet ex Gallorum excerptis, & obiectionibus Vincētianis: ſicut & modò à multis non rectè intelligitur. Cauſa erat quòd D. Auguſtinus propter Pelagianos eorumque reliquias, quibuſcum illi diſputationes acerrimæ & ſubtiles erant, vteretur aliis loquendi formulis, quàm Patres vſi erant, quibus videbatur omnem operum noſtrorum conſiderationem in electione excludere; ne daret anſam Pelagianis exiſtimandi ipſum aliquid viribus naturæ, & non totum gratiæ tribuere. Hinc putabant ipſum etiam excludere opera bona ex gratia profecta, ob quæ Patres alij docent regnum decretum. quæ tamen opera ipſe non excludebat, ſaltem qua parte erant ex gratia, ſed ſolùm qua parte ex viribus naturæ prodeunt. Præterea D. Auguſtinus loquebatur de electione immediata ad gratiam, quæ non eſt facta ob vlla præuiſa opera, vt volebant Pelagiani. Patres autem loquebantur de electione immediata ad gloriam, quæ facta eſt intuitu meritorum præcedentium per gratiam præſtitorum. Hoc modo Ruardus & alij conciliant D. Auguſtinum cum Patribus.

45 Secundus locus ex lib. de bono perſeuerantiæ cap. 8. vbi Auguſtinus ſic ait: *Ex duobus itaq; paruulis originali peccato obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, vt vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur; inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeuerātia vſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei.* His verbis D. Auguſtinus videtur inſinuare id ex eo prouenire, quòd alter ſit electus, alter non electus ad vitam. Quod apertè docet verbis ſequentibus, cùm ait: *Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait vnus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretū, manſiſſent vtiq; nobiſcum.* Deinde quærit quid ſit illud, *Non erant ex nobis*; & tandem reſpondet, *Non erant ex eis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante cōſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur.*

Reſpondeo, hoc teſtimonium ſi benè expendatur non aduerſari *Reſponſio.*

noſtræ ſententiæ, neque fauere illi abſolutæ electioni & reprobationi. Si enim Auguſtinus agnoſceret talem electionem, non dixiſſet, eſſe inſcrutabile iudicium Dei, quòd hic paruulus baptizetur, ille non baptizetur; quòd iſte impius ita vocetur vt ſequatur, iſte non vocetur, &c. In promptu enim cauſam habuiſſet, quòd iſte ſit electus ante omnem præuiſionem futurorum, ille non ſit electus. ex hac enim electione prouenire vt Deus res omnes ſic gubernet, vt iſte ſaluetur, ille non ſaluetur. Vnde benè dixit D. Bonauentura in 1. d. 41. q. 2. n. 15. quòd huic detur gratia, illi non detur, non fore inſcrutabile, ſi talis ponatur electio abſoluta abſque vllo reſpectu noſtrorum operum. Non ergo eſt illa mens Auguſtini; ſed ob alias cauſas vult nobis id eſſe inſcrutabile; idque ſæpiùs repetit vt retundat errorem Pelagianorum, & Pelagianizantium, qui omnia iſta in paruulis & adultis referebant ad occulta merita & demerita, quæ vel habuiſſent ſi manſiſſent in vita, vel habuerunt ante primam vocationem. Quòd ergo ex duobus paruulis alteri procuretur baptiſmus, alteri non procuretur, poteſt prouenire vel ex eo quòd Deus ex communi curſu rerum, quo ita euenturum præuidet, nihil velit mutare, ſed ſinere res agi ſuis motibus; vel quia circa illum habet peculiarem curam, quam non circa iſtum, idque ob preces & merita parentum aut aliorum, vel ex ſuo beneplacito, quo inæqualiter gratias ſuas diſtribuit; vel vt puniat parentes eius qui ante baptiſmum moritur. Denique plurimæ poſſunt eſſe huius rei cauſæ, vt meritò parentes debeant eſſe ſolliciti, & hoc negotium magno ſtudio Deo commendare. Quòd ſi hoc totum diſcrimen proueniret ex electione & reprobatione, non deberent eſſe ſolliciti, ſed totum eſſet Deo permittendum. Si enim paruulus eſt electus, nemo eius baptiſmum impediet: ſi non eſt electus, nemo efficiet vt illum obtineat. Quæ autem iſtarum cauſarum Deum mouerit, vt res ita regeret, aut ſineret agi, ſicut præſciebat futurum vt alter baptizaretur, alter minimè; nobis in particulari eſt inſcrutabile.

Quomodo ſit inſcrutabile.

Pari modo cur hunc vocet, illum non vocet, aut non ita vocet vt ſequatur, ratio poteſt eſſe multiplex. Primò, quia ille pauciora habet impedimenta, cùm ſit pauper, humilis, imbecillis, multis obnoxius incommodis, nihil vel parum habens in ſæculo quod illum detineat. tales enim faciliùs diuinam vocationem ſequuntur. Qui verò multis ſæculi vinculis ſunt impliciti, diuitijs, honoribus, voluptatibus, fortiore & rariore egent vocatione; vnde fit vt alijs ſequentibus, & fidem ac iugum Chriſti amplectentibus, hi in infidelitate

vel

vel peccatis ſuis permaneant. Secundò, ex ingenij naturalis præſtantia. Vt enim ait D. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. c. 14. *Habent quidam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Tertiò, preces aliorum fuſæ pro hoc, non pro illo: item merita parentum. Quartò, minora peccata, vel bona opera facta ex inſpiratione diuina, ante vocationem ad fidem. Hæc enim interdum poſſunt eſſe ratio cur Deus efficaciùs hunc vocet quàm illum. Quintò, quia Deus etiam ex ſuo mero beneplacito dona ſua inæqualiter diſtribuit, cùm non omnes æqualiter amet, vt infrà dicemus. Poſſunt eſſe & aliæ rationes nobis ignotæ. quam autem ex omnibus Deus ſpectauerit in iſto diſcrimine, nobis pariter eſt inſcrutabile. Idem dicendum de dono perſeuerantiæ, cur huic detur, illi non detur. Nam & huius diſcretionis multiplex poteſt eſſe ratio, ſicut dictum eſt de vocatione. Sæpè enim illud pendet à re modica, ab aliquo peccato veniali, diſtractione, minore conſideratione, &c. Per donum perſeuerantiæ intelligo cum D. Auguſtino illam ſeriem auxiliorũ, per quam Deus ſcit hominem, ſi ei data fuerit, perſeueraturum.

46 Aduerte tamen non eſſe inſcrutabile Dei iudicium, quòd ex duobus vocatis alter ſequatur, alter non ſequatur; aut quòd ex duobus iuſtis alter perſeueret, alter non perſeueret; vt quidam volunt, huius diſcriminis cauſam tamquam in primam originem referentes in diſcretionem illam qua Deus ex ſe hunc elegit ad gloriam, illum non elegit. Certum enim eſt, cauſam cur hic non ſequatur vocationem diuinam, aut non perſeueret, non eſſe defectum gratiæ, aut electionis diuinæ, ſed arbitrij libertatem, iuxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, ex me tantummodò auxilium tuum.* Et quòd hic ſequatur & perſeueret, cauſa vera & propria eſt libertas arbitrij auxilio diuino inſtructa; quæ ſicut in naturalibus, ita in ſupernaturalibus poteſt ſe in vtramque partem flectere. Vnde infero, non eſſe etiam inſcrutabile cur vocatio in illo ſit efficax in actu ſecundo, in iſto inefficax. id enim pendet ab arbitrij libertate, in cuius manu eſt facere vt ſit efficax vel inefficax. Idem dicendum de auxilijs quæ dantur ad perſeuerandum: vt enim iſta auxilia habeant rationem doni perſeuerantiæ, vel non habeant, pendet ſimiliter à libertate, quæ per illa poteſt actu perſeuerare, vel non perſeuerare. Et ſi quidem perſeueret, illa auxilia habebunt rationem doni perſeuerantiæ; ſi non perſeueret, non habebunt.

Quòd iſte ſequatur, iſte non, haud eſt inſcrutabile.

In his itaque non ponit D. Auguſtinus iſtam inſcrutabilitatem iu-

diciorum Dei; ſed in eo quòd cùm Deus priùs quàm ſtatuat gratias ſuas diſtribuere, præſciat de quolibet, quæ gratiæ ſint in ipſo futuræ efficaces, quę inefficaces, velit nihilominùs dare huic eam quam nouit fore efficacē, illi eam quam inefficacem. Cur enim non dat etiam alteri efficacem? cur potiùs huic quam alteri dat efficacem? Hoc à nobis certò & in particulari ſciri non poteſt. Similia de infinitis alijs Dei operibus quæri poſſunt; vt cur hanc animam infudit huic corpori, illam iſti, &c. cur nunc dat hanc inſpirationem, nunc iſtã, &c. Generalis tamen aliqua ratio à nobis aſſignari poteſt, cur iſti qui non erat ſecuturus vel perſeueraturus, aliam gratiam non conferat, nimirum, quia ea quam dedit erat ſufficiens & accommodata ſaluti, & per eam facilè potuiſſet ſequi ſi voluiſſet; & occaſiones rerum hanc potiùs quàm aliam poſtulabant, &c. Accedit quòd non conueniat, vt Deus de induſtria ſingulis ſemper eas ſeligat gratias, quas nouit habituras effectum, aut vt ſecundùm hanc normam eas diſtribuat; ſed vt eas ſecundùm occaſiones oblatas abſque hac conſideratione conferat, vt homines ſint ſolliciti, & ſe excitent ad cooperationem, & quamuis gratiam oblatam efficacē reddant, cùm Deus ad hunc finem eam conferat: alioquin foueretur in eis ſocordia, & ſupina ſalutis ſecuritas.

Ex his patet non rectè colligi ex diuerſitate iſta gratiarum, electio- 47
nem illam abſolutam & reprobationem. Nec obſtat quòd Auguſtinus dicat, *certiſſimum eſſe debere, hunc qui perſeuerat, eſſe ex prædeſtinatis, alterum non eſſe.* id enim in omni ſententia dicendum eſt. ſed id non eſt certiſſimum ex diuerſitate gratiæ ſeu auxilij, vt à Deo prouenit (neque id Auguſtinus dicit) ſed ex diuerſitate effectus pendentis à libertate arbitrij; nimirum quia hic perſeuerat actu, ille non perſeuerat. quod etiam non prouenit ex diuerſitate ipſius auxilij, vt pręuium eſt cooperationi, ſed à libertate arbitrij diuino auxilio inſtructi. vnde etiam non prouenit ex eo quòd hic ſit prædeſtinatus, ille non ſit. Etſi enim prædeſtinatio poſſit dici cauſa perſeuerantiæ propter auxilia præuenientia, quorum virtute perſeuerat; reprobatio tamen & defectus prædeſtinationis, non eſt cauſa labendi, vt ſæpiùs oſtenſum eſt, ſed libertas arbitrij. Neque contrarium innuit Auguſtinus cùm ait: *Non erant ex eis, quia non erant vocati ſecundùm propoſitum, quia non erant prædeſtinati*, &c. quia non reddit cauſam cur ceciderint & non manſerint in fide, ſed vult explicare quid ſit illud, *Non erant ex nobis*. putat enim per hoc ſignificari prædeſtinationem; vt ſenſus ſit, Non erant prædeſtinati, ſicut nos ſumus: & il-

lud

lud variis S.Scripturæ phraſibus,(de quibus infrà) per ſynathriſmum vel ſynonymiam ingeminat.

Dices, Auguſtinus hîc & alibi ſæpè dicit prædeſtinatos *vocari ſecundùm propoſitum, reprobos vocari non ſecundùm propoſitum*; ergo ſentit ante omnem vocationem in Deo præcedere propoſitum abſolutum,quo illi ſint electi, hi non electi, & hinc procedere totum diſcrimen gratię,& operum in vtriſque. Reſpondeo: Quam vim habeat iſta phraſis iuxta mentem ſacræ Scripturæ, infrà oſtendetur: vt verò vſurpatur à D. Auguſtino habet aliquid obſcuritatis,& fateor ſignare prædeſtinationem completam, & conuenire ſolis ſaluandis. Nego tamen ſignificare electionem illam abſolutam & immediatam ad gloriam, quæ præcedat voluntatem vocandi: ſed deſignat electionem illam & propoſitum abſolutum quod Deus concepit præuiſa eorum cooperatione & perſeuerantia. Cùm enim vocatio temporalis iſtis facta tendat ad impletionem iſtius propoſiti, rectè dicuntur vocati ſecundùm propoſitum. Hoc tamen propoſitum abſolutum non præcedit in mente diuina voluntatem vocandi, ſed ipſam temporalem vocationem. Sequuntur autem infallibiliter ſic vocati,quia ſupponitur iam præuiſa eorum ſequela. De quibus verò non concepit tale propoſitum ſaluandi ob defectum cooperationis præuiſum, ſed potiùs propoſitum damnandi, hi dicuntur vocati *non ſecundùm propoſitum*: quia non eſt tale propoſitum in Deo, ad cuius impletionem illa vocatio referatur. Huic tamen non repugnat, quin ſit in Deo ſincerum propoſitum & deſiderium ſalutis eorum conditionatum, videlicet, ſi gratiæ cooperari velint. Simili modo, ſi Rex habens duos filios, vtrumque educet ad regnum, deſiderans vtriq; regnum conferre, ſciat tamen per reuelationem alterum dignum futurum, regnoq; potiturum, alterum verò ob ſua crimina indignum, & reijciendum; rectè dici poſſet regem educare illum ſecundùm propoſitum, videlicet, conferendi regni, hunc verò non ſecundùm propoſitum. qui enim ſcit finem deſideratum non ſecuturum, non videtur ex propoſito illius finis operari;ſed ob aliam cauſam Itaq; cùm Deus ab æterno ſciat in quibus media quæ ipſe adhibere cuiq; ſtatuit ſint habitura effectum, & obtentura finem à ſe deſideratum, in quibus minimè; rectè dicitur illos vocare ſecundùm propoſitum, alios non ſecundùm propoſitum.

Secundùm propoſitum vocari quid ſit apud Auguſtinum.

Vt igitur vocatio dicatur *ſecundùm propoſitum*, vel *non ſecundùm propoſitum*, iuxta D. Auguſtinum; non eſt neceſſe, vt illud propoſitum vel illa negatio præcedat voluntatem vocandi, vt illi imaginan-

tur, ſed ſufficit vt illam voluntatem ſequatur, & præcedat temporalem executionem.

Alia teſtimonia D. Auguſtini prætermitto; quia minùs vrgent, & abundè à Gregorio de Valentia, Gabriele Vaſquezio, & Thoma Stapletono, ad ea reſponſum.

SECTIO V.

Argumenta ex ratione, & Reſponſio ad eadem.

Primum argumentum ex ratione.

SENTENTIA illa de electione ad gloriam ex præuiſis meritis non videtur differre à ſententia Maſſilienſium, quam ipſi de hac re tradiderunt: ac proinde eſt omnino repudianda. Antecedens patet ex epiſtola D. Proſperi ad S. Auguſtinum (cuius occaſione ſcripſit ipſe librum de prædeſtinatione Sanctorum) in qua ſic eorum ſententiam refert: *Qui autem credituri ſunt, quiq́; in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum; quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit. Ideoq́; omnem hominem ad credendum & ad operandum diuinis inſtitutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio ſit parata.* 48

Quo modo diſtinguatur à ſententia Maſſilienſiũ.

Reſpondeo: Si Maſſilienſes poſuiſſent omnem bonam voluntatem, & in primis fidem, affectumq́ue credendi eſſe donum Dei, & ex gratia; nullo modo erraſſent in illa ſententia de prædeſtinatione ad regnum, ſed Catholicè ſenſiſſent. Non enim error illorum in eo poſitus erat, quòd putarent homines ad regnum prædeſtinari ex præuiſis operibus gratiæ, ſed ex præuiſis operibus liberi arbitrij, qualia putabant eſſe fidem, & ſpontaneam deuotionem, qua quis eligit permanere in fide & obſeruantia mandatorum Dei. Hanc eſſe illorum mentem patet ex tota illa epiſtola, & potiſſimùm ex verbis illis: *Propoſitum vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quòd Deus conſtituerit nullum in ſuum regnum niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere: & ad hoc ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter, ſiue per naturalem, ſiue per ſcriptam legem, ſiue per Euangelicam prædicationem*

nem vocari, vt & qui voluerint (per liberum arbitrium) *fiant filij Dei; & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint: quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint, pereant: bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri.* Et infrà: *Itaq; quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte* (id eſt, ſine gratiæ impulſu & ope) *crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.*

Idem patet ex epiſtola Hilarij, qui ſic eorum ſententiam verbis Auguſtini expreſſam refert. *Non ergo eligit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe donaturus eſt, ſed fidem eligit in præſcientia, vt quem crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam conſequeretur.* Et infrà: *Ceterùm præſcientiam & prædeſtinationem vel propoſitum ad id valere contendunt, vt eos præſcierit vel prædeſtinarit vel propoſuerit eligere, qui fuerant credituri: nec de hac fide poſſe dici, Quid habes, quod non accepiſti, cùm in eadem natura remanſerit, licet vitiata, quæ prius ſana atque perfecta donata ſit.*

Ex his patet quàm longè noſtra ſententia ab illa Maſſilienſium abſit. Illi enim volebant fidem eſſe ex nobis, & per hanc nos mereri primam gratiam, atque adeò prædeſtinationem ad gratiam, nos autem hoc totum tamquam errorem in fide reijcimus. Deinde illi putabant nos viribus naturæ poſſe habere circa quoduis genus bonorum operum bonam voluntatem & propoſitum, quo mereamur accipere gratiam illius implendi. & hac ratione volebant nos mereri gratiam perſeuerandi, & conſequenter vitam æternam, & illius prædeſtinationem. Nihil horum noſtra ſententia admittit.

Secundum Argumentum.

49 ORdinatè procedens priùs intendit finem quàm velit media; at Deus in ſuis conſiliis ordinatiſſimè procedit: ergo priùs intendit gloriam ſaluandis, quàm præparet iis media. Quòd autem hæc intentio ſit abſoluta & efficax, probatur; quia intentio finis debet eſſe accommodata electioni mediorum, & modus electionis indicat modum intentionis: ſed Deus in electione mediorum circa ſaluandos hoc obſeruat, vt procuret eis media efficacia vt talia ſunt, vt per illa infallibiliter ſalutem conſequantur; vt D. Auguſtinus multis locis docet. ergo hæc electio procedit ex abſoluta intentione finis. *An finis debeat eſſe priùs abſolutè intentus quàm media.*

Reſpon-

Reſpondeo: Si hoc argumentum aliquid valeret, probaret Deum non poſſe aliter eligere; quia non poteſt non ordinatè procedere. & ſanè primus inuentor illius argumenti videtur hoc voluiſſe. Sed profectò id eſt abſurdum, & alienum à ſumma Dei libertate & auctoritate. Meliùs retorqueretur hæc ratio in hunc modum: Ordinatiſſimè volens aliquid bonum in modum præmij vel mercedis, non ſtatuit abſolutè quibus illud ſit conferendum, niſi præuideat, qui illud ſint promerituri, quiq; digni futuri. ſed Deus ſtatuit communicare aliquod bonum (ſuum regnum) in modum præmij & mercedis, & non in modum doni omnino gratuiti; vt omnes fatentur: ergo non ſtatuit abſolutè quibus illud ſit communicandum, niſi præuiſis hominum meritis. Hęc ratio longè plus habet roboris quàm illa aduerſariorum, quæ aliquid coloris haberet, ſi Deus ſtatuiſſet illud cõferre in modum doni gratuiti, non vt mercedem, coronam iuſtitiæ & brauium. Verùm cùm conſtet non intendiſſe conferre niſi vt ſtipẽdium bonorum operum, non video, quid probabilitatis illa ratio habeat. Itaque neganda eſt maior ad mentem opponentis: nimirum vt rectè procedatur, ſemper finem debere abſolutè & efficaciter intendi reſpectu ſingulorum, priuſquam ſtatuatur de mediis; vt oſtenſum eſt cùm intenditur per modum mercedis & præmij. Alio tamen ſenſu admitti poteſt, & ſic illa ratio benè probat Deum priùs intendiſſe gloriæ communionem, quàm media delegerit: ſed hæc intentio quatenus ferebatur in gloriæ communionem in genere, erat quodammodò confuſa noſtro modo intelligendi: vt verò applicabat gloriam ſingulis hominibus, non erat abſoluta, ſed cõditionata; ſcilicet, ſi per gratiam ſe dignos illa redderẽt. hoc enim erat ordinatiſſimum, cùm non vellet illam commmunicare niſi per modum coronæ iuſtitiæ; vt dictum eſt. Simile eſt in agonotheta, qui abſolutè ſtatuit dare præmia, ſed non huic vel illi, niſi viſa eius victoria.

Retorquetur argumentũ.

Dices, Deus in ſuis actibus non procedit confusè; ergo prima illa 50
intentio diſtinctè verſatur circa ſingulos homines, & circa gloriæ gradus, quos ſinguli attingere debent. Reſpondeo: Si hæc ratio aliquid roboris haberet, probaret Deum non ſolùm non proceſſiſſe hoc modo quo dicimus, ſed nec potuiſſe ſic procedere; atque adeò non potuiſſe aliter procedere quàm ipſi ſtatuunt, decernendo ſingulis certum gloriæ gradum ante præuiſionem operum: quod eſt abſurdum. Dico ergo, Deum non ita procedere confusè, vt maneat in ipſo aliqua confuſio, aut actus ab æterno non terminetur ad obiecta diſtinctè. Fatendum tamen eſt actum voluntatis ipſius noſtro modo

An Deus cõfusè procedat in ſuis decretis.

intel-

intelligendi, in aliquo ſigno rationis priore, habere ſe confusè, & ſolùm in ſigno poſteriori diſtinctè. Sic volũtas diuina priùs ratione terminatur ad finem quàm ad media; & in eo ſigno quo terminatur ad finem, ſe habet ad media confusè: quia in illo ſigno nondũ ſtatuit de illis, ſed eſt indeterminata ad quoduis eorũ intelligẽdum. Item priùs ratione vult aliquod bonum in genere, quatenus eſt bonum cõmune, quàm illud velit ſingulis in particulari vt bonum priuatum. Idem diuerſæ ſententiæ auctores quoque fatentur, tum in electione ſaluandorum quam dicunt eſſe factam in primo ſigno rationis in quo nihil adhuc ſtatuitur de eorũ meritis, niſi confusè: tum in prædeſtinatione Chriſti, quæ in eo ſigno in quo facta eſt, ſe confusè habuit ad conditionem carnis aſſumendæ, ad tempus, locum, & ſimiles circumſtantias, de quibus in primo illo inſtanti rationis nihil fuit ſtatutum. Sic ergo priùs ratione voluit ſuam gloriam communicare creaturæ rationali in genere, quàm ſtatuerit quibus eſſet communicanda. nam ex vi illius intentionis, non erat determinatus ad hos vel illos in particulari. Ratio eſt; quia quò ratio boni eſt prior & abſtractior, eò cenſetur priùs volita: ſemper enim in hanc fit volitionis reſolutio. atqui communicatio gloriæ generatim cõcepta, eſt ratio boni prior & abſtractior, quàm communicatio huic facta: ergo cenſetur priùs volita. Simile cernitur in actibus intellectus. Notitia enim diuina, vt eſt prior decretis liberis, confusè ſe habet ad futura & non futura; quia in eo ſigno ſciri nequit, quæ ſint futura, quæ non: vt eſt poſterior, diſtinctè. Deinde poſitis decretis liberis, non fertur in obiecta futura ſimul, ſeu in eodem rationis ſigno; ſed fertur ſecundùm ordinem & ſucceſſionem obiectorum. Neque hoc vllam imperfectionem arguit in Deo, cùm ab æterno omnis cognitio & volitio diuina ſit pleniſſimè & diſtinctiſſimè terminata.

51 Ad probationem maioris, qua probatur illam intentionem finis eſſe efficacem & abſolutam reſpectu ſingulorum, quidam negant conſequentiam. Quòd enim Deus in tempore det illis media efficacia, id non prouenire ex abſoluta intentione ſaluandi, ſed ex ipſius beneplacito, quo vult illis potiùs quàm aliis talem gratiam, vt vtantur ea ſi velint; quamuis certò ſciat vſuros. Sed puto negandam minorem ad ſenſum opponentis. Non enim Deus in diſtributione gratiarum hoc potiſſimùm ſpectat, ſintne habituræ effectum an non: neque eas quas videt habituras effectum ſecernit pro electis, eo potiſſimùm nomine quia effectus ſequetur, alioquin eas non daturus; neque quas videt fruſtrandas ſecernit pro non electis.

An Deus in diſtribuendis ſuis auxiliis ſpectet congruitatem & incongruitatem illius.

Talem ſecretionem & diſtributionem non puto eſſe admittendam. Primò, quia ita nos oportet Deum facere fautorem & adiutorem ſalutis electorum, vt non faciamus veluti inſidiatorem ſalutis reproborum. at ſi talem facit ſecretionem gratiarum, vt electis non præparet niſi gratiam, quam præſciebat habituram effectum, ita vt hæc ſit tota ratio cur hîc & nunc hanc gratiam conferat; reprobis verò ſolùm eam quam videbat fruſtrandam: quomodo non videtur inſidiari ipſorum ſaluti? Sicut enim electis confert illam, vt impleatur quod de illis decreuit: ita reprobis conferet alteram, ne fiat in illis quod noluit decernere, videlicet ſalus: quod ſuprà n. 11. & 17. ſatis luculentè deduximus. Secundò, quia talis ſecretio & præparatio gratiæ, electis daret occaſionem ſocordiæ; reprobis deſperationis, & abiiciendi omnes conatus. Si enim quærit electis eam gratiam, quam ſcit habituram effectum; cur ſint ſolliciti vt gratiæ cooperentur, & vt effectus ſequatur? iam enim à Deo ſelecta & præparata eſt gratia cum effectu ante omnem cooperationis præuiſionem. Sicut ſi tu ſcires animum meum tua perſuaſione inflectere ad omne bonum, & ſtatuiſſes mecum vti ijs rationibus, quibus ſcires me permouendum; non deberem ego de me excitando ad bonum eſſe ſollicitus: ſed tibi omnis cura incumberet, vt tales perſuaſiones adhibeas. Similiter ſi ego non poſſem ad bonum niſi tuis ſuaſionibus incitari; & tamen nolles adhibere alias quàm quas noſti fore irritas; cur ſperem me aliquid boni facturum, cùm certum ſit omnem meum conatum tandem fine fruſtrandum? Tertiò, quia diuina beneficia non ſunt æſtimanda ex euentu futuro, qui ex nobis pendet; ſed ex ipſa rei præſtantia, & magnitudine boni, ad quod ſecundùm ſe perducunt, ſi velimus cooperari. Quis enim dixerit non fuiſſe maius beneficium vocationem Iudæ ad Apoſtolatum in quo fuit damnatus, quàm vocationem multorum ad ſtatum matrimonij in quo ſaluantur? Idem dico de vocatione ad religionem optimè conſtitutam. An quia iſte ſua malitia abutitur, ideò debet cenſeri minus beneficium, aut ex minori affectu donantis profectum? Confirmatur; quia ſi in Deo non eſſet præſcientia conditionalis, nemo dubitaret quin eſſet maius beneficium. ſed hæc præſcientia non minuit affectum Dei, nec reddit illum minùs ſincerum & ſerium: ergo idcircò non eſt cenſendum beneficium minus. Quartò, hæc diſcretio gratiæ congruæ & incongruæ (id eſt habituræ effectum, & non habituræ) ſupponit Deum omnia opera bona abſoluto decreto prædeſtinaſſe ante præuiſionem noſtræ inclinationis. ideò enim ponitur, vt infallibiliter eueniat opus

An gratia congrua, ſeu quæ habitura eſt effectũ, ſit maius beneficiũ, quàm ea quæ effectu carebit.

omne

omne bonum quod Deus abſolutè decreuit, vt infallibiliter non eueniat opus bonum quod non decreuit. atqui hæc ſuppoſitio videtur omnino aliena à veritate. nam ſuprà num. 17. 18. 19. & 20. oſtendimus opera bona non eſſe hîc prædefinita.

52 Dices, Deus præſciebat hoc donum huic fore noxium, ſi ei daretur; & tamen voluit dare: ergo non dedit vera intentione & propoſito ſalutis. Nemo enim intendit aut conatur ad bonum quod certò ſcit non obtinendum. Vnde nota eſt illa diſtinctio D. Auguſtini de vocatis ſecundùm propoſitum, & non ſecundùm propoſitum. Reſpondeo: Quòd ſit futurum noxium vel inutile non proueniet ex conditione doni, ſed ex malitia vel negligentia vtentis, qui facilè ex eo poterat capere ingens cõmodum; & diſplicet Deo quòd ſit futurum inutile. Dat tamen iſtud, non aliud; quia circumſtantiæ & occaſiones rerum poſtulabant iſtud, non aliud: & iſtud aliàs erat per ſe optimum & commodiſſimum ſaluti. Non enim congruit ſupremæ rerum gubernationi, vt curſus rerum aſſiduè ob hominum negligentiam vel malitiam mutetur, & gratiæ extraordinario modo conferantur; cùm iſta prouidentia curſui rerum ſit maximè conſentanea & ſufficiens. Ad confirmationem: Quando bonum pendet à conſenſu alterius, poteſt Deus illud intendere, & ad illud excitare, non quidem vt abſolutè fiat quod ſcit non futurum, ſed vt fiat, ſi ipſe velis; vt autem velis, ille quàm maximè deſiderat. Deinde vt ſatiſfaciat ſuo erga te affectui, quo cupit tuam ſalutem; eumq́; affectum declaret alliciendo, vocando, vires præbendo, & totum ponendo in tua poteſtate. Denique vt conſtet ex ſua parte ipſum tibi non defuiſſe, & tibi omnino imputandum, ſi excidas à ſalute.

Porrò Deus in gratijs ſuis angelicæ naturæ conferendis, non conſiderauit quænam eſſent habituræ effectũm, quæ nõ; neque hac conſideratione & veluti regula in illis diſtribuendis eſt vſus; ſed eas diſtribuit accommodatè naturalibus, prout gradui cuiuſque naturæ congruebat. Prout enim quiſque erat præſtantioris naturæ, eò quoque gratiæ dona collata ſunt ei præſtantiora, vt gratia reſponderet naturæ; vt docet D. Thom. 1. p. q. 62. a. 6. quem ſequuntur paſſim alij DD. Ergo credibile eſt neque cum hominibus ordinariè eam regulam ſequi, ſed conferre ſecundùm varias occaſiones & opportunitates, quæ ſe offerunt; & variam hominum capacitatem, & varios perfectionis & gloriæ gradus, ad quos cupit homines euehere. Vt enim ait D. Thomas 1. 2. q. 112. a. 4. Deus diuerſimodè gratiam ſuam diſtribuit, vt ſint diuerſi gradus beatorum, & ex graduum di-

uerſitate pulchritudo illius regni conſurgat. Etſi enim omnium ſalutem ex animo deſideret, & ſufficientia auxilia offerat, tamen non omnes æquè diligit; ſed alios plus, alios minùs, pro ſuo beneplacito. Vnde aliis maiora auxilia quibus maiorem coronam conſequantur, præparauit; aliis minora: ſingulis tamen ea menſura auxiliorum ex parte Dei præparata eſt, cui ſi vellent cooperari & reſpondere, ſicut poſſunt, & deberent, non ſolùm ſalui fierent; ſed etiam maiorem gradum conſequerentur, quàm modò reipſa attingunt.

Quomodo gratia congrua ſit maius beneficiū. Dices, Nemo prudens non mallet gratiam congruam phyſicè minorem, quàm incongruam maximam; ergo congrua eſt maius beneficium Dei, & ex maiore amore datur. Reſpondeo, gratias præuenientes ſpectari poſſe, vel ſecundùm ſe, vt ſunt priores effectu, eum neque includentes, neque excludentes; vel vt includunt effectum, vel vt excludunt. Si conſiderentur primo modo, ſic haud dubie illa quæ per ſe eſt præſtantior, eſt maius beneficium, & magis expetendum. Sic gratia ſupremi angeli qui cecidit, erat longe magis expetenda, quàm gratia infimi qui ſtetit; & ſtatus religionis magis quam ſtatus matrimonij. Si conſiderentur ſecundo & tertio modo, ſic ſemper magis eſt expetenda quæ includit effectum, quàm quæ excludit. & hoc modo congrua præfertur alteri; quia eo nomine ſignificatur coniungi effectum. Nihil enim eſt aliud gratia congrua quàm gratia cum effectu: non congrua excludit effectum; ſignificat enim gratiam irritam, & effectu carentem. vnde nullius eſt vtilitatis; imò affert potiùs perniciem, qua parte includit carentiam effectus. Hoc modo 100. aurei cum poſſeſſione & bono vſu ſunt magis expetendi, quàm centum millia cum amiſſione vel malo vſu. non tamen idcircò centum millia ſecundùm ſe & ex affectu donantis cenſenda minus beneficium, aut minùs expetenda. 53

Dices rurſus; Si Deus non ſeligit gratias congruas, dando eas principaliter quia ſunt congruæ, ſeu efficaces: ergo gratia non eſt efficax ex intentione Dei, ſiue vt eſt à Deo. Reſpondeo negando conſequentiam. Ea enim intentione Deus eam confert vt ſit efficax; vnde ſi efficax eſt, ex intentione Dei id habet: ſi eſt inefficax, id eſt, non ſolum præter ſed etiam contra intentionem Dei, qui cupiebat illam eſſe efficacem. Hæc tamen intentio Dei non eſt omnino abſoluta ante præuiſionem determinationis noſtræ voluntatis. quo fit vt efficacia gratiæ non pendeat à ſola intētione Dei (alioquin omnis gratia eſſet efficax, cùm det eam ſinceriſſima intentione vt effectū habeat) neque à ſola noſtra libertate; ſed ſimul à Dei intentione, & noſtra liber-

bertate ei obſequente: inefficacia verò à ſola libertate diuinæ intentioni repugnante.

Quod ad D. Auguſtinum attinet, etſi ſæpè obſcurè loquatur, non putò tamen ipſum eſſe illius ſententiæ. Non enim gratiá congruam cenſet ex effectu, ſicut illi faciunt; ſed ex aliquo præuio quod non eſt in non-congrua: nimirum quod congruat affectibus & inclinationibus hominis, vnde fiat, vt ſuauiter adducat ad conſenſum. Sicut cùm auaro proponuntur opes cæleſtes & æternæ; ambitioſo magni illi honores inter tot milliones angelorum; comeſſatori epulæ conuiuij æterni, &c. De hac congruitate loquitur beatus Gregorius tota tertia parte ſui Paſtoralis, oſtendens quomodo vnumquodque genus hominũ congruenter ſuæ conditioni & captui ſit admonendum, & tractandum. Hanc congruitatem Deus, vt ſapientiſſimus admonitor & conſultor, maxime ſpectat & adhibet. Sæpè tamen non habet effectum, voluntate noſtra ſua libertate non obediente: ſicut patet in angelis, qui, etſi eorum gratia eſſet congruentiſſima, non perſtiterunt. Admitto tamen has & ſimiles D. Auguſtini locutiones: Electis & prædeſtinatis datur gratia qua conuertantur, qua perſeuerent: Deus eos ſic vocat, ſicut aptum nouit, vt vocantem non reſpuant; ſicut congruit eorum affectibus. Item, Qui non ſunt prædeſtinati, iis non datur gratia qua perſeuerent. Hæc enim certiſſima ſunt, nec ſine errore negari poſſunt; & ipſe euentus declarat. Hæc tamen non ſic accipiẽda ſunt, quaſi hi fuerint reprobati, illi verò abſolutè electi ante omnem præuiſionem: & idcircò detur his gratia congrua, illis non congrua. Prædeſtinatio enim completa ſupponit multorum præuiſionem, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & in primis noſtri conſenſus & cooperationis, vt ſuprà num. 3. oſtenſum, & infrà magis explicabitur. Itaque mirum non eſt ſi detur ei in tempore gratia quæ habet effectum; quia iam ſupponitur præuiſa cooperatio. Prædeſtinatus enim dicitur, cui tota illa ſeries beneficiorum præparata eſt, vt ſuprà ex D. Auguſtino oſtenſum. Similiter reprobis non datur gratia, qua conuertantur; quia iam ſupponitur præuiſa eorum obſtinatio in malo, propter quam ſunt reprobi.

Explicatur mens D. Auguſtini.

Porrò D. Auguſtinum nihil aliud huiuſmodi modis loquendi velle ſignificare, colligi poteſt: Primò, quia ſic conſentit cum reliquis Patribus, aliter ab illis diſſentiret: idq; in re impertinẽte ad cauſam Pelagianam. Secundò, quia illa locutio de reprobis non poteſt aliter accipi, niſi velimus D. Auguſtinum ſenſiſſe homines eſſe reprobatos abſoluto decreto ante omnem præuiſionem operum: quod

ſanè duriſſimum eſt, & nullo modo tanto Doctori tribuendum: imò videri poſſit damnatum in Concilio Arauſicano, can. 25. Tertiò, quia in hanc ſententiam commodiſſimè nos ducit ipſa definitio prædeſtinationis ab Auguſtino aſſignata, & ſuprà num. 3. explicata. Denique idem conuinci poteſt ex teſtimoniis D. Auguſtini ſuprà num. 9. allatis.

Locus Sap. 4. Nec obſtat locus iſte Sapientiæ 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, &c. Hoc enim non indicat illam abſolutam electionem. quia potuit id à Deo ſtatui vel ob preces & merita parentum, vel ipſiuſmet qui rapitur; & ita non ante præuiſionem operum. Deinde non vult Scriptura innuere, illum fuiſſe periturum ſi manſiſſet in vita, & ideò raptum, vt quidam intelligunt. Loquitur enim de omnibus iuſtis qui præmatura morte decedunt. Quis autem credat omnes huiuſmodi fuiſſe perituros, ſi vita longior ſuppeditaſſet? Solùm vult ſignificare pericula quibus hæc vita expoſita, quibus potuiſſet ſubuerti; vnde Deus, ne his exponeretur illum rapuit, vel procurando eius mortem (quod rarum eſt) vel permitttendo. Hæc de ſecundo argumento, eiuſque confirmatione. 54

Retorquetur confirmatio. Porrò ſicut illud retorſimus; ita quoque eius confirmationem retorquere licet, hoc pacto: Modus electionis indicat modum intentionis: ſed tota gratia præueniens, quam Deus prædeſtinatis præparauit, talis eſt, vt ea poſita opus bonum relinquatur libero arbitrio ſic inſtructo, adeò vt tam facile ſit illi ſe inclinare ad malum, vel omiſſionem operis, quàm ad eius effectionem; ſicut in angelis & primo homine, proportionaliter loquendo, factum. Rurſus gratia præparata electis non diſtinguitur à gratia reproborum niſi effectu, & cooperatione quæ pendet à libertate noſtra: atqui talis præparatio mediorum non indicat intentionem abſolutam, ſed conditionalem; ſicut oſtenſum eſt in cauſa angelorum. Rurſus omnes promiſſiones vitæ æternæ in Scripturis ſunt conditionatæ: ergo ſignum eſt Deum non habere intentionem abſolutam, ſed conditionatam, &c.

Tertium Argumentum.

IPſa opera bona ſunt dona Dei, vt ex ſacra Scriptura, & D. Auguſtino conſtat; ergo prius eſt Deum velle illa dare, quàm illa præuidere. Confirmatur: ideò enim præuidet, quia ſtatuit dare. atqui non ſtatuit illa dare niſi intentione gloriæ: ergo prior eſt intentio gloriæ. Quòd autem intentio illa ſit abſoluta, probatur: quia ex illa procedit 55

cedit voluntas dandi omnia opera bona, & ipſam perſeuerantiam.

Reſpondeo, in iſtis propoſitionibus latere multas æquiuocationes. Ac primùm ſi opera bona ita eſſent dona Dei ſicut bonæ inſpirationes, & affectus diuinitus immiſſi, vt infunderentur nobis; voluntate ſe habente merè paſſiuè, aut ſi voluntas ad ea per phyſicum impulſum prædeterminaretur, ratio iſta magnas vires haberet. Vnde omnes quicumque alterum iſtorum imaginátur, ſtatuunt huiuſmodi abſolutá & præuiam gloriç intentionem. Verùm non eo modo concedimus nos opera bona eſſe dona Dei; ſed ſolùm ratione gratiç præuiç, & diuinæ cooperationis. Sicut enim opera moralia ordinis naturç referuntur in Deum vt auctoré naturæ, & rectè dicũtur eius dona, ratione principij ab eo accepti (quod eſt lumen rationis, & propenſio voluntatis ad honeſtum) & ratione concurſus vt auctoris naturæ: ita opera pietatis ſeu ſupernaturalia ſunt dona Dei ratione principij ſupernaturalis ab eo accepti (quod eſt donum gratiæ vel habitualis, vel actualis, vel vtrumque in intellectu & voluntate) & cooperationis qua cum illo principio concurrit. Gratia enim diuina eſt veluti ſemen diuinum animo immiſſum, per quod Deus bona opera in nobis operatur. ſed quia illud ſemen ſolùm eſt cauſa partialis, requiritur etiam liberum arbitrium, vt vnà cum illo integram & totalem cauſam operis conſtituat; ac proinde liberi arbitrij requiritur cooperatio, ſine qua Deus donum boni operis non vult abſolutè donare. Itaque bona opera dicuntur dona Dei: non (vt imaginatio mox apprehendit) quaſi Deus illa immittat nobis ante conſenſum liberi arbitrij; ſed quia ad ea vires præbet, & inuitat, & nobis volentibus ſimul nobiſcum ad illa producenda cooperatur. *Quo modo opera bona ſunt dona Dei.*

Hoc igitur ſenſu conceſſa maiore, diſtingue conſequens. Si enim intelligatur de voluntate abſoluta, quaſi prius ſit abſolutè velle vt opus ſit, quàm præſcire futurum; ſic negandum eſt. quia Deus ante præuiſam determinationem voluntatis, non prædefinit abſoluto decreto, vt opus iſtud bonum exiſtat. Si verò intelligatur de voluntate conditionata; ſic eſt concedendum. priùs enim vult Deus hoc modo opus eſſe, quàm præſciat illud futurum. non enim eſſet futurum, niſi vires daret vt facias ſi velis. Hæc voluntas ante poſitam cõditionem (nempe determinationem noſtræ voluntatis) non eſt abſoluta, ſed conditionalis: poſita autem illa conditione tranſit in abſolutam, & ſimul influit in opus, & vi illius opus habet eſſe ſupernaturale, & meritorium; ſicut à voluntate per ſe primò habet eſſe liberum, & quod hîc & nunc fiat, &c. Itaque non opus eſt noua aliqua volun- *Quo modo ſint prædefinita.*

voluntate abſoluta, qua rurſus illud opus velit, quæq; reſpectu illius operis habeat ſe per modum principij effectiui. Hoc enim neque neceſſarium eſt, neque intelligibile. nam conditionata voluntas, quæ præcedit determinationem liberi arbitrij, abundè ſufficit, poſita illa conditione. Explico exemplo humano: Cùm quis contrahit cum altero verbis de præſenti ſub conditione, voluntas ſe obligandi eſt conditionata; verùm poſita conditione, tranſit in abſolutam, & habet vim voluntatis abſolutè, & parit ſuum effectum abſque nouo actu. Simili modo (ſemotis imperfectionibus) cogitandum in Deo, quòd ad voluntatem eius æternam attinet, qua vult noſtra opera bona. Deus tamen non expectat tempus quo conditio ponitur ſicut homo, ſed ab æterno illam præuidet. vnde ab æterno eius voluntas abſoluta diſtinctè & cum intelligentia omnia bona opera attingit. Simile quoque videmus in actibus intellectus. Nam præſcientia conditionata tranſit in abſolutam, eo ipſo quo ponitur hypotheſis. Concipitur tamen in Deo poſita conditione nouus actus complacentiæ, & approbationis; ſed hic in opus non influit, vtpote illud ſupponens.

Vtrùm autem illa voluntas conditionata, poſita iam conditione, priùs habeat rationem voluntatis abſolutæ & efficacis, quàm præſcientia conditionata rationem præſcientiæ abſolutæ, parum refert ad præſens inſtitutum. Videri poſſit voluntatis abſolutæ ratio prior (ac proinde bonum opus priùs à Deo abſolutè volitum quàm prȩuiſum) quia hæc influit in opus. At præuiſio abſoluta iam ſupponit opus: neque eſt completa intuitio, niſi obiecto iam plenè conſtituto. Si tamen non loquamur de tali intuitione completa, ſed de nuda notitia futuri quatenus reſultat ex vi præſcientiȩ conditionatȩ poſita conditione; ſic non puto inter hæc eſſe vllum ordinem prioris & poſterioris propriè, ſed concomitantiam, quia nulla eſt alterius ab altero dependentia. Quòd enim voluntas conditionata tranſeat in abſolutam, non pendet à præſcientia abſoluta futuri; ſed ab impletione conditionis. Similiter quòd præſcientia conditionata tranſeat in abſolutam, non pendet propriè à voluntate abſoluta; ſed ex conditione poſita. quare hæc concomitanter ſe habent, & ſuo modo pendent à conditionis poſitione. atque hoc modo opus non eſt abſolutè volitum ante præſcientiam determinationis liberi arbitrij, quæ determinatio ratione prior eſt (non naturâ propriè) quàm ſit opus completum. Ratio eſt, quia ſi conſideretur opus, vt hîc & nunc fit, & vt tendit ad tale obiectum generali modo, priùs quodammodò

influit

influit in illud liberum arbitrium quàm gratia. Nam per ſe primò hanc conditionem habet à libero arbitrio; a gratia ſolùm vt cauſa comitante. Econtrariò quòd opus ſit ſupernaturale & meritorium habet per ſe primò à gratia; à libero arbitrio concomitanter & ſecundariò. Porrò determinatio liberi arbitrij nihil eſt aliud quam productio, vt a libero arbitrio egrediens; quæ ab opere producto, vel formaliter, vt quidam volunt, vel ratione ſola diſtinguitur.

Ad confirmationem, concedo totum iuxta ſenſum iam explicatum. Ad probationem verò intentionis abſolutæ, concedo omnia bona opera, & perſeuerantiam dari ex intentione perducendi hominem ad gloriam. Hinc tamen non ſequitur intentionem illam eſſe abſolutam ante omnem præuiſionem: quia potuerunt illa dari ex voluntate conditionata gloriæ; cùm illa omnia non fuerint abſolutè volita & decreta homini ante præuiſionem liberi arbitrij ſe ad ea inflectentis, vt explicatum eſt.

Dices, Illa determinatio liberi arbitrij eſt donum Dei & effectus prædeſtinationis, ac proinde debet eſſe prædeſtinata & prædefinita à Deo: ergo vel abſolutè, vel ſub conditione. Si abſolutè, ergo & ipſum opus bonum, & influxus gratiæ abſolutè prædefinitus cenſetur. Si ſub conditione; petitur ſub qua? Non enim poteſt eſſe proceſſus in infinitum. Reſponderi poteſt, illam determinationem nihil aliud eſſe quàm influxum liberi arbitrij in opus: qui ſi conſideretur præciſè vt eſt à libero arbitrio, non pertinet ad effectus prædeſtinationis propriè loquendo, cùm non habeat eſſe ſupernaturale, ad quod prædeſtinatio eleuat; neque ad finem ſupernaturalem, quem prædeſtinatio reſpicit, conducat. Vnde non requiritur vt ſit abſolutè vel ſub conditione prædeſtinatus; poteſt tamen eſſe conditio, ſub qua opus bonum & ſupernaturalitas eius quæ eſt à gratia ſit prędeſtinata.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit. Primò, quia etſi influxus liberi arbitrij, ſub illa præciſione, non ſit formaliter ſupernaturalis; tamen abſolutè vt exiſtit in rerum natura, & (vt ſic dicam) identice eſt ſupernaturalis, nimirum vt coaleſcit in ſimplicem actum vnà cum influxu gratiæ. Vnde abſolutè debet dici effectus prædeſtinationis. Confir. quia eſt effectus gratiæ, ſaltem concomitanter. Non enim poteſt ſe liberum arbitrium determinare, aut influxum in opus pietatis præbere, niſi iam viribus gratiæ inſtructum, & eadem gratia ſimul cooperante ac influente. Si eſt effectus gratiæ, etiam eſt effectus prædeſtinationis, vt ex D. Auguſtino ſæpiùs oſtenſum eſt. Eo enim

modo quo aliquid pendet à gratia, pendet à prædeſtinatione, quæ eſt præparatio gratiæ.

Deinde, Deus deſiderat maximè noſtram cooperationem, cùm ſine ea gratia ſit otioſa & inutilis, & bonum opus extare non poſſit. Vnde multis modis agit tum interiùs tum exteriùs vt nos ad cooperandum gratiæ ſuæ prouocet. Itaque neceſſe eſt vt determinatio liberi arbitrij, ſeu concurſus eius, & cooperatio (hæc enim omnia idem valent) ſit prædeſtinata à Deo. Quidquid enim eſt effectus prædeſtinationis, debet eſſe prædeſtinatum. Non tamen eſt prædeſtinata decreto abſoluto antequam ſit futura, ſed ſub conditione, & deſiderio quodam. Deſiderat enim noſtram cooperationem, ſed non vult abſolutè vt extet, niſi nos ſpontè velimus. Neq; hîc requirit aliam conditionem, ſed ipſamet determinatio vt pendet à noſtra libertate, eſt conditio ſub qua ipſius exiſtentia in rerum natura eſt volita abſolutè à Deo. Vult enim Deus illam extare, ſi nos velimus, velimus inquam, non alia volitione, ſed eademmet, quæ eſt noſtra determinatio. Omnis enim actus voluntatis implicitè ſupra ſeipſum reflectitur, & ſeipſo eſt volitus. Sic qui vult alterius nuptias, non vult illas abſolutè ante illius conſenſum, ſed ſub conditione, Si puella conſenſerit; & hanc conditionem non vult etiam abſolutè extare, neque ſub alia conditione, ſed ſub eadem, vt pendet à libertate conſentientis; quatenus nimirum qui conſentit, dicitur velle conſentire. Itaque nulla hîc eſt peculiaris difficultas. Idem enim cernitur paſſim in actibus liberis, & effectibus, ad quos duæ voluntates ſpontè concurrere debent.

Quartum Argumentum.

An aliqui ſic electi. Certum eſt Deum elegiſſe aliquos, vt beatam Virginem, ſanctum Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos, & alios eximios Sanctos ante omnem præuiſionem futurorum ad gloriam, & nulla eſt ratio aliquos excipiendi ab hoc modo electionis. ergo omnes ſic ſunt electi. Reſpondeo, id nullo modo eſſe certum. nam neque ex S. Scriptura id colligi poteſt, cùm loquatur de electione ad iuſtificationem, vel habeat tacitam conditionem perſeuerantiæ: neque ſancti Patres id affirment. Et vt omittamus B. Virginem (cuius priuilegia omnem modum ſuperant, & ad nullum alium ſunt extendenda) nulla ratio vrget cur de ceteris concedamus. Sufficiebat illis eximia quædam gratiæ, & ſingularis prouidentiæ cura, cum qua etſi 56

De Apoſtolis.

diffi-

difficulter, abſolutè tamen potuiſſent damnari. Quod expreſsè docet Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 21. vbi inter cetera dicit Iudam non minus auxilij à Domino habuiſſe ad perſeuerandum, quàm ceteros Apoſtolos; ſed ſua prauitate periiſſe. & colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 4. vbi de ſe ait: *Sed neque meipſum iudico; nihil mihi conſcius ſum; ſed nō in hoc iuſtificatus ſum.* & cap. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.* Non ergo putabat ſe ita electum. Idem dicendum de ceteris. Quod enim Apoſtolo Paulo, vaſi electionis, tam mirificè vocato, & ad prædicandum tot gentibus & Regibus Euangelium prædeſtinato, à Chriſto immediatè totam fidei doctrinam ſupernaturaliter educto, ad tertium cælum rapto, tanta pro Domini gloria paſſo & paſſuro, non eſt conceſſum, credibile ſanè nec in ceteris locum habuiſſe. hinc Dominus omnibus ait: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* & omnibus dicitur, *Qui ſtat, videat ne cadat.* &, *Cum timore ac tremore ſalutem veſtram operamini.* Quę omnia indicant nihil abſolutè de æterno præmio & ſupplicio conſtitutum ante præuiſionem finis.

Nec obſtat quòd quidam eximiis gratiæ donis iam ab infantia ſint præuenti; vt S. Ioannes Baptiſta, S. Nicolaus, S. Catharina Senenſis, & alij: quia id non eſt indicium ſufficiens illius abſolutæ electionis, ſed peculiaris fauoris & amoris. Poteſt enim Deus abſque tali electione alium alio plus diligere, & maioribus donis ornare. Longè maiora acceperant angeli, & tamen ceciderunt. Quòd autem quidam Doctores, vt Occam, Gabriel, Caterinus putarunt huiuſmodi electionem in Apoſtolis & aliis quibuſdam excellentis ſanctitatis viris negari non poſſe, id ex eo prouenit quòd exiſtimarent Scripturas quaſdam in eum ſenſum eſſe accipiendas. Sed ſuprà ſatis oſtenſum eſt longè aliam eſſe illarum germanam intelligentiam.

57 Nec obſtat quòd quidam paruuli, etiam adhibita omni diligentia, non poſſint peruenire ad baptiſmum; aliis ſingulari prouidentia ſupra hominum induſtriam baptiſmus procuretur. Id enim non eſt neceſſe prouenire ex tali electione & reprobatione quæ omnem futurorum præuiſionem antecedat. Poteſt enim illud fieri ex cauſarum naturalium diſpoſitione, quæ tamen non ideò ſic à Deo ſunt diſpoſitæ, vt infans ille periret, aut ne baptiſmus ei conferri poſſit. Abſit. Deus enim illius ſalutem ex animo deſiderat (vt qui pro illo ſanguinem ſuum fuderit) quantum tamen curſus rerum naturalium patitur. Non enim expedit ſupremæ illi rerum gubernationi, vt Deus *De paruulis.*

 aſſi-

aſſiduè curſum earum ob tales fines particulares immutet vel impediat; ſed ſinit illas agi ſuis motibus: & diſplicet illi, ſi idcircò aliqua anima pereat. Alia prouidentiæ & adminiſtrationis ratio rebus humanis & ſublunaribus ante peccatum præparata erat, quæ nulli occaſio exitij fuiſſet, illo ſtatu perſeuerante: qua per peccatum euerſa, in hanc delapſi ſumus, quam partim ipſa nuda rerum natura, partim peccati vindicta poſtulabat. hanc Deus non facilè immutat, aut impedit. Interdum tamen id facit (v. g. in præſenti caſu, res ita diſponendo vt poſſit paruulo baptiſmus dari) vel propter preces & merita iuſtorum, vel ex particulari fauore erga ipſum infantem, quem vult iuuare, vt ad baptiſmum peruenire poſſit. Hoc tamen non eſt ſignum illius electionis abſolutæ: tum quia hoc auxilium non eſt decretum ante præuiſionem, v. gr. precum parentum: tum quia ex eo non neceſſariò ſequitur ſalus. Nam etſi exteriùs baptizetur, poteſt tamen interiùs baptizanti deeſſe intentio neceſſaria, &c. non enim ſi particulari fauore rès ita diſponit vt baptiſmus poſſit applicari, neceſſe eſt vt reliqua omnia ſimili modo procuret ne effectu fruſtretur; quia ſunt beneficia diſtincta.

Quintum Argumentum.

Numerus ſaluandorũ præfinitus.

IN regno Dei totus ſaluandorum numerus erit ex directa & abſoluta intentione Dei; ergo neceſſe erat vt Deus haberet hanc ex ſe circa omnes, qui futuri erant ciues illius regni. Antecedens patet; quia tota illa ciuitas electa fuit, vt eſſet vna ſponſa Christi, quæ per gratiam poſteà ita præparata eſt, ſicut electa. Quod confirmatur: Primò, quia hoc eſt conſentaneum perfectioni illius regni, in quo nihil eſſe debet niſi ex ſingulari Dei præfinitione. Confirmatur Secundò & declaratur. Nam in vnoquoque negotio vel gubernatione exitus rei declarat intentionem gubernantis: & terminus ille, quo tandem obtento ceſſat ſollicitudo & gubernatio, ſolet eſſe primum obiectum propoſitum intentioni talis gubernatoris, ſi prudenter ſe gerat. Atqui videmus totam Dei gubernationem eò tendere, vt ciuitas illa in tali pondere, numero & menſura, compleatur. Vnde omnes Theologi dicunt tunc rerum generationes eſſe terminandas, quando numerus electorum completus fuerit. Signum ergo eſt, abſolutam Dei intentionem poſitam fuiſſe non tantum in his & illis perſonis illius ciuitatis, ſed in tota illa vt complenda ex integro ſaluandorum numero. 58

Reſpon-

Reſpondeo negando antecedens, ſi loquamur de intentione quæ præueniat omnem præuiſionem futurorum, vt obiiciens intendit. Si enim hoc modo eſſet iſte numerus intentus, manifeſte ceteri omnes eſſent poſitiue excluſi; & ad prouidentiam Dei pertineret eos impedire ne ſaluentur. Abſoluta enim numeri certi præfinitio, non minùs excludit eos qui iſto numero non continentur, quàm includit eos qui continentur. Nam ſi aliquis illorum irreperet, non minùs euerteretur illa numeri determinatio, quam ſi aliquem horum contingeret abeſſe. quælibet enim ſpecies numeri non minùs excludit vnitates excedentes vltimam à qua conſtituitur, quàm includit eas quæ ſunt citra vltimam. Idem cernitur in omni alia definita menſura. Ergo ſicut ad prouidentiam Dei pertinet procurare vt nullus incluſus deſit in die nouiſſimo: ita etiam vt nullus non incluſus adſit. quod etiam inde confirmatur, quia id eſſet contra perfectionem illius regni, quæ poſtulat vt nihil ibi ſit niſi ex ſingulari Dei præfinitione, vt in obiectione dicitur. *Quo modo numerus ſaluandorum præfinitus.*

Ad probationem antecedentis, negandum eſt totam illam ciuitatem eſſe electam vt ſit vna Chriſti ſponſa: quia angeli non ſunt ſponſa Chriſti, nec ad eam pertinent. Primò, ſponſa enim Chriſti conſtat ex hominibus, ſicut & Eccleſia Chriſti: imò eadem eſt ſponſa Chriſti, & Eccleſia Chriſti, & corpus Chriſti, & oues Chriſti. atqui angeli non ſunt Eccleſia Chriſti, nec oues Chriſti, nec corpus Chriſti ſecundùm Scripturas. Secundò, quia Chriſtus pro ſua ſponſa fudit ſuum ſanguinem, vt eam à peccatis lauaret, & ſanctificaret, & exhiberet ſibi non habentem maculam aut rugam, ad Epheſ. 5. at non effudit ſanguinem pro angelis, nec eos lauit à peccatis, &c. Tertiò, quia Chriſtus dicitur ſponſus per myſterium incarnationis, qua factus eſt ſimilis hominibus: vt ex parabola de nuptijs, & alijs locis colligitur: at per incarnationem non eſt ſimilis angelis, ſed hominibus. Nec obſtat cap. 21. Apocalypſis, vbi cæleſtis Ieruſalem vocatur ſponſa agni: quia id intelligendum de illa ciuitate qua parte continet homines: huius enim ſunt duodecim portæ, & duodecim fundamenta, nempe duodecim Apoſtoli agni. *Vtrùm angeli ſint ſponſa Chriſti.*

Sed eſto, concedatur totam illam ciuitatem eſſe electam vt vnam Chriſti ſponſam; non ideò oportet omnes ad illam pertinentes eſſe electos ante omnem præuiſionem futurorum, aut in eodem ſigno rationis. Primò, quia angelorum electio facta eſt ante præuiſum peccatum originis; hominum verò poſt. Secundò, quia non omnes homines in eodem ſigno rationis electi. Tertiò, quia Chriſtus ipſe, qui

eſt ſponſus electorum ex hominibus, non eſt illo primo ſigno rationis prædeſtinatus, ſed occaſione peccati originalis; quanto magis alij, qui prædeſtinati in ipſo? Quæ omnia ſatis ſuprà ſunt declarata. Nihil igitur opus erat ad conflandum vnum regnum ex angelis & hominibus, vt omnes in eodem ſigno rationis electi ſint. Cœtus ſaluandorum ex hominibus efficit vnam Chriſti ſponſam, vnam eccleſiam, vnum corpus, (quod aggregatur cœtui angelorum vt vnum cum illis regnum Dei conſtituat) & tamen non omnes in eodem ſigno rationis electi. Satis enim eſt omnes eſſe electos ante cõſtitutionem mundi, & ex omni æternitate, etſi alij aliis poſteriùs vel priùs ratione. Æterna enim eſt & incommutabilis voluntas Dei, nec conſilio alternante variatur, in qua ſimul eſt quidquid in rebus creandis vel ordinandis præcedit vel ſequitur.

Ad primam confirmationem negandum quod aſſumitur. Parum 59
enim refert ad perfectionem illius regni, ſiue omnes in eodem ſigno ſint electi, ſiue in diuerſis. Imò magis eſt illi conſentaneum, vt non ſint electi abſolutè niſi ſuppoſita præuiſione finis cuiuſque: quia non eliguntur ad donum merè gratuitum, ſed ad mercedem operum, quã decet nemini decerni abſolutè, niſi ſuppoſitis operibus. Similiter negãdum quoque quod additur, *Nihil ibi debere eſſe niſi ex ſingulari Dei præfinitione, quæ omnem præuiſionem præcedat:* quia vt ſæpiùs dictum, ſic excluderentur omnes reliqui, & ſalus redderetur illis impoſſibilis. Illud enim *debere eſſe*, nihil ſignificat aliud quàm *poſſe eſſe.* alioquin nihil ad rem faceret: nec probaret ipſum numerum eſſe abſolutè præfinitũ. Sicut cùm dicimus, Nihil ibi *debet* eſſe immũdum; ſignificare volumus nihil ibi poſſe eſſe immundum. Confirmatur; quia ſi nihil ibi eſſe debet niſi ex Dei præfinitione, vel id prouenit ex ipſa conditione ſalutis æternæ, quæ talem prædefinitionem requirit; & ſic perſpicuum eſt eos qui non ſunt ita prædefiniti, ſaluari non poſſe: vel ex Dei ſtatuto, quo ſtatuit vt nemo non ſic electus ibi ſit; & ſic etiam ſalus eſt impoſſibilis; quia ita electum eſſe nullo modo pendet ab illorum arbitrio: vel ex perfectione ipſius regni Dei, quæ poſtulet in omnibus ſuis membris talem prædefinitionem ne quaſi fortuitò videatur coaluiſſe; & ſic quoque excluſi manent ceteri, & ad diuinam prouidentiam pertinebit curare ne intrent, ſicut ad eam pertinet curare vt à ſuo regno omnis imperfectio abſit, & ne fortuito imperfectoque modo coaleſcat.

Ad ſecundam confirmationem: Si hæc ratio aliquid valet, probat Deum alia ratione numerum ſaluandorum ſtatuere non potuiſſe;

quia non poteſt non prudenter procedere; quod ſanè abſurdum eſt. Ad maiorem ergo dico, non eſſe neceſſe vt prudens gubernator totum terminum, qui ex gubernatione reſultat, ſecundum omnem ſuam mẽſuram & modum abſolutè intenderit ante volitionem mediorum. Primò, quia alioquin debuiſſet etiam intendiſſe numerum damnandorum; nam hic numerus ex gubernatione reſultat. Dices, Reſultat per accidens, & præter intentionem gubernantis. Sed quomodo pręter intẽtionem, ſi Deus ſtatuit vt nemo ſit in regno ex non electis? Si abſoluto decreto præfiniuit numerum ſaluandorũ, è quo illi decreto diuino ſunt excluſi, ſi gratiam tantùm incongruam præparauit? Secundò, in iſto termino maximè continetur Chriſtus; & tamen hic non fuit in prima illa intentione Dei comprehenſus, vt ſuprà dictum. Tertiò, in iſto termino continetur menſura gloriæ cuiuſque. at neque hæc fuit in illa intentione prima abſolutè volita, vt ſuprà probatum. Denique, ſi Deus totam menſuram ſui regni & partium eius ex ſe concepiſſet, & conſtituiſſet, longè plures ſalutem obtinuiſſent, & longè perfectiori gradu. Deus enim ex ſe neminem excludit, neminem remiſsè operari facit; ſed omnes cupit ſaluos, & ſuæ gratiæ proportionatam gloriam mereri.

Gubernatio diuina ad quid tendat.

Ad minorem: Neganda eſt in ſenſu obijcientis. Non enim rerum gubernatio, quatenus eſt ex parte Dei, tendit ſolùm ad hoc, vt iſte numerus ſaluetur, aut ea gloriæ menſura obtineatur; quæ reipſa in die iudicij reperietur; alioquin Deus non cuperet alios ſaluos fieri, nec eos qui ſaluantur maiorem gloriam mereri; quæ non ſunt admittenda. Itaque prouidentia diuina, & rerum gubernatio vt à Deo procedit, directè ad longè plurium ſalutem, & ad maiorem gloriam obtinendam tendit: ſed quòd plura & maiora ex ea non conſequamur, prouenit ex parte noſtra, qui gubernationi miſericordiæ vel nos ſubtrahimus, vel ei, vt par eſt, non reſpondemus. Significat id Apoſtolus Petrus epiſt. 2. c. 3. cùm ait: *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reuerti.* Vbi apertè indicat prouidentiam diuinam directè tendere ad omnium ſalutem, & idcircò non finiri mundum, vt quàm plurimi ſalui fiant.

Quando mundus finiendus.

60 Nec obſtat quòd mundus dicatur finiendus, cùm numerus prædeſtinatorum fuerit completus. Illud enim in omni ſententia verum eſt. Hinc tamen non colligas iſtum numerum fuiſſe intentum ante omnem futurorum præuiſionem. Potuit enim intendi ſuppoſita præuiſione decurſus rerum, ſecundùm iſtam gubernationem, quæ

poſt

poſt peccatum originale, & poſt Chriſti aduentum; fuit inſtituta tamquam conuenientiſſima. Porrò tunc non tam finietur mundus quòd Deus ex ſe non deſideret vltra hunc numerum quemquam ſaluari, quàm quòd parum boni amplius ex genere humano colligi poſſit, fide & religione pęnè extincta; & ex altera parte, menſura peccatorum completa, & vindictam clamante. Cùm igitur inutilis facta fuerit arbor humani generis, nec fructum cælo (niſi perexiguum) ſed inferno tantùm parere perſtiterit; tunc Dominus ſecurim ad radicem applicabit, & eam excidet, contentus numero, qui intereà colligi potuit: qui numerus ab æterno prædeſtinatus eſt, & præcognitus, nec augeri nec minui poteſt. Sic Dominus arborem populi Iudaici exſcidit, cùm poſt longam patientiam non ampliùs fructum ferret. quod excidium typus fuit excidij generalis totius generis humani; vt omnes Patres docent.

Dices, Si abſoluta Dei intentio non fuit primariò verſata circa illam ciuitatem vt completam ex tali numero, &c. quæ ergo fuit prima voluntas, quam Deus habuit circa electos? Reſpondeo: Ante omnem præuiſionem futurorum, non habuit aliquam peculiarem voluntatem circa illos, ſed ſolùm communem, qua deſiderabat omnes ſaluos fieri, & volebat omnibus ex parte ſua auxilium ſufficiens largiri quamuis diſpari menſura; quod ex effectu inde ſecuto apertè colligitur. Nam in Adamo omnes deſtinauit ad ſalutem, & omnibus auxilium ſufficientiſſimum præparauit. Præuiſo autem peccato Adami, & euerſo illius prouidentiæ, quã illi ſtatui præpararat, ordine; rurſus habuit voluntatem communem, qua ex ſe deſiderabat omnes ſaluos fieri, & omnibus auxilium ad hoc ſufficiens ex parte ſua impertiri; ſed quantum curſus rerum iſti ſtatui congruens pateretur. Prima autem voluntas, quam circa illos propriè habuit, quæ ad reprobos non ſe extendit, illa fuit, qua illis totam illam beneficiorum ſeriem, quibus certiſſimè liberandi erant, præparauit. quæ voluntas fuit illorum prædeſtinatio: vt ex D. Auguſtino multis locis conſtat. Hæc tamen voluntas non terminatur in eodem ſigno rationis ad omnia illa beneficia; ſed ad alia priùs ratione, ad alia poſteriùs, ſecundùm ordinem dependentiæ poſterioris à priore. Hanc voluntatem ſecuta eſt abſoluta electio ad gloriam, & certitudo numeri prædeſtinatorum.

Sextum

Sextum Argumentum.

61 RAtio illa prouidentiæ, qua ſinguli ſaluandi, & gradus gloriæ cuiuſque, & omnia eorum bona opera ſtatuuntur prædefinita abſoluto decreto ante omnem præuiſionem abſolutam futurorum, eſt longè perfectior & ſublimior: ergo ponenda eſt in Deo reipſa, & credendum ipſum ea eſſe vſum. Conſequentia patet; quia ſemper Deo tribuendum quod eſt perfectius. Confirmatur; quia hic modus prouidentiæ eſt poſſibilis; imò eſt facillimus propter præſcientiam conditionalem, qua facillimè poteſt hoc totum exequi ſeruata libertate. quod ſic declaro & probo; quia Deus ante omne decretũ liberum, inter alios infinitos rerũ ordines & prouidentiæ modos, concipiebat quoque iſtum, in quo continentur omnes angeli & homines, qui reipſa in tempore extant; & tota gubernandi ratio, qua cum illis decurſu temporis nunc vtitur. Deinde præſciebat pariter ante omne decretum liberum per ſcientiam conditionalem, omnia quæ nunc reipſa fiunt, eſſe futura ex hypotheſi, nempe ſi illos vellet condere, & hoc prouidentiæ modo cum illis vti. Hac notitia clariſſima & diſtinctiſſima poſita in intellectu, potuit in primo ſigno rationis, antequam aliquid ſtatueret de mediis, vel gubernandi ratione, eligere omnes illos, quos per talem prouidentiæ rationem præſciebat ex hypotheſi ſaluandos, & decernere de gradibus gloriæ, & bonis operibus ſingulorum; & alios quos ex hypotheſi prædicta ſciebat damnandos, non eligere, & nolle illis gratiam congruam dare. Hæc eſt ratio potiſſima, quæ quoſdam in hanc ſententiam trahit. Sed facilis eſt reſponſio, ſi quis attentè conſideret.

Ex perfectione prouidentia.

Reſpondeo, perfectionem prouidentiæ ſpectari poſſe vel ex ordine ad effectus qui ſub prouidentiam cadunt, vel ex ordine & congruentia ad eos qui prouidentia reguntur. Si priore modo ſpectetur vt opponens intendit; concesſo antecedente, neganda eſt conſequentia. Non enim oportet vt Deus cum omnibus vtatur perfectiſſimo prouidentiæ modo, in ordine ad effectus; eos nimirum perfectiſſimo modo intendendo, & media perfectiſſima applicando. alioquin deberet non minorem curam habere de actionibus boum quàm hominum. Imò non ſolùm opera bona, ſed omnino omnia ſaltem non mala deberent eſſe prædefinita abſoluta voluntate ante præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum. quod etſi quidam concedunt, non putamus admittendum ob cauſas in tractatu de prouiden-

Perfectio prouidentia vnde ſpectãda.

tia explicatas. Alio tamen ſenſu dicimus Deum vti perfectiſſimo quodam prouidentiæ modo cum hominibus; quia maximè congruente humanæ conditioni, & maximè decente ſupremum rerum gubernatorem, ſpectato naturæ lapſæ ſtatu, & curſu rerum naturali. Cùm enim homo ipſe ſit prouidentiæ particeps, vt ſeipſum abſque huiuſmodi prædefinitione cum auxilio diuino regere poſſit; quid opus eſt omnia ipſius opera prædefiniri? Cur Deus id faciat ſine neceſſitate? Nam nullam eſſe neceſſitatem patet ex præſcientia conditionata, quæ ſupponit (vt omnes fatentur) ea abſque vlla prædefinitione futura, ſi Deus talem vel talem gratiæ præuenientis opem porrexerit. Stellarum numerum, magnitudinem, ſitum, & vires Deus abſoluta voluntate prædefiniuit; quia aliter fieri non poterant, & ſic omnino ſingulę vt modò ſunt, non aliter fieri aut eſſe debebāt. At opera hominum abſque huiuſmodi decreto facilè fieri poterant; & nihil referebat vtrùm hoc vel illo tēpore, hoc vel illo modo, loco, ordine fierent. & plerumque expediebat meliora fieri. non ergo eſt vlla ratio, cur ea ſic rigidè & abſolutè cum omnibus circumſtantiis, ſicut ſtellæ decretæ ſunt, præfiniret. Quòd enim ſimili modo quo ſtellas, opera bona decreta ponant, patet; quia abſoluto decreto decreuit vtraque fieri, idq; ante omnem præuiſionem diſpoſitionis cauſarum ſecundarum. Solùm eſt differentia quòd ſtellas decreuerit fieri à ſe ſolo; bona opera à ſe per inſtrumentum liberum. Sed hoc nihil refert ad rigorem & efficaciam abſoluti decreti.

Ad confirmationem: Non nego quin ſpectata Dei cognitione, & 62
ſupremi dominij iure, potuerit ſic ſtatui; ſed dico id non congruere eius bonitati & affectui quem ex ſe habet erga creaturas, nec iuſtitiæ qua vindicat peccata, nec poſſibilitati ſalutis reproborum, nec libertati, nec mutabilitati humanæ, nec multis ſententiis Scripturarum; vt ſuprà oſtenſum eſt, & rurſus breuiter ſic declaro. Præſcientia enim conditionata, qua iſti auctores omnia confici volunt, ad hoc quidem iuuat, vt Deus faciliùs omnia quæ vult, poſſit executioni mandare, illæſa intrinſeca liberi arbitrij diſpoſitione: non tamen facit, vt decreta ipſius ſint mitiora; aut vt ea quæ ſic decreta ſunt, poſſint abſolutè à nobis impediri, & quæ non decreta, poſſint reipſa fieri.

Præſcientia conditionata ad quid iuuet.

Non tollit incommoda.

Non eſſe idcircò mitiora illa decreta quibus ſecretio electorum & non electorum facta eſt, patet Primò: ideò enim cenſentur dura, quia hoc ipſo quo quis eſt non ſic electus, cenſetur excluſus, & ad prouidētiam Dei pertinet curare ne in numerum illum intret. at hoc non tollitur per præſcientiam conditionatam, ſed potiùs augetur; quia ſub-

ſubminiſtrat modum occultè exequendi, & diſſimulanter impediendi ne quis non electus in numerum ſaluandorum intret. Nec refert quòd Deus præſciebat illum excludendum, ſi hoc modo prouidētiæ vteretur: quia hunc prouidentiæ modum præſcientia conditionata ei oſtendit, & ipſe eum ad hoc elegit, vt omnia ſic euenirēt, ſicut ipſe primò ſtatuerat. Si ob aliam cauſam illum elegiſſet, v. g. quia maximè erat conſentaneus naturis rerum, ſecùs eſſet, nec ita ex intentione Dei viderentur excluſi: ſed tunc iſte modus non eſſet electus vt medium ad executionem illius determinatæ & primæuæ intentionis; quod eſt euertere illam intentionem, vel efficere vt eius executio ſit incerta. Secundò, quia ſuppoſita illa præſcientia conditionata circa hunc ordinem rerum, Deus eadem facilitate qua dicitur elegiſſe numerum ſaluādorum, & gradus gloriæ ſingulorū, poterat ſtatuere poſitiuè de numero damnandorum, & de gradibus pœnarū cuiuſque, & totum illud exequi mediantibus variis decretis & permiſſionibus, ſicut modo reipſa contingit fieri: non tamen idcircò minùs dura illa reprobatio cenſeretur. Addo illam præſciētiam non minùs odioſam reddere & duram negatiuam reprobationem, quàm ſit poſitiua ſublata vel ſemota tali præſcientia. quia cùm vtroque modo infallibiliter ſequatur damnatio, quiuis mallet voluntatē ſuam prædeterminari, & neceſſariò impelli ad opus malum, quàm occultis modis ita gubernari, vt liberè faciat: quia illo modo plus haberet excuſationis. Quòd verò præſcientia illa non efficiat vt effectus prædefinitus poſſit abſolutè à nobis impediri ſuprà num. 17. & ſequent. oſtenſum eſt. Etſi enim prædefinitio non mutet modum intrinſecum operandi voluntatis, tamen ita illi aſſiſtit, & illam gubernat, vt impoſſibile ſit reipſa opus non fieri. Cùm enim ſit abſoluta & efficax, atque adeò omnipotens, omnino neceſſe eſt, vt res præfinita fiat, nec vlla creatura id impedire poteſt, quamuis liberè (hoc eſt abſque intrinſeca prædeterminatione voluntatis) facienda ſit.

Nec obſtat, quòd Deus anteà præſciebat me tali momento liberè facturum, ita vt poſſem abſolutè non facere, ſi me ſic excitaret; quia ſuperueniente abſoluta præfinitione, obiectum quodammodò mutatur, & accipit quamdam obiectiuam neceſſitatem, qua fit vt abſolutè impediri nequeat. Ad prouidentiam enim Dei pertinet, curare vt illud omnino fiat, quod abſolutè decretum eſt, adeò vt ſi ex tali motione præuia non ſequeretur, deberet alia atque alia adhiberi, vel ipſum opus immediatè in voluntate poni. Prædefinitio enim operis prior eſt ratione, quàm electio medij quo Deus illud procurat fieri (vt

Prædefinitio obiectū aliàs liberum & indifferens quodāmodò immutat & determinat ad eſſe.

ipſi docent) ac proinde non pendet ab huius vel illius medij efficacia. Idem dicendum de omnibus aliis à Deo abſolutè ante omnem præuiſionem decretis. & hoc eſt vnum ex maximis huius ſententiæ incōmodis. Ante enim huiuſmodi decreta, res ſecundùm ſe planè liberè fiunt, & facilè poſſunt à libero arbitrio impediri; quia nec in voluntate humana, nec extra illā habent vllā cauſam determinatam & efficacē; & Deus illis non ita inuigilat, vt omnino fiant. Hinc abſolutè poſſumus omittere bona opera quæ facimus, & facere alia, & excidere à gratia & à ſalute æterna. At decretum ſuperueniens illorum naturali conditioni eſt cauſa ad illa determinata & efficax, & quamdam obiectiuam neceſſitatem illis imprimit, ratione cuius non ampliùs poſſunt omitti. eſtq́; hæc neceſſitas antecedens; quia eſt cauſa operis, & ſuperuenit ipſi naturali conditioni rei. Secùs eſt de præſcientia, quæ ſequitur euentum rerum: ita vt priùs ratione res ſit futura abſolutè quàm præſcita.

Dices, Illæ præfinitiones ſupponunt illas res omnino liberè futuras ex hypotheſi, ita vt facilè poſſint non fieri: ergo nullam adferunt neceſſitatem. Reſpondeo id ſupponere, ſi res omnino ſibi relinquuntur, & hypotheſis ſimpliciter ponatur; non autem ſuperueniente prædefinitione. Hæc enim ſuperueniens, illas quodammodò immutat; vt quæ ſecundùm ſe omnino potuiſſent impediri, iam non poſſint. Itaque perſpicuum eſt, hanc ſuppoſitionem non efficere quin prędefinitio abſoluta aliquam neceſſitatem adferat, hominémque ſecurum reddat, ita vt non poſſit de contrario euentu metuere; & ſic tollitur omne ſtudium profectus, & omnis ſollicitudo bonorum operum. Cur enim ſit ſollicitus, ſi omnia iam antè ſunt præfinita & taxata, & Deo incumbit curare, vt ipſius decreta impleantur? Rurſus, cur ſit ſollicitus, cùm certus ſit omnem conatum ſolùm habiturum effectum reſpectu eorum quæ ſunt prædefinita; circa cetera omnia fore irritum? Nec refert quòd dicatur poſſe; quia hoc totum poſſe nihil boni efficiet, niſi quod eſt prædefinitum.

Septimum Argumentum.

Ex electione ad iuſtitiā.

DEus ante omnem præuiſionem operum eligit & prędeſtinat hominem ad iuſtificationem, & tamen hæc non obtinetur niſi interuentu noſtri conſenſus: ergo ſimiliter dicendum illum eligere ad gloriam, etiamſi non poſſimus illam obtinere niſi mediante noſtra cooperatione, & noſtris meritis. vtrobique enim videtur eadem ratio, 63

tio,

tio, cùm æquè requiratur vtrobique noſter conſenſus, & aliquod meritum in executione. pœnitentia enim ex fide profecta, meretur ex congruo iuſtificationis gratiam.

Reſponderi poteſt Primò, eſſe diſparem rationem: quia ante iuſtificationem nulla præcedunt merita, ob quæ Deus ad hanc gratiam eligat: ante gloriam præcedunt plurima merita, ob quæ meritò gloria præparari debeat. Nec refert quòd iuſtificationem præcedat fides, ſpes, pœnitentia; tum quia hæc ſunt merita valdè imperfecta, tum quia non pręcedunt congruam vocationem: *congruam*, inquam, cogruitate præuiâ (quæ in peculiari conformitate cum ingenio & affectibus hominis conſiſtit) & non tantùm ſubſequâ, quæ reſultat ex effectu ſecuto. Vnde non merentur illam, nec ſunt vllo modo illius cauſa; ſed hæc congruitas eſt cauſa illorum actuum. Porrò talis congruitas moraliter requiritur ad iuſtificationem in adultis, non autem ita requiritur ad benè operandum poſt iuſtificationem, & ad gloriam promerendam. Affectus enim iam per iuſtificationis gratiam correctus, faciliùs ad bonum operandum & malum vitandum inflectitur.

Hæc reſponſio oſtendit non eſſe omnino eamdem rationem electionis ad iuſtitiam & ad gloriam. Mihi tamen non omnino probatur. Vnde reſpondeo Secundò: Si loquamur de iuſtificationis gratia, quatenus includit totam mutationem præuiam tendentem ad iuſtitiam, ſic fateor ad eam homines eligi ante omnem præuiſionem ſuorum operum, nempe quæ id aliquo modo mereantur: quia nemo poteſt vllo modo præuiam Dei inſpirationem, à qua tota illa mutatio principium ducit, mereri, cùm ſit inimicus, & prorſus indignus ſtatu ſupernaturali, & diuina adoptione; & ipſius opera præcedentia nullam ad hanc proportionem habeant. Si verò accipiamus eam præciſè pro termino illius integræ mutationis, nimirum pro infuſione gratiæ; ſic negamus iuſtificationem eſſe decretam abſolutè ante præuiſionem aliquorum noſtrorum operum, fidei, ſpei, pœnitentiæ, &c. quia Deus non ſtatuit hoc donum abſolutè infundere, & nos in filios recipere, niſi præuio noſtro conſenſu, quem non abſolutè prædefiniuit ante præuiſam determinationem noſtræ voluntatis. Satis magna res eſt eſſe filium Dei, & heredem regni, vt ſponte abſque illis prædefinitionibus non neceſſarijs amari & capeſſi debeat ab eo, qui & tantum bonum cognoſcit, & à Deo inuitatur, & viribus ad hoc ſatis ab eo eſt inſtructus. His tamen non obſtat, quin iuxta Scripturas, & S. Auguſtini ſententiam, gratis, non ex meritis,

Quo modo dicantur electi ad iuſtitiam gratis, ante præuiſionẽ operum.

ritis, non ex operibus dicamur ad hanc gratiam electi: tum quia id verum eſt reſpectu totius iſtius mutationis: tum quia id intelligendum de operibus quæ non ſunt ex gratia, vt ſuprà num. 43. oſtenſum eſt. nam opera quæ ex gratia, non obſtant gratuitæ electioni, cum ipſamet gratia dicantur. Simili ferè modo (etſi non tam vſitatè, ne videantur excludi merita gratiæ de condigno) poſſumus dici gratis electi, vel prædeſtinati ad ſalutem, ad gloriam, ad vitam æternam; partim quatenus iſta ſupponunt, vel quodammodò includunt totam ſeriem diſpoſitionum, quibus ad gloriam præparamur & eleuamur; partim quia nō propter merita noſtra vt à nobis ſunt, ſed vt à gratia, qua ratione non obſtant gratuitæ electioni, vt ſæpiùs oſtenſum eſt: de quo vide D. Fulgentium lib. 1. ad Monimum cap. 10.

Octauum Argumentum.

SI Deus non ſeligit ſaluandis gratiam efficacem, tollitur omnis prędeſtinatio: quia tota diſtinctio ſaluandorum à reprobis non prouenie ex Dei electione, ſed ab ipſis hominibus. Deus enim ex parte ſua ſe habebit indifferenter, & eodem modo ad omnes: ſed quòd alij benè operentur alijs malè operantibus, & illi perſeuerent his deficientibus, originem habebit non ex Dei prædeſtinatione, ſed ab hominum cooperatione. quod videtur abſurdum, & contra ſanctum Auguſtinum. 64

Reſpondeo, minimè tolli prædeſtinationem, præter eam quæ ſtatuitur abſoluta & completa ante omnem operū præuiſionem, quam de induſtria conamur tollere. Sed retinemus aliam, quam D. Auguſtinus ſua definitione expreſſit, vt ſuprà oſtenſum. Diſtinctio ſaluandorum à reprobis non prouenit ab illa electione abſoluta, quæ omnem præuiſionem futurorum anteuertat: hinc tamen non efficitur quin proueniat à prædeſtinatione, etſi non à ſola. nam prouenit ſimul à libero arbitrio. Sicut enim illa diſtinctio non eſt à ſolo libero arbitrio, neque à ſola gratia, ſed à gratia ſimul & libero arbitrio; ita etiam non eſt à ſola prædeſtinatione, ſed ſimul à prædeſtinatione & libero arbitrio. Eodem enim modo bona opera & perſeuerantia, qua ſaluandi à non ſaluandis diſtinguuntur, pendent à prædeſtinatione, quo pendent à gratia; cùm teſte D. Auguſtino lib. de prædeſtnatione Sanctorum cap. 10. inter hæc duo hoc tantùm interſit, quòd *prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio, gratia verò ſit ipſa donatio:* & eatenus prædeſtinatio ſit iſtorum cauſa, quatenus eorum cauſa eſt gratia. Itaque

que illud diſcrimen non eſt ab hominibus ſine adminiculo prædeſtinationis.

Quòd verò additur Deum ex parte ſua æqualiter ſe habiturum ad ſaluandos & non ſaluandos, reſpondendum cum diſtinctione. Si enim loquamur de affectu quem Deus habet ante omnem operum præuiſionem; ſic admitto illum ſe æqualiter habere ad vtroſque, quia vtroſque ſincerè cupit ſaluos fieri, vtriſque auxilium verè ſufficiens largiri, & neutris vult ſalutem voluntate abſoluta. Si autem loquamur de toto affectu quem Deus habet ab æterno, ſuppoſita præuiſione; ſic falſum eſt ſe habere ad vtroſque eodem modo. Pari modo gratia ſi conſideretur præcisè vt præueniens, habet ſe in illis eodem modo; abſolutè tamen non habet. nam in ſaluandis eſt fecunda, influit in opus, profert fructum vitæ æternæ, reſiſtit tentationi, præſtat perſeuerantiam, denique eſt fons aquę ſalientis in vitam æternam: in reprobis eſt ſterilis & otioſa, deficit & euaneſcit, ceditq́. ipſis in maiorẽ damnationem. Sicut igitur gratia abſolutè loquendo non habet ſe eodem modo & æqualiter in electis & reprobis: ita nec affectus Dei, nec prædeſtinatio. Nam de his eodem prorſus modo philoſophandum, vt ex D. Auguſtino oſtenſum eſt. Deus enim non aliter prædeſtinauit bona opera fieri, quàm reipſa in tempore fiunt. Vnde ſicut in tempore fiunt cum plena dependentia à libertate arbitrij, ita vt facillimè poſſint omitti omnibus cauſis antecedentibus ſpectatis: ita ab æterno ſunt prædeſtinata ſic fieri: ac proinde ante præuiſionem determinationis liberi arbitrij, non ſunt prædeſtinata vt abſolutè fiant. Simili modo Deus non aliter prædeſtinauit ab æterno, vt gratia ſit efficax opuſque producat, quàm illa in tempore re ipſa illud facit. Quare ſicut in tempore non eſt efficax, niſi cum perfecta dependentia à concurſu liberi arbitrij: ita neque volitum eſt ab æterno vt ſit efficax, niſi cum eadem dependentia, ac proinde ſub conditione tantùm ante præuiſionem determinationis liberi arbitrij; abſolutè verò ſolùm poſita illa præuiſione. Vera igitur & propria ratio, cur aliis non perſeuerantibus alij perſeuerent, non eſt ſola prædeſtinatio, aut electio Dei, neque ſola libertas arbitrij, ſed hæc duo ſimul iuncta, & in vnam integram cauſam coaleſcentia. Neque id D. Auguſtino repugnat, ſed maximè eſt conſentaneum. Non enim aliter prædeſtinatio eſt cauſa bonorum operum aut perſeuerantiæ iuxta D. Auguſtinum, quàm gratia, ſed eodem prorſus modo.

SECTIO

SECTIO VI.

Quomodo Prædeſtinatio & Reprobatio ſit facta.

HIs expeditis, explicandum eſt negotium prædeſtinationis, & reprobationis, ſecundùm Scripturarum & ſanctorum Patrum ſententiam. & quamuis ex ſupradictis id ſatis poſſit colligi, ſi ſingula rectè intelligantur, tamen facilitatis cauſa breuiter quæ ad hoc neceſſaria ſunt, digeremus. 65

Prima Aſſertio.

Omnibus præparatum auxilium ſufficiens.

PRimò igitur dicimus: Poſt lapſum generis humani in primo parente, & euerſum illum primum prouidentiæ modum, per quem omnes ad ſalutem eramus præordinati; Deus rurſus ſtatuit miſereri, & illud ad ſalutem erigere, in eum finem prædeſtinata Filij incarnatione, vt ille in carne noſtra pro peccatis totius generis iuſtitiæ diuinæ ſatisfaceret, & auxilium gratiæ, iuſtificationem, & omnia ad ſalutem neceſſaria illi mereretur: ſicque propter eius merita ſtatuit rurſus omnibus auxilium ſufficiens, quo ſenſim ad ſalutem poſſint aſſurgere, impertiri; quantum tamen curſus rerum naturalis, & prouidentiæ ratio ſtatui lapſo conueniens, pateretur. Euerſo enim illo felici ſtatu, & ſuauiſſima gubernandi ratione, qua ille ſtatus protegebatur & fouebatur, in aliam delapſi ſumus, quæ res naturales ſinit agi ſuis motibus, nec illarum actiones comprimit, aut iniurias auertit. Similiter non ita compeſcit vim diabolicam, quin multa ei permittantur, quæ in damnum ſalutis hominum cedunt. Denique, laxiſſimas habenas concedit libertati humanæ, tum in ſuam, tum in aliorum perniciem. Hanc rationem prouidentiæ, Deus ob incommoda præter intentionem ipſius obuenientia non ſtatuit ordinariè mutare: tum quia eſt quaſi connaturalis rebus, ſi naturam nudam ſpectes, in quam per peccatum recidimus (nihil enim addit ſtatus naturæ lapſæ ſupra ſtatum naturæ nudæ præter labem peccati:) tum quia eſt accommodatus ad vindicandum peccatum, eiuſq. grauitatem oſtendendam. Dico igitur Deum ſtatuiſſe dare omnibus auxilium ſufficiens, quantum hæc ratio prouidentiæ pateretur, qua tanta (vt ſic dicam) licentia & cauſis naturalibus & liberis conceditur; & homines

Prouidentia ſtatus lapſi qualis ſit.

ferè

ferè non niſi mediante opera humana ad ſalutem perducuntur; & interdum peccata populorum vel particularium in hac vita vindicantur. Nec obſtat quòd ipſe præſciret fore, vt hoc auxilium plurimis non poſſet humano modò applicari, cauſis naturalibus vel liberis id impedientibus; quia id ipſe non deſiderat, nec procurat: imò ex ſe diſplicentiam illius habet; quamuis ob iuſtas cauſas permittat: ſicut ſi Princeps inſtitueret hoſpitale ſufficiens omnibus regni pauperibus alendis, cupiens omnes ibidem ali, etſi ſciat negligentia miniſtrorum aliquos fame morituros, vel impediendos ne poſſint venire, non ideò dicetur noluiſſe illis ſufficiens ſubſidium præbere.

Dices, Deus eſt auctor illius prouidentiæ, ſeu modi gubernationis, ex qua ſciebat iſtud ſecuturum, ac proinde eſt auctor illius impedimenti; ergo non poteſt cenſeri velle illud auxilium applicari. ſicut ſi Princeps imperaret famulis, vt pauperi os claudant, non videretur illi deſiderare iſtud ſubſidium. Reſpondeo: Deus eſt quidem auctor illius prouidentiæ (mediantibus decretis & permiſſionibus) qua modò res humanæ gubernantur; ſed non ex ſe ſuoq. (vt ita dicam) proprio inſtinctu hunc prouidentiæ ordinem inſtituit (ſicut inſtituerat eum qui fuiſſet perſeuerante ſtatu innocentiæ) ſed occaſione peccati. Numquam enim iſta permiſiſſet, quæ modò permittit, ſi peccatum non fuiſſet. Itaque iſte prouidentiæ modus non impedit, quin aliqua quæ ex illo conſequuntur, Deo ſecundùm ſe non placeant, & ipſe ex ſe velit contrarium. quod etiam patet in punitione hominum, à qua ipſe abhorret. Illud autem exemplum de Principe non eſt ſimile, niſi forte id imperet, quia pauper iſte meritus eſt mortem; quo caſu, cùm illud ex ſe nō ordinet, ſed in iuſtam peccati vindictam, nihil impedit quin ex ſe velit illi ſufficiens vitæ ſubſidium. Similiter cùm Deus ob peccata parentum voluit etiam paruulos interfici cum parentibus, hoc non impedit quo minùs ex parte ſua vtriſque ſalutem & auxilium ſufficiens præparauerit.

66 Quòd autem Deus hoc modo omnibus auxilium ſufficiens præparauerit, colligitur ex multis S. Scripturæ teſtimonijs. Sapientiæ 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: parcis autem omnibus, quia tua ſunt Domine, qui amas animas*, &c. Singula membra huius ſententiæ indicant dari à Deo hoc auxilium omnibus. Quid enim eſt *miſereri omnium*, niſi omnibus præbere opem, vt à miſeria reſurgant? &, *diſsimulare peccata hominum propter pœnitentiam*, niſi non punire priuando vitâ, vt pœniten-

nitentiam agere queant, quã ſine auxilio ſufficienti agere nequeunt? *Diligis enim omnia*, &c. Ad quid diligit niſi ad bonum ſalutis? Adfert enim Scriptura cauſam cur omnium miſereatur, cur omnes ad pœnitentiam exſpectet; nimirum, quia omnes ſuas creaturas diligit, volendo eis bonum vitæ æternæ ad quod eas creauit: & vt ſciamus hunc amorem eſſe ſinceriſſimum, addit: *Et nihil odiſti eorum quæ feciſti*, volendo illis exitium, aut denegando id vnde neceſſe eſſet in exitiũ ruere. *Parcis autẽ*: aliam cauſam adfert cur exſpectet ad pœnitentiam; nimirum, quia ſumus res ipſius, & ipſe animas noſtras amat, hoc eſt, ſalutẽ earum cupit, &c. Non potuiſſet S. Scriptura clarioribus & efficacioribus verbis ſinceritatẽ diuini amoris, & viſcera in nos paterna explicare; vt non videam quomodo hæc ſentẽtia vel cum illa electione abſoluta, & negatiua reprobatione, vel cum auxilij ſufficientis denegatione, aut præparatione gratiæ non congruæ ſtare poſſit.

Sapientiæ cap. 12. *Si inimicos ſeruorum tuorum cum tanta cruciaſti attentione* (ſæpè remittens & ceſſare faciens flagella vt reſipiſcerent) *dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia; cum quanta diligentia iudicaſti ſeruos tuos?* Vbi Pharaoni & Ægyptiis, qui alioquin obdurati dicuntur, auxilium ſufficiens ad pœnitentiam præbitum indicatur. Prouerb. 1. Sapientia foris prædicat, & omnes promiſcuè ad ſe vocat, & omnibus ad ſe venientibus ſpiritum ſuum promittit: datur ergo omnibus auxilium vt venire poſſint. alioquin illuſoria eſſet iſta conuocatio. Matthæi 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ite ergo, baptizate omnes gentes*, &c. Hîc Dominus omnes iubet baptizari nemine excepto: ergo quantum in ſe eſt, cupit omnibus gratiam baptiſmi elargiri. Deinde omnibus credentibus baptizatis promittit ſalutem.

Primæ ad Timoth. 2. iubet Apoſtolus orari *pro omnibus hominibus. Quia*, inquit, *hoc bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Hunc locum de omnibus nemine excepto intelligendum, patet tum ex vniuerſali locutione Apoſtoli; tum ex eius probatione duplici. Prima eſt, *quia vnus eſt Deus omnium*: quo nomine cura & prouidentia paterna in omnes ſignatur. Secunda, *quia vnus mediator Dei & hominum, qui ſeipſum dedit redemptionem & pretium pro omnibus*. Itaque ob Chriſti redemptionem & meritum hoc auxilium omnibus præparatum. Quomodo enim eſt omnium redemptor, ſi non impetrauit

uit omnibus auxilium quo poſſint liberari? Itaque eſt in Deo ſincerus affectus adducendi omnes ad ſalutem: qui affectus nullo modo conſiſtere poteſt, niſi ſimul adſit voluntas dandi omnibus auxilium ad hoc ſufficiens. Repugnant enim hæc duo, Deum cupere omnes ſaluari, & tamen alicui nolle dare auxilium ad hoc neceſſarium. qui enim cupit aliquem finem, hoc ipſo paratus eſt ſuppeditare media neceſſaria, ſi aliunde haberi nequeunt. Sicut ſi diceretur, Regi gratum eſt vt eleemoſynarius petat ab ipſo eleemoſynam pro omnibus pauperibus oppidi, quia cupit omnes conſeruare; quis non continuò iudicaret eo ipſo ſignificari veram in rege voluntatem omnibus ad vitam neceſſaria ſuppeditandi? Simile eſt in propoſito. Nam *orare Deum pro omnibus*, nihil eſt aliud quàm petere ſubſidiũ diuini auxilij pro omnibus, vt omnes poſſint conuerti, &c. quod vt faciamus, gratum eſt *Deo ſaluatori noſtro; quia cupit omnes ſaluos fieri*, id eſt, quia affectui ſalutis, quem gerit erga omnes, hoc eſt conſentaneum. Itaq; quia cupit omnes ſaluos fieri, ideò cupit omnibus ſubſidia ad hoc neceſſaria præbere: & quia cupit illa præbere, cupit nos orare, id eſt rogare ipſum vt ea præbeat. Vbi nota emphaticè dictum, coram *ſaluatore* noſtro Deo, vt affectum & ſtudium ſaluandi inſinuet. Hæc eſt mens Apoſtoli. Non potuiſſet clariùs hunc affectum exprimere. Ita ferè hunc locum cõmuniter intelligunt Patres & DD. Scholaſtici, & S.Scripturæ interpretes. Et quãuis D. Auguſtinus Enchir. c.103. & alibi interdũ aliter exponat; tamen lib. de ſpiritu & litt. c.33. hanc expoſitioné noſtram probat. Similiter D.Proſper lib. 1. de vocatione gentium c.31. explicans illud 1. ad Tim. 4. *Deus eſt ſaluator omnium hominum maximè fidelium.* & ad obiectiones Vincent. reſp. 2. Hanc voluntatem DD. vocant *antecedentem*, ſecuti Damaſcenum, qui l. 2. c. 29. de fide ſic ait: *Sciendum eſt, Deum antecedẽter velle omnes ſaluari, & regno ipſius potiri. Non enim ad puniendum formauit nos; ſed tamquam bonus ad ſuæ bonitatis cõmunionem: peccatores autem vult punire tamquã iuſtus. Dicitur ergo prior voluntas antecedens & beneplacitum, quam ex ſe concepit, altera verò conſequens & permiſsio ex nobis cauſam habens*, &c. Hæc ille. Hanc voluntatem quam hîc vocat *antecedentem*, & *εὐδοκίαν*, id eſt, beneplacitum, in Hoplotheca contra Manichæos vocat *prædeſtinationem bonitatis*, & *prædeſtinationem antecedentẽ. Prædeſtinatione*, inquit, *bonitatis & antecedente vult Deus omnes ſaluari. Conſequentem* voluntatem vocat, quæ ex noſtris demeritis cauſam habet; vt voluntas infligendi pœnam. hanc etiam vocat *permiſsionem*, quia ſupponit permiſſionem peccati, & ex ea ſequitur.

 Simi-

Similem locum habemus 2. Pet. 3. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Hîc nulli excipiuntur, ne quidem illi qui dicũtur indurati, vel excæcati; dat ergo auxilium ſufficiens omnibus. Nam ſine iſto neceſſariò deberent perire, nec poſſent ad pœnitentiam reuerti. Et ſanè fruſtrà diceretur *eos expectare ad pœnitentiam*, niſi auxilium ex parte Dei haberent, quo poſſent pœnitere. Nemo enim expectat id, quod ſcit fieri non poſſe.

Denique tota Scriptura plena eſt præceptis & exhortationibus ad fidem & ad pœnitentiam, eæq; ad omnes pertinent: ergo omnes habent auxilium ſufficiens, quo poſſint id præſtare. Deus enim impoſſibilia non iubet, nec hortatur ad ea quę ſcit nos exequi non poſſe. at ſine auxilio ſufficienti fides & pœnitentia ſunt nobis impoſſibilia. Pari modo præcepta Decalogi ad omnes pertinent, quæ etiam ſine auxilio diuino impoſſibile eſt ſeruare. Offert ergo Deus hoc auxiliũ. alioquin ſequeretur & Deum iubere impoſſibilia, & nos peccare in in eo quod vitare non poſſumus: vel certè violando diuina præcepta nos non peccare: quæ omnia ſanæ doctrinæ repugnant.

Secunda Aſſertio.

Quomodo detur auxilium ſufficiens omnibus.

SEcundò dicimus, prædictam aſſertionem non ita accipiendã quaſi 67
Deus det omnibus in actu ſecundo tale auxiliũ quod immediatè ſit ſufficiens ad fidem vel pœnitentiam concipiendam (id enim manifeſtè falſum eſt, & nemo Doctorum tam imperitè illud vnquam intellexit) ſed quòd omnibus det aliquod initium, nempe aliquam inſpirationem, cui ſi quis obtemperauerit, vlteriùs iuuabitur; ita vt ſi diuinis inſpirationibus, quibus eum Deus ſenſim & ſucceſſiuè ad maiora prouehere cupit, reſponderit (ſicut poteſt & debet) tandem ad fidem & iuſtitiam ſit peruenturus. Et quamuis id generatim verum ſit de omnibus adultis, loquor tamen nunc maximè de iis, qui vel fidei doctrinam audiuerunt, vel verſantur cum Chriſtianis; vel ſciunt eſſe gentem Chriſtianam, apud quam ſit magna de rebus diuinis, animæ immortalitate, & futuræ vitæ præmiis & ſuppliciis inſtitutio, ad quam poſſunt accedere. Nam de aliis qui in extremis inſulis vel vltimis barbarorum finibus degunt, vel ad Chriſtianos penetrare non poſſunt, nec ad illos Chriſtiani; difficilius eſt explicare quomodo auxilium ſufficiens ipſis ſit præparatum. Certum tamen eſt, Deo modos plurimos non deeſſe, quibus etiam iſti iuuentur, ſi diui-

diuinis inſpirationibus non obſiſtant: ſicut iuuit Eunuchum, Cornelium, & alios multos, extraordinaria prouidentiæ ratione vſus. De illis prioribus res non videtur difficilis. Facilè enim hi à Chriſtianis inſtrui poſſunt, & facilè illis hæc à Deo inijci cogitatio, vt ſtatuant Chriſtianam legem cognoſcere; maximè cùm clarè perſpicere poſſint, in ſua nihil ſolidi, & plurima abſurda contineri.

Porrò omnis diuina inſpiratio ad id ſufficiens, ad quod immediatè datur; v. gr. vt velis res fidei examinare, vt velis orare, &c. & ſimul ratio naturalis dictat ei obtemperandum. vnde cùm mens ſe ab ea auertit, ei obſiſtit, eam contemnit, manifeſtè videt ſe malè agere: ita vt ſit coram Deo inexcuſabilis. Qui autem ei obtemperat, diſponitur per hoc ad alias recipiendas, & ſimul iuuatur à Deo, tum ad conſeruandum hoc propoſitum, tum ad executioni mandandum. Idem

68 fit in conſequentibus, ſi eis conſenſum præſtiterit. Sunt autem hæ inſpirationes quæ ſufficientem fidei propoſitionem antecedunt, ferè ordinis naturalis quoad ſubſtantiam; etſi quoad modum & directionem Dei ſupernaturales cenſeri debeant. Puto enim ſine Dei inſpiratione ad gratiæ ordinem pertinente, neminem concipere propoſitum ſerium honeſtè viuendi, aut inquirendi de myſteriis fidei Chriſtianæ; aut rogandi Deum vt ſalutis viam oſtendat. quod etiam Concilium Arauſicanum & Mileuitanum, & D. Auguſtinus, ſæpè indicant. Omnia enim iſta ſunt quædam præparationes, etſi longinquæ, ad iuſtificationis gratiam obtinendam. Propoſita autem fidei doctrina quantum ſatis vt poſſimus credere, iam incipiunt inſpirationes ſublimiores, & magis ſupernaturales, quibus ſimiliter obſequi poſſumus, & ſemper vlteriùs vſque ad gratiam iuſtificationis, diſponendo noſipſos, procedere. *Inſpirationes ante fidem propoſitam.*

Facta igitur rerum fidei ſufficiente propoſitione, & notis earum diligenter conſideratis, naſcitur iudicium in homine, quo iudicat iſta eſſe credibilia, & ſecundùm rectam rationem credenda ob auctoritatem diuinam. Hoc tamen iudicio poſito, nondum credit, nec verò eſt neceſſe credere. Aliud enim eſt credere, aliud iudicare eſſe credendum. Hoc enim *eſſe credendum* non deſignat neceſſitatem credendi; ſed conformitatem illius actûs cum recta ratione, hoc eſt, eſſe rationi & prudentiæ conſentaneum iſta credere. Sicut cùm quis iudicat Deum eſſe amandum ſuper omnia, ſuperiori obtemperandum, alienum reſtituendum, & ſimilia; non iudicat hæc neceſſariò eſſe facienda (niſi fortè ex ſuppoſitione in ordine ad ſalutem) ſed eſſe iudicio prudentiæ conſentaneum ea facere. Itaque vt credat, requiritur *Quæ ſequũtur fidei propoſitionem.*

illius operis voluntas ſeu electio, qua velit credere ob auctoritatem diuinam, idque ea firmitate, qua par eſt tantæ auctoritati credi. Cum autem hoc opus ſit difficile, & ſupra naturæ vires; difficile quoque eſt, & ſupra naturæ vires illud efficaciter velle, & reipſa exequi. vnde ad vtrumque requiritur auxilium gratiæ; quod auxilium qua parte eſt neceſſarium ad velle, conſiſtit in præuio quodam affectu diuinitus immiſſo erga primæ veritatis auctoritatem, quo inclinamur vt velimus facere id quod ipſa à nobis poſtulat (quod eſt credere firmiter ea quæ nobis ipſius nomine proponuntur) idque tum quia hoc ipſi debitum; tum quia reuerentia, quam illi debemus, id requirit: nolle enim credere Deo, magna eſt in illum iniuria & irreuerentia. Quo fit vt hic affectus videatur eſſe cuiuſdam ſiue iuſtitiæ erga Deum, ſiue reuerentiæ debitæ ſupremæ veritati; ac proinde ad virtutem religionis pertinere, vel ei eſſe valdè affinis. Vnde quò quis maiore eſt in Deum reuerentia, eò faciliùs fidem amplectitur. Quatenus verò hoc auxilium eſt neceſſarium ad ipſum credere, ſeu ad eliciendum ipſum fidei actum, conſiſtit in quibuſdam præuiis illuſtrationibus, & aſſenſibus indeliberatis, quibus mens apprehendit eſſe vera quæ proponuntur. Huiuſmodi enim iudicia imperfecta, veluti quædam internæ locutiones, quibus Deus menti quodammodò loquitur, præcedunt firmum aſſenſum; & illis intellectus ad firmiter & conſtanter aſſentiendum, quando voluntas imperauerit, diſponitur & corroboratur. Similia patiuntur illi (ſeruata proportione) qui ad blaſphemiam vel hæreſim à diabolo tentantur. præcedunt enim huiuſmodi internæ apprehenſiones & iudicia indeliberata illius artificio immiſſa, quibus ipſe menti errorem ſuadere nititur.

Quo modo eliciatur actus fidei.

His poſitis eſt in poteſtate voluntatis immediatè elicere abſolutam & efficacem volitionem credendi: qua poſita in eodem inſtanti poſteriùs natura in intellectu elicitur actus credendi, ſeu ipſe fidei aſſenſus. Vtraque enim potentia per auxilia præuia eſt ſufficienter inſtructa ad ſuum actum; ita tamen vt ordine quodam in actum exire debeant. Cùm enim intellectus non determinetur ad aſſenſum ex vi propoſitionis obiecti, vtpote remanentis obſcuri, neceſſe eſt vt determinetur imperio voluntatis; ſicut fit in operibus externis à potentia motiua pendentibus. Itaque neceſſe eſt vt hoc imperium naturæ ordine præcedat; ſicut prius eſt velle dare eleemoſynam, quàm reipſa dare. Hinc fit vt ſicut in aliis materiis ex imperio voluntatis & actu imperato (v. gr. largitione externa eleemoſynæ) fit vnus actus moralis: ita etiam in materia fidei; ſicque ex illo voluntatis imperio

quo

quo quis vult credere, & ipſo aſſenſu intellectus, fit vnum opus morale, vnus actus fidei. Vnde vlteriùs ſequitur, quòd ſicut ad actum moralem fidei requiruntur duo actus, alter voluntatis, alter intellectus, quorum ille eſt imperans, hic imperatus: ita ad habitum fidei integrum neceſſarij ſunt duo habitus, quorum alter ſit in voluntate, eamque inclinet, & potentem reddat ad eliciendum illud imperium; alter in intellectu, vt eum inclinet, & potentem reddat ad eliciendum actum imperatum, ipſum nempe aſſenſum. *Duo habitus neceſſarij ad fidem.*

Ad actus verò bonos aliarum potentiarum, non requiruntur duo habitus, ſed ſufficit habitus qui perficit voluntatem. Cuius diſcriminis ratio eſt, quia aliarum potentiarum actus non ſunt per ſe ſupernaturales, nec requirunt vllum auxilium ſupernaturale, quo eliciantur à ſuis potentiis ſuppoſito voluntatis imperio; ſed ſufficit imperium efficax voluntatis: quo poſito neceſſariò ſequuntur abſque vllo alio habitu vel auxilio ſupernaturali, quo potentia eliciens eleuetur, vt patet in danda eleemoſyna, in caſtigatione carnis, & ſimilibus actibus externis, qui ſolùm ſunt ſupernaturales denominatione extrinſeca ab imperio voluntatis. At verò actus intellectus poſſunt eſſe intrinſecè ſupernaturales: vnde requirunt aliquod principium ſupernaturale in ipſa potentia intellectiua (non ſolùm in voluntate imperante) vt ab ea elici poſſint. Porrò infunduntur iſti habitus ad præſentiam ipſorum actuum, qui ad eos ſunt diſpoſitiones vltimæ, per modum meriti ex congruo: vnde eumdem ordinem retinent, quem ipſi actus: ita vt priùs natura infundatur habitus voluntatis quàm intellectus; ſicut priùs natura elicitur actus voluntatis in præſenti negotio, quàm actus intellectus.

69 Ex quibus perſpicuum eſt in toto progreſſu diſpoſitionum fidei hæc ordine quodam ſe habere. Primò eſt propoſitio credendorum, quæ vt ſufficiens ſit, debet notas & argumenta fidei continere. Secundò, conſideratio accurata iſtorum, quæ abſque diuino auxilio & directione fieri nequit ob mentis humanæ inconſtantiam, & varias diaboli fraudes. Tertiò, iudicium, quo iudices hæc ob diuinam auctoritatem eſſe firmiter credenda. Hi duo actus, ſi ſubſtantiam eorum ſpectes, ſunt ordinis naturalis. ex notis enim fidei euidens eſſe poteſt rationi naturali, iſta dogmata eſſe digna quæ ob diuinam auctoritatem credantur. illæ enim notæ diligenter perpenſæ, moralē quamdam euidentiam pariunt iſtam doctrinam à Deo eſſe profectam, ſiue à Deo approbari. Si verò modum & directionem Dei; pertinent ad ordinem ſupernaturalium. quia ſine Dei auxilio mens non poterit *Diſpoſitiones ad fidem.*

vmquam

vmquam tam exactè omnia illa expendere, vt hanc euidentiam aſſequatur. Hoc autem iudicio habito, poſſet quis probabilem aſſenſum myſteriis fidei abſque alio auxilio adhibere (vt patet in multis aliis rebus obſcuris, quæ etiam ex minoribus indiciis probabiliter credimus) hic tamen aſſenſus non eſſet ſupernaturalis, nec congruens diuinæ auctoritati; vnde nec vllo modo ſufficiens vt ſalutis ſit fundamentum. Quartò, affectus præuij ad volendum credere, & præuij quidam credendi actus indeliberati. Quintò, volitio efficax credendi, & ipſe fidei aſſenſus. Sextò, habitus fidei, duplici habitu conſtans.

Progreſſio à fide vſque ad iuſtificationem.

Obtenta fide, facile eſt explicare quomodo homo iuuetur vſque 70
ad iuſtificationem. De quo videndum Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. Fides enim oſtendit nobis, Deum, cùm iuſtiſſimus ſit iudex, punire peccata morte æterna; nos autem eſſe in peccatis multis. vnde excitatur timor damnationis. Hoc timore concuſſis & quærentibus tantum malum euadere, fides oſtendit remedium per Chriſti merita, & Sacramenta, quibus illa nobis applicantur, & ita Deo iuuante concipimus ſpem ſalutis. Deinde conſiderantes diuinam bonitatem, quæ nobis tanta bona contulit, & à tantis malis, tam miris & difficilibus modis eripuit, & ad cæleſtem gloriam vocauit, incipimus illam amare propter ſeipſam, & dolere quòd illam offendimus, proponere emendationem, & omnium præceptorum obſeruantiam, & in primis Baptiſmi perceptionem, &c. Porrò ad eliciendum primum actum ſpei, requiritur illuſtratio diuina ex parte intellectus, ſecum deferens affectionem præuiam voluntatis, qua proximè ad actum ſpei iuuetur. Idem dicendum de actu dilectionis Dei ſuper omnia. Cùm enim iſti actus ſint ſupernaturales in ſubſtantia, non ſufficit ad eos fides, quia hæc intrinſecè in eos non influit, ſed ſolùm oſtendit quid ſperãdum, quid amandum ſit. Itaque requiritur aliquod principium ſupernaturale, quo voluntas tamquam partiali cauſâ adiuta illos actus eliciat. Poſitis autem illis actibus eodem temporis momento infunduntur habitus correſpondentes. Hæc de modo quo Deus à primis auxilijs vſque ad iuſtificationem progreditur, ſi homo ex parte ſua non obſiſtat eius directioni, dicta ſint.

Multis modis auxilium ſufficiens præparauit.

Vt autem magis conſtet quo modo Deus ex parte ſua nemini deſit, & omnes ſincerè cupiat ſaluos fieri, cõſiderandum eſt ipſum multis modis auxilium ſufficiens omnibus præparaſſe. Primò, in Adamo ante peccatum. Hoc ſufficientiſſimè erat collatum, vt facilè ad omnes poſſet peruenire, & omnes ſaluare. Sed hoc euerſum per pec-

catum

catum Adami, quatenus erat peccatum commune totius generis. Secundò, poſt peccatum, in eodem Adamo & eius coniuge. Sicut enim in illis conſtituit naturam propagandam in totum genus: ita etiam doctrinam pietatis cum obligatione grauiſſima eam tranſmittendi in poſteros. Eadem obligatio ſingulis parentibus fuit impoſita. Quòd ſi plerique hac in re futuri erant negligentes, & ſic ſenſim ſalutaris cognitio extinguenda, non id Deo imputandum. Diſplicet enim illi, & grauiter vindicabit parentum vel ſocordiam vel malitiam. Tertiò, in Noë & filijs eius, qui, priore mundo ob peccata & diuini auxilij neglectum deleto, ſecundi ſęculi reſeruati ſunt ſeminarium. Hi ſimiliter auxilium accepere (nempe notitiam Dei & cultus diuini) in omnes deriuandum, quos ex ſe procrearent. Ad quod accedebat notitia diuinæ ſeueritatis, horrendo illo totius mundi exitio declaratæ; qua meritò omnes, in omnem poſteritatem, ad timorem Dei & fugam peccati permoueri debebant; quam parentes quoque in filios tranſmittere tenebantur. Quartò, in ſingulis gentibus omnibus ſæculis excitauit (vt valdè eſt veriſimile) viros ſapientes & pios, qui tamquam lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, toti populo ad cultum diuini numinis & honeſtatem vitæ prælucerent. Tales fuere Iob, & amici eius, Melchiſedech, Abraham, Patriarchæ. Accedit quòd Iudęi, qui Dei notitiã habebant, & ſalutis viam norant, ſucceſſu temporis diuina prouidentia per totum pænè orbem fuere diſperſi, vt alij ab ipſis ſalutarem doctrinam haurire poſſent. Quintò, in cæleſtium orbium & reliquarum creaturarum publica voce: cùm ſua ſpecie, magnitudine, pulchritudine, ſitu, ordine, gubernatione, viciſſitudine, vtilitate, & mortalium caſtigatione, auctorem ſuum, eiúſque prouidentiam veluti publica prædicatione denũtiant. *Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, &c. Et Apoſtolus ad Rom. 1. *Inuiſibilia enim ipſius* (Dei) *à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* q.d. Ea quæ ſecundùm ſe ſunt inuiſibilia, à tempore mundi cõditi, per ipſius opera facta ſunt viſibilia. Idem habetur Sap. 13. Vnde Apoſtolus Act. 14. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum.* Hoc teſtimonium ſi non fuit aliquo modo ſufficiens ad illum cognoſcendum, fruſtrà datum eſt; & fruſtrà ab Apoſtolo allegatur veluti in excuſationẽ Dei, & accuſationem gentium, quòd Deum ignorauerint. Hoc tamen non ſic intelligas, quaſi creaturarum teſtimo-

nium per ſe ſatis ſit ad fidem diuinitatis omnia creantis & gubernantis concipiendam; ſed quòd diuina prouidétia ſe illi inſerat, & mentem ita dirigat, vt ex illa veluti prædicatione cum diuino auxilio ei ordinariè coniuncto, quod illa ſecum quaſi defert, ad illam fidem peruenire poſſit; ex qua, ſi oraueris, in ceteris quoque vt ad iuſtitiam venire poſſis, non deerit. Sextò, in publica Eccleſiæ forma & doctrina omnibus expoſita. Eccleſia enim eſt ciuitas ſupra montem poſita, omnibus conſpicua, imò toto orbe diffuſa. Eſt mons Domini, de quo gentes ſe mutuò adhortantes dicturæ erant: *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius*, &c. Eſt luna, lumen quod à Chriſto ſole accepit, huic mundo refundens, & tenebras infidelitatis diſcutiens. Huius filij per omnes gentes diſperſi, vt hæ ab illis veritatem diſcere poſſint. Septimò, in priuatis inſpirationibus, quas Deus cuique pro loco & tempore immittit. Ex quibus apparet quàm multis & miris modis Deus hoc auxilium præparauerit, vt omnes poſſint eius eſſe participes.

Cur tam parcè detur. Dices fortè, Cur tam parcè confertur, vt pauci admodum illo 71
fruantur? Videmus enim paucos admodum ſaluari, facta comparatione pereuntium. Reſpondeo, in Eccleſia non parcè diſtribui, ſed vberrimè, adeò vt facile ſit iis qui in ea ſunt, ſalutem conſequi. qui verò ſunt extra Eccleſiam, his ſolùm opus eſt auxilio, vt ad Eccleſiam perueniant, quod auxilium multis copioſè ſatis datur; qui tamen, ne licentiam viuendi & ſuas libidines deſerere cogantur, nolunt venire. Itaque nullam habent excuſationem. Plurimis tamen datur ſatis parcè. Sed iudicia Dei, abyſſus multa. Habet Deus iuſtiſſimas rationes cur ita faciat. non ſemper ei lubet facere miracula; aut diſcedere à communi prouidentiæ ordine, qui & rebus in iſto ſtatu eſt connaturalis, & congruit vindicandis peccatis mortalium, eorumque grauitati oſtendendæ. ob quas cauſas etiam pœnalitates huius vitæ relictæ ſunt. Sicut igitur non aufert mortalitatem, & impetus paſſionum, & difficultates quas patimur in cognoſcendo vero, & amando honeſto, & alias innumeras calamitates, quibus obnoxij ſumus: ita quoque non recedit facilè à communi prouidentiæ lege illi ſtatui accommodata. Potuiſſet quidem homines cogere ad bonum, vel per ſe, vel angelorum miniſterio, vel coactione externa, vel intrinſeca determinatione, & veluti neceſſitate: potuiſſet etiam tantis illuſtrationibus eos præuenire, vt non poſſent bonum non amplecti, & malum non fugere: ſed hæc neque erant neceſſaria ad ſalutem, neque naturæ humanę con-

conſentanea, neque excellentiæ præmij congruentia. Poſtulat enim ratio virtutis & dignitas præmij, vt plena libertas homini relinquatur, vtque modis naturæ ſuæ accommodatis ad omnino libere eligendum quod placuerit, iuuetur.

Addo, Deum duplices vires homini dediſſe: vires naturæ, & vires gratiæ. vtraſque vult intendi in opus ad tantum bonum promerendum, & tantum malum fugiendum. Et ipſa rei magnitudo poſtulat manifeſtè vt etiam pro extremo virium laboremus, vim facientes naturæ cum auxilio gratiæ. Itaq; noluit dare tantam gratiæ copiam, vt omnia ſint naturæ facilia, ipſaque natura ſit ſecura: ſed eam dumtaxat menſuram, quæ multam nobis relinquat ſollicitudinem; vt animaduerſa rei difficultate, & ancipiti euentu, excitemus naturam, eique vim inferamus, vt quantum poteſt, gratiæ cooperetur. hoc ſæpè monet Scriptura, vt cùm hortatur ad vigilantiam, ad aſſiduam orationem, ad redimendum tempus, ad cautè ambulandum, ad operandum ſalutem cum timore & tremore. Non decebat vt vires naturæ à Creatore acceptæ eſſent otioſæ, & quaſi paſſiuè ſe ad gratiæ vires haberent, earum impulſum tantummodò expectantes, & ſinentes ſe ab illis moueri, & ſic totum à ſola gratiæ motione penderet: ſed conueniens erat, vt natura ſufficienti auxilio inſtructa, ſemper eſſet ſollicita, & ideò ſeipſam vnà cum gratia in opus excitaret, iuxtà illud Apoſtoli: *Reſuſcita gratiam quæ in te eſt.* & illud: *Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Hoc ſi faceremus, ſicut poſſumus, & debemus, omnes ſalui fieremus. Itaque etſi auxilium diuinum videatur parcè multis diſtribui, tamen defectui auxilij non eſt imputanda pereuntium multitudo, cùm illud verè ex parte Dei ſit ſufficiens; ſed propriæ ſocordiæ & malitiæ. *Duplices vires intendendæ in ſalutē.*

Tertia Aſſertio.

72 TErtiò dicimus, omne auxilium quod Deus confert homini, eſſe efficax in actu primo; quia habet ex parte ſua vim efficiendi id ad quod proximè datur: Deumque cupere vt ſit efficax in actu ſecundo, id eſt, vt reipſa efficiat opus (cùm eo fine conferat;) eique diſplicere, ſi reddatur inefficax: quòd autem ſit efficax vel inefficax in actu ſecundo, prouenire à libero arbitrio. Hæc omnia videntur ſatis perſpicua, ſi rectè termini intelligantur. Ratio eſt, quia gratia non eſt cauſa totalis operis, ſed partialis, & veluti inſtrumentum, quo liberum arbitrium vti vel non vti poteſt. Itaque totus influxus gratiæ in *Efficacia & inefficacia auxilij vnde proueniat.*

opus,& tota eius efficientia eſt in poteſtate liberi arbitrij,& pendet ab eius applicatione & cooperatione: quod manifeſtum eſt in habitibus. Horum enim vſus ſubeſt noſtræ libertati,iiſque vtimur,non vtimur, incipimus,deſinimus vti, longiore aut breuiore tempore, prout volumus. Idem dicendum de auxiliis gratiæ præuenientis, ſiue in habitu aliquo conſiſtant, ſiue in actuali inſpiratione intellectus, vel affectione voluntatis. hæc enim omnia non determinant liberum arbitrium, ſed ſolùm vires tribuunt, quibus vti vel non vti poteſt, perinde ac ſi ei naturales forent. Confirmatur; quia niſi influxus & efficientia gratiæ in opus, ſubeſſet poteſtati liberi arbitrij, opus non eſſet liberum. (illa enim efficientia nihil eſt aliud quàm ipſum opus vt à gratia procedens.) atqui illud ſanæ doctrinæ repugnat. Quare omnino fatendum eſt, quòd gratia ſit efficax in actu ſecundo, id pendere à libertate arbitrij. Et ſanè ſi à libertate pendet, quòd ſit inefficax, quodque non influat in opus, non operetur, ſed otioſa maneat; cur non etiam quòd efficax? Si enim ceſſatio à libertate pendet, neceſſe eſt efficientiam quoque ab ea pendere. nam libertas eſt facultas oppoſitorum. quamuis non eodem modo hæc à libertate pendeant. ceſſatio enim & inefficacia ſecundùm ſe totam eſt à libero arbitrio; ita vt gratiæ non ſit vllo modo imputanda. At efficacia gratiæ in actu ſecundo non pendet per ſe primò, & ſecundùm ſuam rationem ſupernaturalem directè à libero arbitrio; ſed ſecundùm circumſtãtiam temporis, loci, modi, &c. ſeu quatenus hîc & nunc fit, libero arbitrio determinante influxum gratiæ ad has circumſtantias. quod tamen nec ipſum poteſt facere, niſi viribus gratiæ iam inſtructum. Hinc fit vt ratio, cur gratia hîc & nunc influat in opus, referenda ſit in liberum arbitrium gratia ſic vtens: ſicut viciſſim ratio, cur liberi arbitrij opus ſit ſupernaturale & meritorium, referenda eſt per ſe primò in gratiam. Sunt enim hæc duo principia partialia; ac proinde agunt cum mutua dependentia, & in ipſo opere effectus ſibi correſpondentes habent. Hoc modo intelligendum, cùm liberum arbitrium dicitur gratiam efficacem reddere; non quòd gratiæ vires tribuat, aut aliquid illi imprimat, aut eius influxum directè cauſet: ſed quia eſt cauſa ſine qua non, & indirecta illius influxus per ſe conſiderati; & directa quoad illius determinationem ad hîc & nunc exiſtendum.

Neque ex his ſequitur, liberum arbitrium prius naturâ influere in opus bonum, quàm gratiam; aut gratiam eſſe pediſſequam, aut gratiæ adiutorium ſubiungi conatui arbitrij humani, (ſi ad mentem Patrum his formulis loquendi vtamur) vt quidam parùm conſideratè obii-

obiiciunt. Non enim eſt prioritas naturæ, vbi eſt mutua dependentia: neque gratia eſt pediſſequa, vbi non datur ob meritum liberi arbitrij præcedens. Sed hac de re alibi ſatis dictum.

Quarta Aſſertio.

73 QVartò dicimus: Etſi Deus non ſtatuat abſoluto decreto ante præuiſionem operum, aut ſtatus finalis, qui ſint ſaluandi aut damnandi, non tamen idcircò omnes ex ſe æqualiter diligit: ſed alios magis, alios minùs, idque ſæpè ex mero beneplacito ſuæ voluntatis. Probatur ex varietate gratiæ quam reipſa confert. Quibuſdam enim abſque vllo illorum merito confert gratiam eximiam, & modo quodam prouidentiæ ſingulari cum eis vtitur; idque vel ab infantia, vel ab adoleſcentia, vel poſteà ſub finem vitæ, & interdum poſt grauia peccata; per quam ad maximum ſanctitatis gradum perueniunt: vt patet in Apoſtolis, in S. Ioanne Baptiſta, in multis Martyribus, in multis Eccleſię Doctoribus, in fundatoribus religionũ, in multis Religioſis vtriuſque ſexus, &c. Alijs verò dat longe minorem, & tali modo prouidentiæ cum illis vtitur, vt moraliter ſit impoſſibile ad tantum ſanctitatis gradum pertingere. Atqui hæc inæqualis gratiæ præparatio & diſtributio ſignum eſt inæqualis dilectionis. Diligere enim eſt velle alteri bonum. vbi ergo maius confertur bonum, ibi maior eſt dilectio. Neque hæc dilectio ſolùm eſt maior quoad præparationem mediorum, ſed etiam quoad affectum finis. Cùm enim media non ſint volita niſi propter finem, qui ex ſe vult alicui præſtantiora media, conſequens eſt vt ei quoque magis deſideret finem, quàm alteri, cui vult media minùs præſtantia. Itaque ſicuti Deus non omnes diligit æqualiter ad gratiæ dona, & ſalutis media, ita neque ad ipſam ſalutem æternam. Cuius quidem ratio generalis eſt, vt ſint varij gradus ſanctitatis & gloriæ in illo beato regno, ex qua varietate maximè illius pulchritudo conſurgit. Sic varij ſunt gradus excellentiæ in ſtellis, in Angelis, in Eccleſiaſtica hierarchia, in regnis terrenis, in aulis Principum, imò in ſingulis ciuitatibus. Et ipſa natura in operibus ſuis maximè vitat paritatem, & completam ſimilitudinem. Deinde ſicut perfectio Dei, vt eſt auctor naturæ, ſecundùm diuerſos gradus debuit participari à rebus creatis, ad naturæ illius infinitatem repræſentandam: ita eius perfectio, quatenus eſt auctor bonorũ ſupernaturalium, ſecundùm varios gradus debuit communicari, ad beatitudinis & gloriæ illius infinitatem demonſtrandam. In particulari verò, cur hos

Inæqualis dilectio Dei.

Quæ ſit ratio inæqualis illius amoris.

præ illis diligat, & maiora gratiæ auxilia conferat, plerumque ratio alia, præter ipſius gratuitum beneplacitum, aſſignari nequit: quamuis interdum huius dilectionis detur aliqua ex hominibus occaſio, vt preces, aliáve bona opera parentum, aut virorum ſanctorum, aut ipſiuſmet qui ſic diligitur, &c. Sæpè tamen nulla talis occaſio inueniri poteſt, nec eſt neceſſaria, cùm Deus huiuſmodi occaſiones non ſemper ſpectet, ſed ei ſuum liberum beneplacitum loco rationis omnis ſufficiat. Sicut quòd hunc mundum, has ſtellas, hos Angelos condiderit potiùs quàm alios; quòd hanc animam huic corpori infundat, iſtam iſti, &c. nullam aliam rationem habet, præter liberam ipſius electionem.

An præferat alterum alteri in dilectione.

Petet aliquis, Vtrùm non ſolùm obiectiuè, ſed etiam appretiatiuè 74
Deus ex ſe alium præ alio diligat: hoc eſt, Vtrùm non ſolùm velit illi maiorem gratiam & gloriam, ſed etiam ita velit, vt malit illum ſaluari quàm iſtum, cui minora præparauit? Reſpondeo, id eſſe veriſimile, & poteſt explicari exemplo patris habentis multos filios, omnes quidem valdè dilectos, nō tamen eodem gradu, ſed ordine quodam, ita vt alios alijs pręferat non ſolùm in portione hereditaria, ſed etiam in affectu & æſtimatione, ſic vt malit hunc viuere, & hereditate frui, quàm iſtum. Nulla enim ratio poſtulat, vt in gratuita dilectione ſit iſta paritas ex parte affectus; ſed ſicut in obiecto volito ſunt gradus: ita poſſunt eſſe in æſtimatione eorum qui diliguntur, qua alter alteri in amore præferatur. Itaque credibile eſt talem eſſe diſparitatem ex parte affectus, qualis eſt ex parte obiectorum; vt cui maior gratia & gloria eſt volita, is quoque magis appretiatiuè ſit dilectus.

Ex his patet, ex peculiaribus beneficijs, & auxilijs gratię quibuſdam conceſſis, vel mirandis aliquorum conuerſionibus, non rectè colligi iſtos fuiſſe abſolutè electos ad ſalutem ante omnem præuiſionem operum; quaſi præter huiuſmodi electionem non poſſit eſſe alia cauſa, in quam talia beneficia referantur. Poſſunt enim procedere ex peculiari affectu quo alios præ alijs amat, ijſque gloriam deſiderat, ſicut exemplo patris plures filios habentis declaratum eſt. quo tamen affectu non velit illis gloriam abſolutè, ſed ſub conditione, Si gratiæ ipſis præparatæ fuerint cooperati: quam conditionem niſi impleuerint (ſicut verè poſſunt non implere) gloriam non conſequentur. Vnde reipſa aliqui miris modis conuerſi, & ſingularibus gratiæ donis ornati, tandem à ſalute, ſua negligentia vel ſuperbia excidêre. Itaque etſi amor iſte ſit abſolutus reſpectu auxilij præuenientis; non tamen reſpectu ſalutis æternæ. Sed requirit conditionem, quæ in noſtra liber-

tate ſit poſita, vt dictum eſt. Pari modo cùm quis excidit à via ſalutis, non eſt id referendum in defectum electionis aut prædeſtinationis, vel in reprobationem; ſed in libertatem humanam, ſponte ſua diuinam legem ſalutiſque viam deſerentem, & ad bona huius mundi inordinatè ſe conuertentem.

Quinta Aſſertio.

75 QVintò dicimus, Omnes iuſtificatos ſecundùm modum loquendi Scripturarum eſſe electos & prædeſtinatos ad gloriam: hæc tamen electio & prædeſtinatio non eſt completa, ſed vt compleatur, requirit conditionem ex parte noſtra, quam implere vel non implere eſt in noſtra poteſtate: ac proinde etiam in poteſtate noſtra eſt efficere vt prædeſtinatio noſtra compleatur. *Omnes iuſtificati dicuntur prædeſtinati & electi.*

Prima particula propoſitionis colligitur ex ſupradictis, vbi oſtenſum eſt loca Scripturæ, in quibus fit mentio electionis vel prædeſtinationis, pertinere ad omnes iuſtificatos. vt ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* & infrà: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* ad Rom. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Vbi Apoſtolus loquitur de omnibus Iudæis iuſtificatis per fidem Chriſti. & per *ſalutem* intelligit iuſtificationem: per hanc enim ſaluamur à peccato, & à morte æterna, & debita nobis eſt vita æterna. Quod confirmatur; quia hæc ſalus de qua hîc loquitur, non eſt merces, ſed gratia, vt ibidem Apoſtolus ait: atqui ſalus gloriæ vocatur merces ab Apoſtolo, & corona iuſtitiæ: ergo de ſalute gloriæ non loquitur iſto loco, ſed de ſalute iuſtificationis. Vnde diſtinctio illa de ordine intentionis & executionis hîc non poteſt applicari; cùm manifeſtè loquatur de ordine executionis. Non enim ſolùm dicit gratis eſſe electos, ſed gratis conſecutos ſalutem. Ibidem: *Electio autem conſecuta eſt*, ſcilicet iuſtitiam, quam Iſrael quærens ex operibus legis, conſequi nequiuit. 1. ad Corinthios 1. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Quo loco agitur de *electione* ad fidem Chriſti, & gratiam iuſtificationis, quæ electio ad omnes iuſtos pertinet. Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitu-*

ſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionē filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundùm propoſitū voluntatis ſuæ, in laudē gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo, &c. Quæ omnia ad omnes iuſtificatos in Chriſto pertinēt, vt paſſim Patres exponunt, & ex toto contextu clarè conuincitur: vt ſuprà n. 38. oſtenſum. 2. ad Tim. 1. *Qui nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tēpora ſæcularia.* Nimirum in prædeſtinatione diuina. Idem enim vult ſignificare quod ad Epheſ. 1. cùm ait: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* 1. Petri. 1. *Electis aduenis ſecundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Ecce ad quid electi: nempe *ad ſanctificationem Spiritus, ad remiſſionem peccatorum, ad obediendum Chriſto.* Simili modo ſunt electi omnes iuſti. Iidem dicuntur *ſcripti in libro vitæ*, vt oſtenſum eſt ſuprà n. 40.

Cur Scriptura ſacra ſic loquatur.

Ratio verò cur Scriptura diuina omnes iuſtificatos vocet *electos*, & *prædeſtinatos*, & *ſcriptos in libro vitæ*, eſt: Primò, vt indicet magnitudinem huius beneficij; & totam ſalutem noſtram in eo contineri. Iuſtificatis enim nihil deeſt ad vitam æternam, niſi vt hoc donum conſeruent. Propriè igitur dicuntur prædeſtinati: quia ab æterno ſunt deſtinati à Deo ad hoc donum, & per hoc donum tamquam per intrinſecam & ſufficientem diſpoſitionem, ad vitam æternam: cùm æterna vita illi ſit debita, & neceſſariò ex eo, ſicut fructus ex ſemine, ſequatur. Similiter dicuntur *electi*, tum ad iuſtitiæ ſtatum, tum ad vitam æternam illi ſtatui debitam. ſed hîc in ordine ad vitam æternā, ſemper intelligenda conditio, Si hoc donum conſeruauerint, ſi in iuſtitia deceſſerint. Secundò, vt ſignificet hoc beneficium non prouenire ex noſtris meritis, ſed ex gratuito Dei beneplacito, qui ab æterno nos dilexit, & illud gratis nobis præparauit, non ſolùm in ordine intentionis, ſed etiam executionis. Non enim ſolùm concepit illam voluntatem gratis, & abſque intuitu meritorum, ſed etiam gratis voluit exequi, & reipſa exequitur. Hoc inſinuat nobis nomen *electionis*, & *prædeſtinationis*; præſertim quando additur *ſecundùm propoſitum*, *ſecundùm præſcientiam ſuam in Chriſto, per Chriſtum*, &c. Itaque commendatur nobis per hoc Dei in nos charitas, vt qui ab æterno de nobis cogitarit, & tantum bonum nullis noſtris meritis, ſed ſola ſua bonitate inductus præpararit. De completa autem prędeſtinatione & electione nulla vel rara men- 76

Charitas Dei commendatur.

tio

tio in Scripturis: quia hæc non pendet ex nudo Dei beneplacito, ſed ex meritis bonorum operum, & perſeuerantia. Vnde Scriptura potiùs ſtudium bonorum operum, & perſeuerantiam inculcat, quàm illam prædeſtinationem vel electionem.

77 Altera particula, quòd hæc prædeſtinatio non ſit cōpleta, reſpectu gloriæ, & vt compleatur, requirat conditionem quamdam ex parte noſtra, ſatis conſtat ex dictis ſuprà.

Tertia particula, quòd in iuſtorum poteſtate ſit complere ſuam prædeſtinationem, probatur: quia complere ſuam prædeſtinationem nihil eſt aliud quàm efficere vt in Deo ſit præſcientia & præparatio reliquorum beneficiorum, quibus homo reipſa perducitur ad ſalutem. atqui in hominis iuſti poteſtate eſt per gratiam Dei efficere, vt in Deo ſit talis præſcientia, & præparatio talium beneficiorum: ergo in eius poteſtate eſt complere ſuam prædeſtinationem. Maior patet ex definitione D. Auguſtini quam ſuprà num. 3. explicuimus. Quia ſicut tota prædeſtinatio conſiſtit in præſcientia & præparatione omnium beneficiorum (nimirum quæ ab initio conceptionis, aut vocationis, vſque ad vltimum vitæ conferuntur) ita complementum eius conſiſtit in præſcientia & præparatione eorum, quæ conferuntur poſt iuſtificationem. Sic enim modò de hoc cōplemento loquimur.

Complementum prædeſtinationis eſſe in noſtra poteſtate.

Minor probari poteſt, Primò ex Concil. Arauſicano Can. 25. vbi dicitur: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptiZati (Chriſto auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*. Si poſſunt adimplere omnia quæ pertinent ad ſalutem; ergo poſſunt efficere vt ſint electi ad gloriam, & vt gloria ipſis ſit præparata: ac proinde idem dicendum de reliquis beneficijs, quæ ſub meritum cadunt: ergo poſſunt implere ſuam electionem & prædeſtinationem. Secundò, ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratia iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*. Atqui in poteſtate iuſtificatorum eſt cum auxilio diuino quod illis eſt præparatum, non deſerere Deum, vt fides Catholica docet. Ergo in poteſtate ipſorum eſt efficere vt Deus ipſos non deſerat, & fauorem ſuum erga ipſos vſque ad finem continuet. quod nihil eſt aliud quàm complere ſuam prædeſtinationem & electionem. Tertiò, ex eodem Concil. eadem ſeſſ. cap. 13. *De perſeuerantiæ munere, nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debeant. Deus enim, niſi ipſi eius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle &*

perficere. Si omnes iuſti in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare debent: ergo illud auxilium eſt ipſis ex parte Dei præparatum, ſaltem ſub conditione; & in poteſtate iuſtorum eſt illud habere in actu ſecundo: & conſequenter etiam in poteſtate eorum eſt efficere, vt Deus velit illud abſolutè in actu ſecundo dare. atqui in voluntate dandi talia auxilia vſque in finem, in quibus firmiſſima ſpes eſt ſalutis, conſiſtit complementum prædeſtinationis: ergo in poteſtate iuſtorum eſt, vt extet illud complementum. Rurſus, in poteſtate iuſtorum eſt efficere vt Deus perficiat opus bonum, quod in nobis cœpit (hoc eſt, propoſitum rectè viuendi, & ſeruandi mandata diuina vſque in finem) & operetur velle & perficere: nam in poteſtate eorum eſt, non deeſſe gratiæ diuinæ: ergo in poteſtate iuſtorum eſt efficere vt Deus velit & ſtatuat abſolutè operari in ipſis velle & perficere, in qua voluntate cõpletur prædeſtinatio. Quartò, idem confirmatur epiſt. 2. beati Petri cap. 1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. In poteſtate iuſtorum eſt efficere *ſuam electionem certam*, id eſt, firmam (Græcè βεβαίαν) per quam indeclinabiliter ſaluentur. atqui in hac firmitate conſiſtit completio electionis. ergo. Quintò, Deus præparauit omnibus iuſtis omnia auxilia & beneficia, quibus certiſſimè ſaluabuntur, ſed ſub conditione, Si ipſi gratiæ ipſius non deſint: vt apertè ex Concil. Trident. & Scripturis colligitur. atqui in poteſtate iuſtorum eſt non deeſſe ipſius gratiæ, & implere illam conditionem: qua completa illa voluntas conditionata tranſit in abſolutam, ac proinde complet in Deo rationem prædeſtinationis, vt ex D. Auguſtini definitione conſtat.

Denique, qui meretur vel impetrat ſuis precibus aliquod auxilium vel beneficium à Deo, meretur etiam & impetrat vt in Deo ſit voluntas abſoluta illud conferendi: ſicut qui meretur ſupplicium, etiam eſt cauſa cur in Deo ſit volũtas abſoluta illud ſupplicium irrogandi, vt ſuprà num. 5. oſtenſum eſt. Atqui iuſti poſſunt mereri & impetrare noua auxilia & beneficia, quibus creſcant, & protegantur in ſtatu gratiæ, & iſtis rurſus alia, & ſic deinceps vſq; ad mortem. Ergo etiam poſſunt mereri vel impetrare vt Deus hæc beneficia & auxilia illis velit conferre.

An temporale ſit cauſa æterni, & quomodo.

Dices, Prædeſtinatio & electio in Deo ab æterno eſt completa: 78
ergo homo non poteſt eſſe cauſa completionis illius per ſua opera. quia temporale non poteſt eſſe cauſa æterni. Reſpondeo, argumentum hoc eſſe generale, & poſſe etiam fieri aduerſus reprobationem; ſed neganda eſt conſequentia. quia etſi temporale non poſſit

eſſe cauſa phyſica vel efficiens eius quod eſt æternum; poteſt tamen eſſe cauſa obiectiua, ſeu moralis. omnis enim cauſalitas moralis ad motionẽ obiectiuam reducitur. Sic euẽtus futuri dicuntur à Patribus cauſa diuinæ præſcientiæ, nimirum quoad terminationem ad ipſos, tamquam ad obiecta; & multæ res præſcitæ ſunt cauſa multiplicis in Deo decreti & ordinationis: quia in præſcientia ipſæ quoque ſunt æternæ, & ſic poſſunt diuinam voluntatem mouere. Hoc ſenſu dicimus iuſtos poſſe eſſe cauſam complementi ſuæ prædeſtinationis, & electionis abſolutæ ad gloriam: quia illorum opera à Deo præuiſa ab æterno, mouent illum, vt iſta beneficia ab æterno ſtatuat illis abſolutè conferre, quæ alioquin non voluiſſet. Sic impij ſunt cauſa ſuæ reprobationis, & efficiunt vt Deus illos reprobet: & tamen hæc reprobatio eſt in Deo ab æterno. Itaque tota ratio huius rei referenda eſt ad vim diuinæ intelligentiæ, quæ facit vt omnia futura, quodammodò ſint æterna; ac proinde ita poſſint diuinam voluntatem mouere, ac ſi ab æterno exiſterent.

79 Ex his patet Primò, qua ratione rectè dici poſſit, *Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.* Non enim hoc ita intelligendum, quaſi quis poſſit ſibi eſſe cauſa, vt abſolutè prædeſtinetur; quia non poteſt ſibi eſſe cauſa præparationis primæ gratiæ, quam præparationem hoc nomen includit: ſed quòd poſſit eſſe cauſa completionis, ſine qua illius prædeſtinatio non erit completa. Indicat autem hunc modum loquendi D. Proſper ad obiectiones Vincentianas reſp. 12. cùm ait; *Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati; eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate manſuri.* Et ad capitula Gallorum reſp. 7. *Quia illos ruituros propria ipſorum voluntate præſciuit, ob hoc à filiis perditionis nulla eos prædeſtinatione diſcreuit.* Idem repetit ſententiâ ſuper cap. 7. rurſus reſp. 3. ad cap. Gallorum: *Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti ſunt.* & D. Fulgentius ad Monimum de duplici prædeſtinatione cap. 24. & alij. vide ſuprà num. 9. Idem inſinuatur in illa Secreta Quadrageſimę, qua rogamus Deum, vt beatæ prædeſtinationis liber nomina eorum qui nobis commendati ſunt, & omnium fidelium adſcripta contineat.

Quo modo dici poſſit, Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.

Secundò patet, facilè reſponderi ad illud antiquum argumentum: Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum. ſi ſum prædeſtinatus, nihil oberit vita mala: quia tandem efficiet Deus vt pœniteam & ſaluer, vt ipſius prædeſtinatio impleatur. ſi non ſum, nihil proderit ſtudium

Soluitur argumentum vulgare.

vitæ bonæ: quia tandem aliqua tentatione vincar, & damnabor. Quo argumento quidam Monachus ex monaſterio S. Auguſtini conuictus, monaſtica vita deſerta, ſæculum repetiit, & periit: vt refert idem Auguſtinus, lib. de bono perſeuerantiæ cap. 15. Et ſanè non facilè reſpondebunt ſic vt animum tranquillent, qui electionem & prædefinitionem abſolutam ante omnem præuiſionem futurorum ſtatuunt. Sed in noſtra ſententia difficultatem non habet. Dicetur enim te quidem eſſe prædeſtinatum, ſi es iuſtus, non tamen completè, niſi ſuppoſita præſcientia tuæ perſeuerantię; quæ pręſcientia cum à tua perſeuerantia obiectiuè pendeat, & perſeuerantia à tua diligentia, diuino auxilio adiuta, conandum tibi omni ope, omneſq́; vires naturæ & gratiæ intendendę vt perſeuerantiam præſtes. quòd ſi diuina gratia neglecta non præſtes, non eris prædeſtinatus ſed reprobus. Sanè nihil eſt quod hominem magis ad ſedulitatem, ſollicitudinem, ſtudiumq́; virtutis, & ad vincendas frangendaſq́; prauas naturæ cupiditates, quàm hæc prędeſtinationis ratio, incitare poſſit. Sicut econtrariò, nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & deſperationis motus, quàm perſuaſio illa, de omnibus & ſingulis abſque vllo operum intuitu iam firmiter eſſe ſtatutum: & res omnes ſic diſponi, vt omnia eueniant, ſicut abſolutis illis, inflexibilibus, & pluſquam adamantinis decretis eſt ſancitum: vt meritò vel ex hoc ſigno conijci poſſit, vtri ſententię ſit veritas imputanda.

Conciliatio cum libero arbitrio.

Tertiò, patet non eſſe maiorem difficultatem in concilianda prę- 80
deſtinatione cum libertate arbitrij, quàm in concilianda pręſcientia diuina cum eadem libertate. Nam per prædeſtinationem non ſunt decreta ſingula opera bona abſoluto decreto ante preuiſionem noſtræ cooperationis, vt ſuprà num. 17. oſtenſum eſt. Pręuiſio autem Dei nullo modo officit libertati voluntatis, quia cooperationem & influxum non efficit, ſed ſupponit, & ab eo quodammodò pendet, vt ſępiùs eſt explicatum.

Dices, Ergo prędeſtinatio non eſt cauſa noſtrę cooperationis, ſed potiùs eius effectus: quod eſt abſurdum. Ideò enim habemus bona opera, quia Deus ea prędeſtinauit; non autem ideò prędeſtinauit, quia ea habemus. Reſpondeo, negando conſequentiam: quia per prędeſtinationem habemus vires & auxilium ſine quo non poſſumus ad bonum opus cooperari. Ipſum tamen opus non eſt abſolutè decretum ante pręuiſam noſtram cooperationem. Similiter noſtra cooperatio non eſt abſolutè decreta priuſquá ſe liberum arbitrium ad eam determinet; ſed ſolùm ſub conditione, Si nos ex parte noſtra veli-

mus.

mus. Poſita autem illa conditione, iam decretũ illud conditionatum tranſit in abſolutum, & ſimul cum voluntate cõcurrit ad opus. vnde hoc decretum quatenus conditionatum, eſt prius ipſo opere conſiderato in ratione obiecti futuri, & eius cauſa; vt verò abſolutum, ſic ſe habet concomitanter, & ſimul cum voluntate influit in opus: ita tamen vt voluntatis determinatio & influxus quodam modo ſit prior ratione, vt ſuprà num. 55. explicatum.

Quartò, patet omnia bona opera, & omnia media quibus prædeſtinati directè deſtinantur ad ſalutem, ab æterno eſſe diſtinctè cognita, & decreta abſoluto decreto, non tamen ante omnem præuiſionem cooperationis liberi arbitrij: ſed poſteriora media ſunt decreta præuiſa cooperatione cum prioribus; & ipſa opera, præuiſa determinatione liberi arbitrij, vt paulò antè declaratum eſt. Si tamen loquamur de decreto conditionato, ſic omnia iſta decreta fuere ante præuiſam abſolutè cooperationem. Deus enim priùs ratione quàm præuidit noſtram cooperationem, ex parte ſua omnia illa pręparauit, & ſtatuit dare; ſub conditione tamen, quod ad poſteriora attinet, Si prioribus debitè cooperaremur. *Omnia bona opera prædeſtinata.*

81 Quintò, patet non eſſe magnopere laborandum, vt explicemus quæ gratiæ vel bona opera ſint effectus prædeſtinationis, quæ non ſint. Omnia enim iſta ſunt effectus prædeſtinationis inchoatæ, quam antecedentem vocat Damaſcenus, etiam in reprobis: quia proueniunt ex ſincero affectu & amore Dei, quo cupit homines adducere ad ſalutem. Fallitur qui putat hæc alia mente dari. Nec obſtat quod ſciat iſta in multis fore irrita: hoc enim ipſi diſplicet, neque idcircò minùs eorum ſalutem ex parte ſua deſiderat, aut ad illam minùs ſincero affectu excitat, inuitat, & auxilium offert, ne aliquid ſibi ex parte Dei abfuiſſe, cuius defectu ab ea exciderint, cauſari poſſint. *Effectus prædeſtinationis.*

Sextò, patet numerum ſaluandorum eſſe Deo certum non ex nuda & ſola vi præſcientiæ, vt volebant Pelagiani, negantes neceſſitatẽ diuinę gratię: ſed vi prædeſtinationis; quę tamen variis modis præſcientiam inuoluit, & ſecũdùm partes ſupponit. Probatur, quia quicumq. ſaluantur, iis ab æterno fuere præparata beneficia omnia, quibus ſaluantur, vt ex definitione prædeſtinationis cõſtat. atqui ex illis beneficiis certiſſima eſt eorũ ſalus, vt ex eadẽ definitione habemus: ergo eſt certa ex prędeſtinatione; quæ nihil eſt aliud quàm illorũ beneficiorũ præparatio. Quia tamen illorum beneficiorũ pręparatio inuoluit pręſcientiã, vt ſuprà ſatis explicatũ eſt; ideò iſte numerus non eſt certus ex vi alicuius propoſiti, decreti, electionis, vel præordinationis, quæ om- *Numerus ſaluãdorum quo modo certus Deo.*

nem præſcientiam futurorum euentuum antecedat. Neque idcircò iſte numerus eſt per accidens, & præter intentionem Dei; quia Deus re vera illum intendit, quamuis hæc intentio non fiat abſoluta ante præuiſionem finis omnium hominum, & mundi conſummationis. Nulli enim numero, ante illam præuiſionem Deus eſt ita addictus, quin gratiſſimum ei ſit, vt plures ad ſalutem adducantur. Cùm enim ſit omnium conditor, omnium redemptor, omnium Dominus, & pro omnibus mortem ſubierit, & cupiat omnes homines ſaluos fieri, nullum ex parte ſua certum numerum definiuit, neminem excluſit; ſed quantum in ipſo eſt, omnes in numero ſaluandorum & electorum eſſe cupit. Quòd igitur iſte numerus ſit tam exiguus, non prouenit ex ipſius præfinitione, quiuis enim numerus iſto maior, eſt regno Dei aptus & proportionatus. Omnes poſſunt eſſe lapides in illo palatio, & membra in illo corpore, & ciues in illa cæleſti Ieruſalem, & conuiuæ in illis æternis nuptiis; nec idcircò excedetur vel palatij debita menſura, vel corporis illius congrua proportio, vel ciuitati proportionata multitudo, vel conuiuij iuſtus numerus. Sed quòd tam exiguus ſit futurus iſte numerus, prouenit ex hominum negligentia, & amentia, qui viam latam ducẽtem ad perditionem ingredi malunt, & frui commodis huius vitæ, quàm arctam ducentem ad ſalutem. & inuitati ad cæleſtes nuptias ſe excuſant, humana negotia, & temporalia emolumenta vel blandimenta illis præferentes; vt expreſsè Dominus in Euangelio docet. Faceſſat igitur iſta imaginatio, Deum ante omnem præuiſionem futurorum ex ſeipſo ſtatuiſſe certam menſuram ſui regni, & huic proportionatam elegiſſe multitudinem angelorum & hominum, quæ nec augeri nec minui poſſit; ceteris omnibus negatiuè excluſis. Qua de re ſatis ſuprà dictum.

Sexta Aſſertio.

Nemo reprobatus abſoluta voluntate ante præuiſionem finis in ſtatu peccati.

SExtò dicimus, neminem eſſe reprobatum abſoluta voluntate an- 82
te præuiſionem finis in ſtatu peccati. Colligitur ex Scripturis, quibus ſuprà oſtendimus Deum omnes homines cupere ſaluos fieri, & omnibus dare auxilium ſufficiens, Hanc aſſertionem intelligo non ſolùm de reprobatione à regno, ſed etiam ab auxiliis gratiæ neceſſariis. Neminem enim Deus ſtatuit abſolutè deſtituere præſidiis neceſſariis, quamdiu in hac vita degit, & mentis eſt compos; ſed ſemper ſalutem cuiuſque deſiderat, & ad eam ſubinde excitat, propinquiùs, vel remotiùs, pro capacitate cuiuſque, vt ex ſupradictis conſtat. Ex

quibus

quibus conſequens eſt, numerum reproborum eſſe certum dumtaxat ex nuda vi præſcientiæ; non autem ex vi decreti diuini: quia Deus non dirigit homines ad interitum, ſicut eos deſtinat ad ſalutem. neque ante præuiſionem finis habet vllum decretum ex quo de iſto numero conſtare poſſit. Quòd ſi eſſet facta electio abſoluta certi numeri ſaluandorum, vt ipſi volunt, iam numerus reproborum eſſet certus ex vi illius electionis & prædeſtinationis: tum quia certiſſimum eſt, neminem illo numero non comprehenſum fore ſaluum: tum quia ſolis iſtis electis præparata eſt gratia congrua, ceteris autem incongrua: in qua præparatione certiſſimè ſciri poteſt, neminem ex illis ſaluandum. Cur autem Deus, cuius natura bonitas, cuius virtus omnipotentia, qui eſt Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, tam immenſum numerum miſerorum mortalium ad inferos ruere permittat, cùm id facilè poſſit impedire, vel per ſe, vel angelorum aut hominum miniſterio; partim ex antè dictis colligi poteſt, partim in tractatu de Iuſtitia explicabitur.

Vnde numerus reproborum certus.

S E C T I O V I I.

Recollectio precatoria.

83 EXALTABO te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi; quia ab æterno dilexiſti nos, & præparaſti nobis regnum tuum, conſortium gloriæ tuæ. Elegiſti nos in Filio ante mundi conſtitutionem, & in adoptionem filiorum per ipſius merita prædeſtinaſti, vt ſimus ſancti & immaculati in conſpectu tuo in charitate, & paratam nobis hereditatem aſſequamur. Et ſicut ab æterno nos præſciſti, & præordinaſti vt ſimus conformes imaginis Filij tui; ita in tempore vocaſti, & vocationem tuam ſecutos iuſtificaſti (communicato nobis Spiritu tuo, pignore hereditatis noſtræ) & iuſtificatos glorificabis, ſi tamen in iuſtitia permanſerimus, ſi imagini Filij tui conformes nos compatiendo præſtiterimus. Ita enim demum nos prædeſtinaſti vt ei ſimus conformes in gloria, ſi ipſi fuerimus conformes in patientia. Hanc conditionem meritò à nobis requiris, vt membra non diſſentiant à capite: vt ſicut Dominus noſter à iuſtitia & Patris obedientia, propter paſſiones & tormenta, non receſſit; ita nec nos, ob huius vitæ afflictio-

ctiones, ab eius obedientia recedamus, ſed omnia fortiter ad exemplum ipſius perferamus; ſimul & hoc conſiderantes, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Meretur res tanta omnem ſollicitudinem in exequendis mandatis, omnem tolerantiam in ſuſtinendis aduerſis, omnem conſtantiam in retinendo iuſtitiæ ſtatu. Cogitaſti de nobis cogitationes pacis, & non afflictionis; cogitationes ſalutis, & non interitus; vt nos vitæ æternæ & omnium bonorum tuorum conſortes efficeres. non occultis decretis ſaluti noſtræ præiudicaſti, neque gratiis incongruis ſelectis ei veluti inſidiaris; ſed ſeriò, non in ſpeciem eam deſideras, & procuras. Si enim cùm adhuc inimici eſſemus, Filium pro nobis mori voluiſti, & per eius merita nos tibi in filios adoptaſti; quanta ſinceritate iam ages nobiſcum, quando iam filij ſumus effecti, & Spiritu tuo viuificati, vt paratam hereditatem adipiſci poſſimus? Vel hoc vnum abundè ſufficiat in ſignum ſinceriſſimi amoris, ad omnem ſiniſtram imaginationem ac ſuſpicionem depellendam.

Iuſſiſti nos eſſe ſecuros ex parte tua, præparato nobis auxilio, quo 84
certiſſimè iuſtitiam retinebimus & ſalui erimus, niſi per nos ſteterit, niſi auxilium oblatum neglexerimus, & tuæ nos gratiæ ſubtraxerimus. Poſuiſti omnia in arbitrio noſtro, perinde ac ſi ſolis naturæ viribus regnum obtinendum eſſet. Iuſtificati enim per gratiam tuam, non minùs facilè in iuſtitia accepta perſeuerare & legem diuinam implere poſſunt, quàm hominibus politicis per naturam facile eſt iuſtitiam politicam externamq́ue in ſe tueri, & legem ciuilem implere. Collocaſti itaque & perſeuerantiam & prædeſtinationis complementum & totam ſalutem noſtram in arbitrio noſtro, vt ſi velimus, ſalui ſimus; & ſi velimus, pereamus. appoſuiſti nobis vitam & mortem, vt ad vtrum libuerit manum extendamus. Exigis à nobis conditionem iuſtiſſimam, à qua omnia pendere voluiſti, & ipſam ab arbitrio noſtro: nimirum vt donũ iuſtitiæ, nullis noſtris meritis nobis collatum, conſeruemus. Quæ ſanè conditio nobis per gratiam tuam facilis eſt, eamq́. omnino præſtabimus, ſi protectionem & opem gratiæ tuę aſſiduè implorauerimus; eiq́ue, vt par eſt, & ſicut poſſumus & debemus, fuerimus cooperati.

Si ergo perierimus, non tuis decretis, non auxiliorum inopiæ, non 85
incongruis gratijs, ſed noſtræ ſocordiæ aſſignare debemus. Omnibus enim fidelibus, & maximè iuſtificatis, auxilium tuum, quod ad orationem eſt neceſſarium, ſemper adeſt per fidei & ſpei donum; ſicq́ue omni tempore ad te per orationem confugere poſſunt. Huius autem inter-

interuentu in omni euentu auxilium neceſſarium & ſufficiens ad cetera omnia, ad vincendas tentationes, ad implenda mandata, & ad perſeuerandum in iuſtitia certiſſimè obtinebunt. quo auxilio obtento ſolùm ſupereſt, vt illo vtantur, eiq́. ſicut par eſt, & facilè poſſunt, cooperentur. *Iugum enim tuum ſuaue eſt, & onus leue*: & quæ per ſe carni moleſta ſunt & difficilia, per gratiam tuam ſuauia ſunt & expedita. Nihil ergo ex parte tua nobis deeſt, nihil eſt cur firmiſſimam & certiſſimam ſpem in tuo auxilio collocare non debeamus: tota dubitatio, & euentus ambiguitas eſt ex parte noſtra.

Si ergo certò ſalui eſſe volumus, ſi noſtram electionem ratam certamque efficere, primò ſemper in preces piaſque cogitationes ſimus intenti, aſſiduè Dominum deprecantes, vt ſua nos prouidentia cuſtodiat, & ita regat, ſicut nouit expedire noſtræ ſaluti. Fieri nequit, vt qui hoc continuò flagitat, non ſaluberrimè ab ipſo dirigatur. Hoc eſt, quod maximè nos vult petere; hoc ſæpiùs promiſit ſe petentibus daturum. *Et ego*, inquit, *dico vobis, petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Ecce quoties idem ingeminat, vt nullo modo dubitemus nos obtenturos. Deinde ſemper ſimus ſolliciti, ne vmquam diuinæ gratiæ deſimus, ne eam in vacuum recipiamus, ſocordia noſtra ei non cooperantes. Parum nobis proderunt diuinæ inſpirationes & auxilia gratiæ, ſi ad alia conuerſi, ſinamus illa effluere; ſi ſemen illud cæleſte vel à volucribus cæli permittamus abſumi, vel à ſpinis ſuffocari. Excitandus animus, vt attentè conſideret quid Deus à nobis requirat, ad quid inuitet, quid interiùs conſilij inſpiret. Hoc, abruptis omnibus ſæculi vinculis, amplectamur, hoc perſequamur, hoc firmiter vſque in ſinem teneamus. Ita ſemper ſimus comparati & intenti, ac ſi quotidie ſuprema nobis inſtaret hora, & in omnibus eligamus & faciamus quod illo temporis articulo nos volemus feciſſe. Hæc ſi præſtiterimus, ſicut verè poſſumus, & rei magnitudo meretur, certiſſimè ſalui erimus; & prædeſtinationem noſtram diuina benignitate inchoatam, diuinæ gratiæ auxilio complebimus. Immenſa planè eſt hæc Dei in nos benignitas, qua nobis ſibi in filios adoptatis, poteſtatem fecit ſui regni, tam ſuaui & potenti prouidentia nos gubernans, vt æterna vita & gloria ſit in manu noſtra, & nulla creatura ſalutem noſtram impedire poſſit, niſi ipſi velimus. *Certi enim ſumus, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque*

Tria ſalutis certiſſima media.
Primum, Oratio aſſidua.
Matth. 7.
Lucæ 11.
Secundum, Sollicitudo continua.
Tertium, Mortis inſtantis conſideratio.

fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV *Domino noſtro.*

Tibi ſæculorum Regi immortali & inuiſibili, tibi miſericordiarum Patri, Conditori, Redemptori, & Saluatori noſtro, tibi omnium bonorum noſtrorum auctori, honor & gloria, & benedictio, & gratiarum actio ab omni creatura, in omnes generationes ſæculi ſæculorum, Amen.

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI

Diſputatio.

SECTIO PRIMA.

Proponitur controuerſia, & varijs modis ſententia verior confirmatur.

1 DVo hîc tractanda ſunt: alterum eſt, Vtrùm myſterium Incarnationis Chriſti ſit prædeſtinatum ante præuiſum peccatum Adami, ita vt Chriſtus venturus eſſet in carnem Adamo non peccante, & perſeuerante innocentiæ ſtatu. alterum, Vtrùm prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis. Nihil de iſtis cogitaram tractare, ſed poſteà conſiderans magnopere intereſſe ad amorem Dei & Chriſti, quomodo quis de iſtis ſentiat, ſtatui breuiter aperire, quid Scripturis ſacris & ſanctis Patribus videatur magis conſentaneum.

Quod ad prius attinet, quidam Doctores putant hoc myſterium prædeſtinatum ante præuiſum omne peccatum, idq; ob ſuam intrinſecam perfectionem, ad conſtituendum vniuerſum vndequaque perfectum, & omnibus rerum gradibus ac ordinibus conſtans. Eſſe enim tres ordines rerum, naturæ, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ: vniuerſi autem perfectionem omnes illos poſtulare. Quod vt clariùs intelligatur, ſciendum eſt, eſſe tres gradus ſecundùm quos diuinitas poſſit aliquo modo participari à rebus creatis. Primus eſt per naturã ſeu ſpeciem rei; quatenus ſpecies cuiuſq; eſt participatio quædam diuini eſſe. Secundus, per dona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ; quatenus

Sententia quorumdam

Tres rerum ordines,

tenus per hæc dona eleuatur creatura ſupra conditionem naturæ, & efficitur Deo ſimilior. Tertius, per vnionem hypoſtaticam, qua non iam donum aliquod creatum, ſed ipſamet diuinitas vnitur creaturæ; ſic vt non ſolùm ipſa ſit Deo ſimilis ac deformis, ſed etiam Deus. In primo gradu communicatur diuinum eſſe per quoddam ſui veſtigium (vt in creatura irrationali) vel rudem & vmbraticam imaginem; vt in creatura rationali. In ſecundo communicatur per imaginem ſui perfectam (quatenus creatura poteſt eſſe ſimilis Deo) nimirum per viſionem & amorem beatificum. In tertio communicatur tota per ſe diuinitatis plenitudo. Vt igitur vniuerſum conſtaret iſtis tribus gradibus, dicunt hoc myſterium fuiſſe à Deo per ſe intentum ante omnem peccati prçuiſionem. ſicq; volunt primò omnium prædeſtinatam eſſe Chriſti humanitatem ad vnionem hypoſtaticam Verbi, & gloriam illi debitam. propter illius merita præuiſa prędeſtinatos eſſe angelos & homines, & propter homines mundum corporeum; & hæc omnia ſic eſſe prædeſtinata vt cederent in gloriam Chriſti hominis, & ipſe eſſet omnium caput, & auctor omnis boni ſupernaturalis in ceteris. Alij paulò aliter explicant, & quædam inſtantia rationis digerunt: ſed in hoc conſentiunt, quòd Chriſtus erat venturus in carne, etiamſi Adam non peccaſſet: & propter ipſius merita non ſolùm hominibus, ſed etiam angelis omnem gratiam collatam. Huius ſententiæ primum auctorem puto fuiſſe Rupertum, qui eam tradit lib. 13. in Matth. & lib. 3. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 20. Ante illum neminem inuenio. Hunc ſecuti ſunt aliquot antiquiores Scholaſtici & quidam recentiores. Probant quibuſdam locis Scripturæ, & teſtimoniis Patrum, & nonnullis rationibus, quas infrà adducemus.

Sententia verior, Chriſtum nõ venturum, ſi peccatum non fuiſſet.

Sed contrariam ſentio multò probabiliorem, & omnino veram, 2
nempe perſeuerante ſtatu innocentiæ Chriſtum non venturum, ſed occaſione peccati prædeſtinatum. Ita cum D. Thoma tenent plerique Theologi, eſtque communis fidelium apprehenſio.

Prima Probatio ex S. Scriptura.

PRobatur Primò, quia Scriptura apertè docet Dominum veniſſe in carnem ad redimendum hominem perditum, nec aliam cauſam inſinuat. Ergo omnino eſt credibile non eſſe aliam quæ ſit principalior. Cur enim ſuppreſſa cauſa primaria illius aduentus, ſolùm ſecundariam nobis inculcaret, præſertim cùm illa magnopere ad

Chri-

Chriſti gloriam pertinere putetur? hoc enim nihil eſſet aliud quàm nos in errorem inducere, & Chriſti gloriam obſcurare. Sicut ſi Rex ob ſalutem totius regni arduum bellum confeciſſet, & in tabulas publicas nihil aliud referretur quàm oppidulum quoddam ab hoſte obſeſſum fuiſſe liberatum, & ipſum totam illam expeditionem illius oppiduli cauſa ſuſcepiſſe, nulla facta mentione maximarum opum & gloriæ, quæ ipſe toti regno peperiſſet. Itaque ſi principalis cauſa incarnationis fuit perfectio Vniuerſi, ne deeſſet Vniuerſitati rerum gradus ille ſupremus diuinæ communionis, & ipſe eſſet auctor ſalutis omnium angelorum: certè id à Scriptura ſilentio præteriri non debebat. Quòd autē ſacra Scriptura ita loquatur, vt ſimul inſinuet aliam cauſam aduentus non fuiſſe quàm hominis liberationem, patet Matthæi 1. *Vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum.* Nomen à principali officio ſolet imponi. Saluare itaque populum à peccatis eorum erat principale officiū, cuius cauſa ipſe in mundum venit. Matth. 18. & Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat:* inſinuans ſe ob nullam aliam cauſam veniſſe. Quod apertiùs ſignificat Matth. 9. cùm ait: *Non opus valētibus medicus, ſed malè habētibus.* &, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Hìc apertè incarnatio Filij refertur in dilectionem, qua Deus dilexit mundum, & voluit illum ſaluare. Illud enim *daret*, ſignificat primariò donationem per incarnationis myſterium; vt patet ex verbis ſequentibus. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum* (per incarnationem) *vt iudicet* (condemnet) *mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Ecce principalem & totam cauſam incarnationis Filij Dei, vt mūdus perditus ſaluaretur per ipſum. Idem ſignificatur ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* Et 1. ad Timoth. 1. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus; quòd Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum,* &c.

3 Ad hæc & ſimilia putant ſe ſatis reſpondiſſe, ſi dicant ea intelligenda de miſſione & aduentu in carne paſſibili, & eo modo quo re ipſa venit. Nam quòd ſic venerit, id totum factum & præordinatum propter peccatorum redemptionem. Sed reuerà non videtur hæc expoſitio cōgruere verborum proprietati, à qua non eſt recedēdum, niſi ratio manifeſta cogat. Significant enim illa teſtimonia ipſam in- *Excluditur quædam reſponſio.*

carnationem ſecundùm ſe ſuamq; ſubſtantiam factam ob redemptionem hominum: vnde non ſunt reſtringendæ ad qualitatem & modum dumtaxat. Confirmatur à ſimili: Si Rex inſtituat prudentiſſimum virum ad regendam prouinciam, quem poſteà, vt omnibus det exemplum modeſtiæ, velit vti habitu plebeio, non dicetur ille gubernator inſtitutus ob exemplum, ſed qualitas illa externa dumtaxat: neque exemplum dicetur eſſe cauſa cur ille mittatur aut veniat, ſed cur tam vulgari & exiguo apparatu veniat. Idem probatur ex Symbolo Niceno: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt.* Hîc apertè loquitur de ipſa incarnationis ſubſtantia, eaq; dicitur facta propter noſtram ſalutem.

Dices noſtram ſalutem fuiſſe finem ſecundariũ. Reſpondeo: Valdè mirum eſſet ſemper nobis inculcari hunc finem acceſſorium & ſecundarium, ſine quo res æquè erat futura, & numquam exprimi finem primarium, à quo tota rei ſubſtantia pendet. Sanè id abhorret à communi & candido loquendi modo, & ad nihil valet aliud quàm ad falſam opinionem homini inijciendam, vt putet nullam aliam cauſam magis principalem ſubeſſe. Idem confirmatur ex parabola de centum ouibus, Lucæ 15. Sicut ille paſtor numquam reliquiſſet nonaginta nouem in deſerto, niſi vna aberraſſet: ita Filius Dei numquam ad nos è cælis relictis angelorum choris deſcendiſſet, niſi genus humanum per peccatum aberraſſet.

Denique, hæc ſententia eſt excogitata, vt Chriſtus ſtatuatur etiam 4
auctor ſalutis angelorum: at hoc fundamentum non videtur congruere S. Scripturæ. nam Apoſtolus ad Hebr. 2. probat Chriſtum debuiſſe conſtare carne & ſanguine, quòd illi qui per ipſum ſanctificandi erant, his conſtabãt: *Quia*, inquit, *pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* atqui angeli non conſtant carne & ſanguine. ergo per Chriſtum hominem non erant ſanctificandi. Confirmatur; quia, qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex vno omnes (hoc eſt ex Adamo) vt ibidem ait Apoſtolus. atqui angeli non trahunt originem ex Adamo: ergo non erant ſanctificandi per Chriſtum. Idem confirmatur ex verbis ſequentibus: *Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Qui locus dupliciter intelligi poteſt, Primò, de vnione hypoſtatica, vt ſenſus ſit, Non aſſumpſit angelos in ſocietatem naturæ, ſed ſemen Abrahæ. nimirum quia non angeli, ſed ſemen Abrahæ & homines per illum erant ſanctificandi. Secundò, de ſanctificatione, vt ſenſus ſit, *Nuſ-*

quam

quam angelos apprehendit, retinens eos ne ruant in interitum, ſed homines apprehendit. eſt enim Græcè ἐπιλαμβάνεται, quod ſignificat veluti iniecta manu apprehendere aliquid & tenere, eſtq; præſentis non præteriti temporis. qui ſenſus eò pertinet vt ſignificet illum non debuiſſe angelis aſſimilari, quoad naturam aſſumptam, cùm ad illos ſaluandos non venerit; ſed hominibus. quibus verbis ſatis indicat Apoſtolus illum neque ad iuſtificandos angelos, qui non peccauerunt, veniſſe.

Secunda Probatio ex Patribus.

5 SEcundò probari poteſt ex Patribus. Relictis obſcurioribus locis, adducam pauca & illuſtriora.

Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos: *Neceſſitas indigentiaq; hominis, prior eſt quàm eius natiuitas; qua ſublata, carnem non induiſſet.* Non dicit, carnem mortalem non induiſſet; ſed carnem non induiſſet, negans omnem carnem. Et infrà: *Ceterùm vt fieret homo numquam deſtinatum fuiſſet, niſi hominum neceſſitas id poſtulaſſet.* Hîc rurſum negat omnem humanitatem, non ſolùm paſſibilem. Similia habet oratione 4. Iſtæ locutiones manifeſtè falſæ erunt, ſi re vera erat carnem aſſumpturus. Et lib. de Incarnatione Verbi Dei: *Vt ſcias ex cauſa noſtra aduentus ad nos occaſionem rationemq; fuiſſe, & noſtram præuaricationem accerſiuiſſe Verbi clementiam, vt ad nos deſcenderet, & appareret inter homines Deus.*

Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theol. *Quæ cauſa fuit naturæ humanæ, quam noſtri cauſa ſubiit, nónne noſtra ſalus? Quid enim aliud dicemus?* Hîc omnem aliam cauſam negat, nempe quæ ſit æquè principalis, & ſine qua non fieret.

Ambroſius lib. de Dominicæ incarnationis ſacramento cap. 6. *Quæ erat cauſa incarnationis, niſi vt caro quæ per ſe peccauerat, per ſe redimeretur?*

Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Apoſtoli (adducitur à D. Thoma p. 3. qu. 1. ar. 3.) ex illis verbis Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat*, infert: *Ergo ſi homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet.* Et ſerm. 9. *Nulla fuit cauſa veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medecinæ cauſa.* Hîc negatur omnis aduẽtus, ſepoſita cauſa peccati. Et in Pſal. 68. *Deus quando humanam naturam ſuſcepit, in limo infixus eſt: ſi homo maneret in eo quod fecit Deus, non in limo infixus eſſet quem genuit Deus.*

Leo

Leo ſer. 3. de Pentecoſte circa initium: *Si homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, Creator mundi creatura non fieret.* Quid clarius? hîc excluditur omnis rei creatæ aſſumptio.

Gregorius lib. 4. in primum Regum cap. 1. *Niſi Adam peccaſſet, Redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtram non oporteret; nō enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pænitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, ſi peccata deeſſent, eum venire non oporteret.* hîc ſimiliter omnis aduentus excluditur.

Cyrillus Alexand. lib. 5. theſauri cap. 8. ſeu vltimo: *Sciebat Deus mortales nos futuros per peccatum, atque ideò ex miſericordia ſua ante ſæcula conſtituit vt Verbum ſuum fieret homo, renouaretq́; hominem in ſeipſo.* Vbi apertè docet poſt præuiſionem peccatorum prædeſtinatam incarnationem. vide totum caput.

Petrus Chryſologus ſerm. 150. *Si non impleſſet carnis ordinem* (faciendo & patiendo quæ caro ſolet) *otioſa eſſet in illo carnis ſuſceptio.*

Idem docet Theodoretus epitome diuinorum decretorum cap. de Incarnatione: Chryſoſt. homil. 2. & 3. in Matthæum: Damaſcenus lib. 4. de Fide, cap. 4. Bernardus ſerm. 1. de Natiuitate, & alij. Hi omnes ita loquuntur, vt nemo qui alteram ſententiam numquam audiuit, poſſit ſuſpicari, ſubeſſe aliam cauſam magis principalem, quàm redemptionem noſtram.

Tertia Probatio ex Rationibus.

Prima Ratio.

IDem probari poteſt quibuſdam rationibus, & coniecturis non parui momenti. Primò, ſi altera ſententia vera eſſet, verè & propriè dicere poſſemus Filium Dei non ſumpſiſſe carnem noſtra cauſa, ſed ſolùm qualitatem carnis; & nos non eſſe cauſam aduentus illius in mundum, ſed ſolùm quòd tali modo & tempore venerit. Illud enim non propriè dicitur cauſa, ſine quo res æquè fieret ex vi cauſæ alterius iam poſitæ. Sicut ſi ſtatuiſti ire Romam cauſa beneficij obtinendi, deinde intelligens ibi futurum amicum, iter differas, vt eum ibi inuenias: verè dici poteſt, te non veniſſe Romam cauſa amici, & amicum non eſſe cauſam aduentus tui; ſed quòd tardiùs veneris. Atqui illud eſt contra modum loquendi Scripturarum & Patrum, vt ex dictis patet. 6

Dices,

Dices, Noſtra ſalus non ſolùm eſt cauſa circumſtantiarum; ſed etiam ipſius ſubſtantiæ myſterij, nimirum quatenus reipſa facta eſt. Qui enim eſt cauſa cur res citiùs vel animoſiùs fiat, cenſetur cauſa totius rei: & idcircò obligatur ad reſtitutionem ſi damnum iniuſtè datum eſt. Reſpondeo: Eſſe cauſam iſtius myſterij, vt hîc & nunc executioni eſt mandatum, re vera nihil eſt aliud, quàm eſſe cauſam circumſtantiarum eius: & ita propriè poteſt negari illud eſſe cauſam ſubſtantiæ rei. Ratio eſt, quia ſubſtantia rei iam habet ſuam cauſam integram tum efficientem, tum finalem determinatam, ex qua neceſſariò proueniet. Omnis ergo alia cauſa ſuperueniens ſe habet per accidens ad ſubſtantiam illius effectus, & ſolùm poteſt conducere ad aliquas circumſtantias, ſicut exemplo euntis Romam oſtenſum eſt. *Obiectio.* *Excluditur.*

Ad Confirmat. Qui eſt cauſa vt citiùs vel animoſiùs res fiat, dicitur cauſa rei; quia aliquid confert ad eius eſſe: ſecùs ſi eſt cauſa, cur tardiùs fiat. At ſalus noſtra non fuit cauſa, cur citiùs Verbum aſſumeret carnem; ſed cur longè tardiùs. Deinde etiamſi is qui eſt cauſa cur res citiùs fiat, dicatur cauſa rei; tamen propriè non eſt cauſa eius quoad ſubſtantiam, ſi hæc æquè ex vi prioris propoſiti euentura erat: vt patet in eo qui ſuo conſilio facit, vt damnum citiùs inferatur. Vnde multi DD. tenent talem conſultorem non teneri ad reſtitutionem, niſi quatenus iſta anticipatio æſtimabitur.

7 Ex his vlteriùs ſequitur, nos non teneri agere gratias Deo pro Filij incarnatione, & infinita illa Diuinitatis exinanitione, qua ipſam carnis ſubſtantiam ſibi vniuit; ſed ſolùm quòd paſſibilitatem carnis aſſumpſerit, & ſua paſſione nos redemerit: & ita perit præcipuum miſericordiæ opus, & maximum diuini amoris incentiuum. Infinitè enim maius eſt & mirabilius Deum fieri hominem, quàm hominem factum pati & ſubire mortem. Ibi enim fuit Diuinitatis quædam exinanitio, cùm ipſa ſecundùm ſe immediatè carni copulata eſt, & caro facta, & in ordinem hominum redacta: hîc verò ſolùm mediatè & ratione carnis illas iniurias ſubit. Sicut longè maius eſt filium Regis fieri mancipium, quàm factum mancipium facere & pati quæ ſolent mancipia. Vnde Apoſtoli & Martyres, ceteriq́ue ſanctitate eximij, conſideratione illius eminentiſſimæ charitatis, qua Deus noſtra cauſa voluit fieri homo (nimirum vt homines faceret deos) & æternus ſubire temporum vices, & incomprehenſibilis comprehendi, & inuiſibilis ſpecie viſibili nobiſcum verſari, commoti & ad feruorem vitæ excitati fuere. Hoc maximè ponderant S. Patres de Domini incarnatione vel natiuitate tractantes. Et ſanè nihil eſt quod maiorem *Non tenebimur agere gratias.*

hominí admirationem adferat, vel eius amorem magis alliciat, & obſequium exigat, quàm infinitæ illius dilectionis contemplatio. Hoc totum motiuum euaneſcit, ſi admittamus alteram ſententiam. Confirmatur exemplo antè allato. Nam amicus ille non debet referre gratias amico inuiſenti ipſum Romæ pro ſuſcepto labore itineris, vel ſumptibus in eo factis, ſed ſolùm quòd tali tẽpore venerit, & ſi quid ex illa dilatione incommodi paſſus eſt. Hoc enim ſolum ipſius cauſa factum eſt, ac proinde in beneficij loco ponendum. Pari modo non debebimus Deo quidquam quòd ſe exinaniuerit, & carnem noſtram aſſumpſerit, ſed quòd talem qualitatem in ea aſſumpſerit, & per illam nos redemerit. At hoc neque Scripturis, neque Patrum ſententijs, neque ſpiritui & ſenſui Sanctorum, neque fidelium conceptioni videtur conſentaneum.

Ratio Secunda.

SEcundò, quando intentio & finis operis eſt occultus, ex nulla re 8 meliùs deprehendi poteſt, quàm ex modo executionis: vt in omnibus operibus humanis conſtat. Fingere autem ſubeſſe alium finem primarium, qui non poſſit deprehendi ex rei executione, eſt diuinare in incertum. Atqui omnia quæ apparent in executione huius myſterij, indicant illud eſſe inſtitutum ad ſalutem hominum, & ad ſatisfactionem pro noſtris peccatis. ergo non eſt alius finis magis principalis.

Minor probatur Primò, ex ipſa natura aſſumpta. Cur enim aſſumpſit naturam humanam infimam planè & imperfectiſſimam potiùs quàm angelicam; niſi quia naturæ humanæ ſalus id requirebat, non angelicæ? Qua ratione vtitur Tertullianus libro de carne Chriſti.

Reſponſio. Dices, Non ſolùm natura ſpiritualis, ſed etiam corporea aſſumenda erat, vt ſic quodammodò totum vniuerſum ſecundùm rationem genericam videretur aſſumptum: in homine autem erat vtraque natura, non in Angelo. *Excluditur.* Reſpondeo, id quidem valere ad aliquam congruentiam rei, ſuppoſita cauſa alia primaria, cur natura humana eſſet aſſumenda. Hac tamen cauſa ſemota, illud eſt parui momenti ad humanam naturam angelicæ præferendam. Si enim aliqua natura creata primariò ob perfectionem vniuerſi & graduum eius aſſumenda erat; oportebat aſſumi perfectiſſimam, & ſupremi ordinis, vt fieret vnio inter extrema maximè conformia. Confirmatur; quia ſicut ordo gratiæ conſtitutus fuit ſecundùm ordinem naturæ (quò enim 9

per-

perfectior natura fuit, eò perfectior collata gratia, vt docet D. Thomas 1.p.q.62.a.6) ita ordo vnionis hypoſtaticæ debebat inſtitui in eo in quo perfectiſſima natura, & perfectiſſima gratia; hoc eſt, in ſupremo angelo. Rebus corporalibus nõ erat conueniens hęc vnio, tum quia non poſſunt eam cognoſcere, nec Deo gratias pro tanto dono agere: tum quia non ſunt propter ſeipſas, ſed ſolùm vt ſeruiant creaturę rationali, maximè homini; & ipſum corpus humanum vt ſit inſtrumentum animæ. Itaque ſi ſolùm vniuerſi quærebatur perfectio, iſta non debebant aſſumi.

Secundò, ex ipſa perſona aſſumente. Filius enim aſſumpſit, non Spiritus ſanctus: nimirum vt imago Patris increata repararet imaginem creatam, & Filius naturalis accerſeret Patri filios adoptiuos, vt ſancti Patres docent. Si perfectio vniuerſi ſpectabatur, debuiſſet potiùs Spiritus ſanctus, in quo ſiſtit proceſſus intrinſecus diuinitatis, vniri quàm Filius; idq; ſupremo angelo, qui eſt perfectiſſimum & primum opus Dei extrinſecum, ſiue naturam ſiue gratiam ſpectes. ſic enim extrema vnionis eſſent viciniora, & magis conformia.

Tertiò, ex tempore quo hoc myſterium peractum; nimirum cùm genus humanum iam planè eſſet perditum, mundus idololatria & omni peccatorum genere oppreſſus, & ſatis patefactum eſſet, nec per naturam, nec per legem à peccatis poſſe reſurgere. At ſi ob vniuerſi perfectionem fuiſſet inſtitutum, debuiſſet fieri ab initio mundi. Cur enim mundus tot millibus annorum relinqueretur deſtitutus primario ſuo gradu? cur ſuo capite & gubernatore, ei per ſe & ex prima ſui inſtitutione debito? Si enim ordo naturæ ſtatim ab initio fuit perfectus, ſimiliter & ordo gratiæ: cur non etiam ordo vnionis hypoſtaticæ, qui eſt præcipuus? Si dicas ordinem gratiæ non fuiſſe ab initio perfectum, quia non fuit data gloria in creatione; reſpondebo id ideò factum, quia oportebat gloriam parari meritis: vnde aliquantulùm dilata, donec eſſet meritum. Sed vnio hypoſtatica non cadit ſub meritum. Deinde angeli paulò poſt creationem gloriam ſunt conſecuti; ita vt ab initio mundi ordo gratiæ poſſit dici completus. At incarnatio per quatuor annorum millia dilata: & ita vniuerſum tanto tempore fuiſſet deſtitutum præcipua ſui parte, & ſuo capite, quod ipſi per ſe ad intrinſecam eius conſtitutionem & gubernationem erat debitum, & prædeſtinatum.

Quartò, ex angelorum beatitudine. Si Chriſti humanitas fuiſſet illis cauſa gratiæ, non debuiſſent ante illam conſummari per gloriã; ſed poſt: ſicut quia ipſa eſt cauſa ſalutis humanæ, nemo hominum

ante Chriſtum gloriam eſt conſecutus. alioquin ipſe non eſſet *primogenitus in multis fratribus*: ſed fratres eius vel potiùs ſerui ante ipſum nati eſſent completè & perfectè in filios Dei,& diuina hereditate fruerentur: quod non eſt conſentaneum.

Reſponſio. Dices homines non accipere cæleſtem hereditatem ante Chri- 11
ſtum, quia debitum illorum erat ſoluendum per Chriſti paſſionem; ſed pro angelis nullum debitum erat ſoluendum, cùm nihil deberét.

Refutatio. Reſpondeo: Etſi angeli nihil deberent quod ipſis eſſet depẽdendum, tamen ſi ipſi habuerunt gratiam ex meritis (vt altera opinio ſupponit) erat diuinæ iuſtitiæ veluti ſolutio exhibenda illorum operum & meritorum,quorum intuitu fuit illis gratia prærogata. Hæc ergo ſolutio erat debita iuſtitiæ. ergo ante illã exhibitam per Chriſtum,non oportebat illos gloriam accipere. Quare cùm tot millibus annorum illi fuerint beati, & omnino conſummati ante Chriſti aduentum, ſignum eſt eorum gratiam à meritis Chriſti non pepẽdiſſe, nec quidquam pro gratia illis collata iuſtitiæ diuinæ à Chriſto fuiſſe ſoluendũ. Confirmatur; quia ſi Chriſtus prædeſtinatus fuit in primo ſigno rationis, vt eſſet cauſa totius ordinis gratiæ in tota creatura rationali, debuit etiam venire ab initio mundi,& exhibere illud meritum,propter quod totus ille gratiæ ordo fuit præordinatus, & productus. Nam meritum debet eſſe prius reipſa temporis vel naturæ ordine, præmio. Mereri enim nihil eſt aliud quàm aliquid facere ratione cuius reddatur dignus præmio ſeu tali bono; ſiue hoc ipſi, ſiue alteri, in eius gratiam,commodum vel honorem, conferendum ſit. Itaque reipſa debet eſſe prius tamquam diſpoſitio, quàm præmij collatio. Quòd ſi ſit poſterius,iam non habet rationem meriti,& bonũ quod illius intuitu confertur non habet rationem mercedis vel præmij,ſed anticipatæ beneficentiæ; quam alter poſteà videns ſua cauſa factam, gratias agit, & pro ea ſolutionem exhibet. Vnde meritum quod eſt poſterius, potiùs habet rationem ſolutionis vel ſatisfactionis pro beneficio gratis anticipato, quàm meriti. Quare perſpicuũ eſt, ſi Chriſtus fuit prædeſtinatus vt mereretur ordinem gratię angelis & hominibus, ipſum debuiſſe venire planè initio mundi, & meritum illud prius natura exhibere,vt propter illius dignitatem totus ordo gratiæ produceretur. Cur enim Deus differret, quod ſic præordinarat? cur in primo illo opere vteretur diſpenſatione? Quod enim cõferendum eſt propter meritum, non poteſt niſi diſpenſatoriè & ex gratia anticipari. ſicut Sanctis veteris Teſtamenti anticipata eſt iuſtificatio ante Chriſti meritum exhibitum, per gratuitam Dei diſpenſationem, ne omnes

omnes perirent. Confirmantur hæc omnia: quia ſi angelis eſt collata gratia intuitu meritorum Chriſti, quæ fuerunt illa merita, & in quibus operibus conſtituta? An fortè Chriſtus pro illis crucifixus eſt, & mortem ſuſcepit? Hoc enim eſt præcipuum opus, quod in Scripturis commendatur, & complementum totius meriti. Sed hoc nullo modo dici poteſt: quia Dominus non effudit ſanguinem pro angelis, ſed pro peccatoribus, iuxta illud Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Si dicas fuiſſe aliquem actum dilectionis Dei, vel gratiarum actionis: quando illum præſtitit? præſertim cùm tota vita Domini ſit veluti vnum continuum meritum, quod ipſa paſſione conſummatur. Hæc omnia ſunt ſatis aperta ſigna, ipſum ſolùm noſtra cauſa veniſſe, & angelos ex eius meritis gratiam non accepiſſe.

Quintò, ex omnibus circumſtantijs aduentus; vt quòd in carne paſſibili, quòd in paupertate & humilitate, &c.

Tertia Ratio.

12 TErtiò probatur: Si erat venturus in ſtatu innocentiæ, quali carne erat venturus; glorioſa, an non glorioſa, qualẽ habuit Adam? Si glorioſa, quomodo potuiſſet naſci & creſcere? Caro enim glorioſa eſt impatibilis. Si non glorioſa, cur gloria fuiſſet dilata; cùm ea non fuerit differenda niſi vt poſſet pati & ſubire mortem, vt ſancti Patres docent? Rurſus, verſatus fuiſſet inter homines in terris, an inter angelos in cælis? Si dicas inter homines; id non videtur conueniens, cùm iam eſſet beatus; nec homines egerent inſtructione & exemplo vt in ſtatu naturæ lapſæ. Si inter angelos, non debuiſſet aſſumere naturam humanam, ſed angelicam. Cur enim aſſumeret humanam, numquam inter homines humano more acturus?

Quarta Ratio.

13 QVartò: Pręcipua ratio qua auctores alterius ſententiæ moti fuere, videtur peti ex ipſa myſterij excellentia, ratione cuius ipſum per ſe fuerit expetendum. at hoc fundamentum non videtur verum: vnde ex contrario fundamento colligimus contrarium. Cùm enim includat humiliationem & exinanitionem Diuinitatis, vt Apoſtolus loquitur, nullo modo fuit per ſe expetendum, aut vt vniuerſum omnibus rerum gradibus conſtaret; ſed ſolùm ob aliam cauſam extrin-

ſecam maioris momenti, cui alia ratione conſuli non poterat. Nec obſtat quòd hac ratione natura humana ad infinitam euehatur excellentiam; quia etſi adferat ſummam excellentiam humanitati, per ſe minùs decere videtur Diuinitatem. imò videtur fieri cum quadam (vt ſic dicam) iniuria illius Maieſtatis. Per ſe enim indecorum videtur, vt Creator fiat creatura, & Dominus fiat ſeruus. ſicut ſi Rex aſſumeret habitum & officium ruſtici aut mancipij, & demitteret ſe ad illorum conſuetudinem, nobilitaretur quidem ruſticorum & mancipiorum ordo; id tamen non erat Regi per ſe expetendum: quia cedit in quamdam iniuriam Regię maieſtatis & auctoritatis. Similiter ſi copularet ſibi ſeruam aut mendicam in vxorem, eamque efficeret Reginam & regni ſociam; illa quidem mirificè extolleretur, hæc tamen illius excellentia non erat per ſe Regi appetenda, ſed ſolùm ob cauſam intrinſecam maioris momenti, cui alia ratione non poterat ſubueniri: vt ſi regnum, vel pars aliqua regni ſalua eſſe aliter non poterat. quo caſu id eſſet maximè laudabile, & ſummopere Regis illius amorem in ſuos, & miſericordiam commendaret. Simili modo cùm Deus genus humanum peccato perditum, per infinitam ſuam miſericordiam ſtatuiſſet ſaluare, neque id perfecto modo fieri poſſet, niſi ipſe carnem aſſumeret (aliter enim condigna ſatisfactio pro peccato exhiberi non poterat) ſtatuit vt Filius naturam noſtram indueret, & nos redimeret. Itaque dilectio illa qua Deus mundum dilexit, & voluit perfectiſſimo modo redimere, cauſa fuit huius myſterij: quòd ipſe Dominus ſignificat Ioan. 3. cùm ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum nō pereat, ſed habeat vitam æternam. non enim Deus miſit Filium, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Sententiam diuiniſſimam ſemper animo voluendam! Non poterat magis oſtendere vel charitatem ſuam & miſericordiam, vel iuſtitiam & ſeueritatem, vel peccati magnitudinem & malignitatem.

Denique hoc opus non pertinet propriè ad perfectionem vniuerſi 14
creati, neque gradus vnionis hypoſtaticæ computandus eſt inter ordines & claſſes rerum creatarum: ſed vel eſt quid ſublimius, ſupra & extra omnes rerum ordines; vel eſt quid imperfectum, & non conſtituit vllum gradū perfectionis. Ratio eſt, quia vel vnio illa conſideratur ſecundùm ſe, vt eſt quædam creata perfectio, non inuoluens ipſam diuinitatem. & ſic non eſt magna perfectio, ſed modus quidam vel reſpectus naturæ creatæ ſupernaturaliter communicatus. Modi autem & reſpectus ſunt paruæ admodū entitatis, nec poſſunt

per

per ſe aliquem gradum rerum conſtituere; quia non differunt realiter à rebus quibus inſunt, ſed ſunt ipſa res certo modo ſe habens vel abſolutè & ad ſe, vel in ordine ad aliud. Vel conſideratur vt inuoluit ipſam Diuinitatem, & perſonam diuinam: quatenus nimirum eſt inexiſtentia quædam in verbo, tamquam in hypoſtaſi; & ſic non pertinet ad gradus rerum creatarum, ſed eſt ordinis diuini. Vniones enim rerum pertinent ad ordinem rerum, quarum ſunt vniones. Itaque vniuerſum creatum non requirebat huiuſmodi gradum ad ſui completam perfectionem, ſiue phyſicam, ſiue moralem. Confirmatur à ſimili; Si pictor velit perfectiſſimam ſui vultus imaginem depingere, illud opus, vt ſit omnino perfectum, non requirit vt pictor figuram vultus ſui eamdem numero tabulæ imprimat, aut vt tabula iiſdem lineamentis & coloribus ſplendeat, quibus vultus pictoris. Similiter ad complementum regni, vt ſit omnino perfectum, non requiritur vt filius regis habitum ruſticum aut ſeruilem aſſumat: ſed vt conſtet omnibus ordinibus qui regia maieſtate ſunt inferiores, & vt ſinguli in ſuo gradu ſint optimè conſtituti. Pari modo ad perfectionem Vniuerſi, quod eſt opus quoddam creatum, omnibus creatarum rerum gradibus conſtans, hæc vnio nullo modo pertinebat.

Ex his ſatis probatum videtur, hoc myſterium propter ſalutem noſtram primariò prædeſtinatum; adeò vt ſi nos non eguiſſemus redimi, non fuerit inſtituendum: ac proinde poſt præuiſum lapſum. quamuis multa alia commoda ex eo, & dignitas quædam moralis in omnes rerum ordines redundarit: fueritque, ſuppoſita illa cauſa, diuinæ ſapientiæ, potentiæ, bonitati, miſericordiæ & iuſtitiæ maximè conſentaneum.

SECTIO II.

Argumenta ſententiæ diuerſæ, & Reſponſio ad illa.

15 SEQVITVR nunc vt argumenta, quibus diuerſa ſententia probari conſueuit, diſſoluamus. Primum eſt ex cap. 8. Prouerbiorum: ***Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret,*** &c. Hîc LXX. verterunt: ***Dominus creauit me in initium viarum ſuarum.*** & ita legunt paſſim Græci Patres. Ex hoc loco ſic ratiocinantur. Sapientia incarnata, de ſe hîc loquens, dicit ſe creatam ante

ante cælum & terram, vt Patres Græci paſſim exponunt. Atqui hoc non poteſt intelligi de creatione temporali per executionem; nam ſic Sapientia incarnata eſt multò poſterior; ſed de creatione æterna in prædeſtinatione, vt iidem Patres docent: vt ſenſus ſit; Dominus prædeſtinauit me in initio viarum ſuarum, &c. Rurſus cùm dicitur prædeſtinata ante creationem cæli & terræ, nō ſignificatur tantùm temporalis creatio cæli & terræ (ſic enim omnia quæ Deus fecit, ſunt prędeſtinata & creata in prædeſtinatione ante creationem cæli & terræ: ac proinde nihil peculiare de Sapientia incarnata diceretur) ſed indicatur creatio cæli & terræ in prædeſtinatione; vt Sapientia incarnata (id eſt, Chriſtus Dominus) dicatur creata ſecundùm naturam humaná in prędeſtinatione diuina ante creationem cæli & terrę factam pariter in prędeſtinatione diuina, ac proinde ante præuiſum peccatū. Quod ſi ita eſt; ergo Chriſtus erat ex vi huius prædeſtinationis venturus, etiamſi Adam non peccaſſet. illa enim prædeſtinatio erat abſoluta & efficax. Mirabilis planè ratiocinatio.

Secundum ex cap. 17. Ioannis: *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priuſquam mundus fieret.* Hîc Dominus petit ſibi conferri gloriam quam habuit ante mundum conditum. atqui non petit gloriam diuinitatis, cùm hac numquam caruerit: ergo humanitatis, quam habuit in diuina prædeſtinatione ante mundum cōditum: *conditum*, inquam, non ſolùm exteriùs in executione (id enim nihil peculiare haberet, cùm omnium Sanctorum gloria fuerit ſic ante mundum conditum prædeſtinata) ſed etiam interiùs in mente diuina per prædeſtinationem. 16

Tertium ex cap. 1. ad Coloſſenſes, vbi Chriſtus dicitur *primogenitus omnis creaturæ.* quod intelligendum eſt ſecundùm humanitatem. atqui ſecundùm humanitatem nō poteſt dici *primogenitus omnis creaturæ*, niſi ratione prædeſtinationis, quatenus nimirum ante omnem creaturá eſt prædeſtinatus. ergo prædeſtinatus eſt ante præuiſum peccatum; & conſequenter erat venturus, etiamſi peccatum non exſtitiſſet. Quòd autem locus ille intelligendus ſit de Chriſto ſecundùm humanitatem ſpectato, probatur ex Concil. Sardicenſi, epiſtola ad omnes fideles; vbi *Chriſtus vt Verbum dicitur vnigenitus, vt homo primogenitus.* quam expoſitionem ſequuntur multi Patres, Chryſoſtomus, Hieronymus, Anſelmus. item Gloſſa in illū locum. Rurſus Apoſtolus probat Chriſtum eſſe primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant: & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. vbi 17

apertè

apertè loquitur de Chriſto ſecundùm humanitatem. Senſus ergo iſtorum verborum eſt, quòd *in ipſo*, id eſt, propter ipſius humanitatem, *condita ſunt vniuerſa*; & humanitas eius *ſit ante omnes* in mente diuina & prædeſtinatione; *& omnia propter ipſam conſtent* & conſeruentur.

18 Quartum, ex cap. 2. ad Hebræos: *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per mortem conſummari.* Hîc omnia dicuntur eſſe propter Chriſtum: & eſt ſermo de Chriſto quatenus eſt homo, & poterat mori. ergo omnia condita ſunt propter Chriſti humanitatem. Hæc ſunt præcipua, quæ ex ſacra Scriptura pro illa ſententia adducuntur; ex quorum ſolutione apparebit, quàm parum ſolidi habeat.

Solutio argumentorum ex S. Scriptura petitorum.

19 AD primum: Locus ille Prouerb. 8. tripliciter explicari poteſt. Primò, de ſapientia in genere per proſopopœiam. Secundò, de Chriſto ſecundùm diuinitatem. Tertiò, de Chriſto ſecundùm humanitatem. Prima & ſecunda expoſitio nihil omnino fauet illi ſententiæ, vt per ſe conſtat: ſed neque tertia. Quia etſi multi Patres propter verſionem LXX. & vt commodiùs reſponderent Arrianis (qui ex eo loco volebant confirmare ſuum errorem, Chriſtum ſecundùm naturam diuinam eſſe creaturam) expoſuerint de Chriſto ſecũdùm humanitatem creato in prædeſtinatione diuina, tamen non volunt hanc creationem eſſe priorem in mente diuina, quàm præordinationem cæli & terrę: neque docent hîc inter ſe comparari iſtos actus diuinæ mentis, aut obiecta illorum, quatenus iſtis actibus ſubſtant, in ratione prioris & poſterioris. Numquam hæc ſubtilitas illis in mentem venit: ſed dicunt fieri comparationem inter prædeſtinationem Chriſti, & temporalem creationem cæli & terræ; quòd illa ſit longè antiquior (vtpote æterna) quàm cæli & terræ creatio. Neque inde ſequitur nihil peculiare dici de ſapientia incarnata: quia etſi omnia ab æterno ſint prædeſtinata, tamen Scriptura non ſolet alicui in particulari hoc tribuere, niſi ad ſignificandum ſingularem Dei amorem, curam, & prouidentiam circa illum. Sic Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* 1. ad Corinth. 2. *Loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula.* Vbi Apoſtolus non ſolùm myſterium incarnationis, ſed etiam paſſionis,

Expenditur locus Prouerb. 8.

crucis, mortis, reſurrectionis, & totam ſalutis noſtræ œconomiam dicit ante ſæcula prædeſtinatam. 2. ad Timoth. 1. *Qui liberauit nos ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſæcularia.* His & alijs locis ſolùm vult ſignificare iſta ante mundum reipſa conditum, hoc eſt, ab æterno, Deo fuiſſe curæ, & ab ipſo fuiſſe præordinata; non autem ante prędeſtinationem ipſius mundi. Nam certum eſt myſterium crucis, & noſtram liberationem non fuiſſe prædeſtinatam ante prædeſtinationem mundi.

Quòd autem in illo loco Prouerb. ſit ſermo de externa cæli & terræ molitione, non de interna in mente diuina, euidens eſt ex ijs quæ ibi ſequuntur: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole conſtiterant,* &c. *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.* Item: *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies,* &c. Quibus verbis apertiſſimè ſignificatur creaturarum ex nihilo ad eſſe productio; vt ait Cyrillus lib. 5. Theſauri cap. 8. Quis enim ita de obiectis, vt in diuina mente concipiuntur & exiſtunt, loquatur? ex quibus conſtat hanc Patrum expoſitionem nihil illam ſentētiam iuuare. Addo nec ipſam videri multùm conformem Scripturæ. Quo modo enim Chriſti humanitas, ſolùm in mente diuina & conceptione propoſitoque diuino obiectiuè exiſtens, *cum eo erat cuncta componens,* & digerens in prima rerum creatione? aut quomodo *delectabatur per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum?* &c. Hæc enim non conueniunt niſi rei iam verè exiſtenti extra ſuas cauſas. Itaque ſermo ibi eſt de Chriſto ſecundùm diuinitatem, qui & eſt ſapientia Dei, & ſecunda perſona diuinitatis, per quem condita, formata, diſtincta, & conſtituta ſunt omnia. Huic propriè omnia illa conueniunt, partim vt ſapientia eſt, partim vt perſona ſubſiſtens & intelligens. Nec mouere quemquam debet verbum *creauit,* Græcè ἔκτισε, quo vſi ſunt LXX. & multos Patres compulit ad extortam illam expoſitionem excogitandam: quia in Hebræo non eſt ברא *creauit*, ſed קנה *poſſedit*, vt rectè notauit Hieronymus epiſt. ad Cyprianum presbyterum, quæ eſt 136. addens: *Inter poſſeſſionem & creationem multa eſt diuerſitas; poſſeſſio ſignificat, quòd ſemper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. creatio autem eius qui priùs non erat, conditionis exordium.* Hæc ille. Itaque vult diuus Hieronymus hîc ſignari vnionem naturalē inter Patrem & Filium, & mutuam συμπεριχώρησιν, vt Damaſcenus loquitur. vel certè ſignatur

tur hoc verbo æterna Filij generatio. nam ſignificat etiam acquirere aliquid, ſiue per generationem, ſiue alio modo. Sic Geneſis 4. Eua cùm genuiſſet Cain, dixit, *Poßedi hominem per Deum*, קניתי, id eſt, acquiſiui, genui filium, diuino munere. vnde illum vocauit Cain. Actor. 1. *Poſſedit agrũ de mercede iniquitatis*, acquiſiuit, emit. Luc. 21. *In patientia veſtra poßidebitis animas veſtras*, id eſt, acquiretis ſalutem animarum veſtrarum. Itaq. *poßidere* phraſi Hebræa, ſæpè idem eſt quod acquirere. Senſus igitur eſt; Dominus *poſſedit*, id eſt, generauit, acquiſiuit me in Filium æterna generatione, *in initio*, vel (vt habent Hebræa) *initium viarum ſuarum*; id eſt, vt ſim initium & principium omnium operum eius: vt omnia per me operetur. quo inſinuatur non finis, ſed conſecutio. Idem ſignificatur Eccleſiaſtici 24. *Ego ex ore Altißimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, &c. quo capite diuerſis verbis repetuntur à Ieſu filio Sirach eadem quæ Salomon cap. 8. dixerat.

Quod ad verſionem LXX. attinet, ea defendi poteſt ſeruato eodem ſenſu, ſi dicamus verba *κτίζω* & *creo* interdum latè ſumi, vt ad omnem productionem ſe extendant. quo ſenſu cap. 24. Eccleſiaſtici à Sapientia diuina dicitur: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*, id eſt, generata. Fortaſſe LXX. loco illo Prouerbiorum non verterunt ἔκτισε, *creauit*; ſed ἔκτησε, id eſt, *poſſedit*. hoc enim reſpondet Hebraico verbo, & verſioni noſtræ; & facile fuit errore ſcriptorum mutari *η* in *ι*. Idem potuit eueniſſe in prædicto loco Eccleſiaſtici, vt ἐκτίσθην ſcriptum ſit pro ἐκτήθην, *creata ſum*, pro *poſſeſſa, acquiſita ſum*.

20 Ad ſecundum: Dominus ibi petit clarificari claritate diuinitatis non in ſe, ſed in hominibus: hoc eſt, vt gloria diuinitatis qua ab æterno clarus fuerat apud Patrem, manifeſtaretur hominibus, vt ab omnibus etiam in natura humana agnoſceretur & coleretur vt Deus: iuxta illud Apoſtoli; *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. nempe eadem gloria fulgens. Ita Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, & alij. Deinde etiamſi conſideremus ibi peti gloriam corporis ab æterno præparatam, non tamen idcircò dicendum eam eſſe præparatam ante prædeſtinationem mundi, vt ex ſupradictis conſtat. Nuſquam enim Scriptura per *conſtitutionem, creationem*, aut *ortum mundi*, intelligit conſtitutionem mundi in mente diuina.

Ad locum Ioan. 17.

21 Ad tertium: Non dicitur ibi Chriſtus *primogenitus omnis creaturæ*, quaſi

Explicatur locus ad Coloſſen. 1.

quaſi præordinatus in mente diuina ſecundùm humanitatem ante creaturarum omnium præordinationem: id enim impropriiſſimè diceretur: nec vlli Patrum in mentem venit. Probat enim Apoſtolus illum eſſe *primogenitum omnis creaturæ:* quia *omnia in ipſo, & per ipſum creata ſunt; & omnia in ipſo conſtanti*, id eſt, conſeruantur. At quomodo omnia ſunt creata, & conſeruantur per humanitatẽ Chriſti in mente diuina dumtaxat obiectiuè exiſtentem? Itaque illa verba intelligenda de Chriſto ſecundùm diuinitatẽ. Volens enim Apoſtolus explicare excellentiam illius per quẽ reconciliati ſumus, oſtendit quantus ſit & ſecundùm diuinitatem & ſecundùm humanitatem. Secundùm enim diuinitatem eſt *imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ*; id eſt, ante omnem creaturam; iuxta illud Eccleſiaſtici 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnẽ creaturam.* Eſſe ante omnem creaturam genitum probat, quia omnis creatura per ipſum (tãquam artem & ſapientiam Patris) & in ipſo (veluti primo fundamento, & ſede conſeruatrice) facta eſt: & in ipſo conſiſtit & conſeruatur. vnde neceſſe eſt ipſum eſſe ante omnem creaturam. Secundùm humanitatem autem, *ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium* (reſurrectionis) *primogenitus ex mortuis; vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*, hoc eſt, vt ipſe ſit primus, & ante omnes, tum in geneſi rerum, tum in palingeneſia. nam diuinitate eſt ante ortum rerum, & principium ortus: humanitate eſt ante regenerationem, & auctor regenerationis tum corporalis tum ſpiritualis. Hæc eſt mẽs Apoſtoli. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus in hunc locum; Baſilius lib. 4. contra Eunomium, & alij.

Nec refert quòd aliqui ob vocem *primogenitus*, qua videtur ſignificari ordo plurium filiorum, explicuerint hoc de Chriſto ſecundùm humanitatem. quia non loquuntur de prædeſtinatione Chriſti ante omnem creaturam, aut creaturæ præordinationem; ſed de prælatione in dilectione & honore. Sic Anſelmus in hunc locum: *Sicut primogenitus omnium fratrum dignitatis obtinet primatum, ita Chriſti humanitas primatum obtinet inter omnes creaturas.* Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 3. dicit vocari *primogenitum omnis creaturæ ſecundùm humanitatem; quia omnes homines per ipſum dignitatem filiorum conſecuti ſunt.* Commentarius qui inſcriptus Hieronymo: *Dicitur primogenitus omnis creaturæ ſecundùm aſſumpti hominis formam, non tempore, ſed honore; iuxta illud, Filius meus primogenitus Iſraël.* Concilium Sardicenſe non facit ad propoſitum: quia ſolùm dicit, *Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe primogenitum ex mortuis.* Longè

enim

enim aliud eſt *eſſe primogenitum omnis creaturæ*; aliud *eſſe primogenitum ex mortuis*. Illud enim conuenit Chriſto ſecundùm diuinitatem; hoc ſecundùm humanitatem. Aduerte tamen non vocari *primogenitum* omnis creaturæ, quaſi creaturam habeat ſororem, aut quod poſt ipſum ſequatur alius filius; quia *primogenitus* more Hebræo dicitur qui eſt primus, ſiue poſt ipſum ſequantur alij, ſiue non; vt patet ex illo Luc. 2. *Peperit filium ſuum primogenitum*. ita Baſilius, Chryſoſtomus, & Theodoretus ſuprà. *Primogenitus quis dicatur.*

22 Ad quartum: *Is propter quem omnia*, eo loco eſt Pater, non autem Filius ſecundùm humanam naturam. Primò, quia Apoſtolus ait, *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia*; quod non competit in Chriſtum ſecundùm naturam humanam. quia ſic non eſt per quem omnia, id eſt, omnium creator, & prima cauſa efficiens. Secundò, quia de illo dicitur, *Qui multos filios in gloriam adduxerat*; nimirum Sanctos omnes qui Chriſtum anteceſſere. his enim gloria iam erat debita. at Chriſtus non vocat iuſtos *filios* ſed *fratres*, vt verſu ſequenti dicitur, *Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare*, &c. Tertiò, quia in Græcis exemplaribus non eſt τελειῶσθαι *conſummari*, ſed τελειῶσαι *conſummare*: quo modo etiam habent emendatiora Latina; vnde eſt ſermo de Patre: qui ſicut Sanctos priores adduxerat ad gloriam per tribulationes; ita quoque Filium, quem auctorem ſalutis omnium conſtituit, per paſſiones *conſummare*, hoc eſt, ad gloriam adducere debebat. Nec obſtat quòd aliqui, vt Anſelmus, legerint *conſummari*, & *eum propter quem omnia* velint eſſe Chriſtum; quia id tribuunt Chriſto ſecundùm diuinam, non ſecundùm humanam naturam.

Argumenta ex Patribus, & Reſponſio ad illa.

23 EXplicatis teſtimonijs S. Scripturæ, in quibus ſanè nihil eſt præſidij, videamus quid adferant ex Patribus. Omiſſis ceteris quæ faciliora ſunt, adducam tria loca quę videntur difficiliora. Primus eſt ex Irenæo lib. 3. c. 33. in principio. vbi cùm dixiſſet, Adamum dictum eſſe à Paulo typum futuri, hoc eſt Chriſti, qui eſt ſecundus Adam; addit rationem: *Quoniam*, inquit, *futuram circa Filium Dei humani generis diſpoſitionem, in ſemetipſum fabricator omnium Verbum præformauerat, prædeſtinante Deo primum hominem animalem, videlicet vt à ſpiritali ſaluaretur. Cùm enim præexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſaluaretur fieri, vti nõ vacuum ſit ſaluans*. Hinc inferunt Chri-

ſtum in prædeſtinatione diuina extitiſſe ante homines ſaluandos.

Secundò, ex Auguſtino lib. 1. de nuptijs & concupiſc. cap. 21. vbi ait; *Coniugium etiam in ſtatu innocentiæ, ſi homo non peccaſſet, futurum ſacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia.* Vnde ſequitur etiam rem ſignatam, id eſt hanc coniunctionem, futuram fuiſſe Adamo non peccante.

Tertiò, ex Cyrillo lib. 5. Theſauri cap. 8. vbi dicit *Chriſtum ante nos præfundatum* (id eſt, tamquam fundamentum ſalutis humanæ ab æterno conſtitutum) *vt in ipſo omnes ſaluemur.*

Reſponſio. Ad primum reſpondeo, Irenæum eo loco non velle dicere Chriſtum priùs prædeſtinatum eſſe Saluatorem quàm preordinati eſſent homines qui ſaluarentur; quia certum eſt Chriſtum non eſſe prædeſtinatum ad munus Saluatoris, niſi ſuppoſitis ſaluandis. Neque loquitur Irenæus de præexiſtentia ſaluantis in prædeſtinatione, ſed in reipſa, vt ex ipſis verbis conſtat. Senſus ergo eſt; Cùm præexiſtat ſaluans, nempe Verbum diuinum formator omnium, oportebat, id eſt conueniens erat, vt fieret homo animalis, qui ad ſalutem adduceretur, ne fruſtrà nomen & proprietas ſaluantis in Deum conuenire videretur. Vide cap. 20. & 22. eiuſdem libri. 24

Ad ſecundum reſponderi poteſt, quòd duplex ſit coniunctio Chriſti cum Eccleſia, nimirum coniunctio carnis, interuentu vnionis hypoſtaticę, & coniunctio ſpiritalis per fidem & charitatem. vtriuſque vnionis matrimonium modò eſt Sacramentum, id eſt, ſacrum & arcanum ſignum. In ſtatu innocentiæ ſolùm fuiſſet Sacramẽtum coniunctionis ſpiritalis per fidem & charitatem, non carnalis per vnionem hypoſtaticam. Neque hoc mirum eſt, cùm hoc ſignum non ſit naturale, ſed ex inſtitutione diuina ſignificans. Vnde pro varietate ſtatus & voluntate diuina poteſt plura vel pauciora ſignificare. Imò propriè non fuit ſignum vnionis hypoſtaticæ, niſi poſtquam in Domino ad excellentiam Sacramenti nouæ Legis eſt euectum. Hæc enim ſignificatio eſt fundamentum illius euectionis. Vnde anteà poterat aliquo modo ſolui, poſteà non potuit; quia vnio charitatis eſt ſolubilis, vnio hypoſtatica inſolubilis.

Addo D. Auguſtinum illo loco non dicere, coniugium in ſtatu innocentię, ſi homo non peccaſſet, futurũ fuiſſe Sacramentum vnionis Chriſti & Eccleſiæ, ſicut in argumẽto aſſumitur; ſed ſolùm dicit matrimonium ante peccatum fuiſſe Sacramentum: *Quia,* inquit, *ante peccatum de eo dictum eſt in paradiſo, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. quod magnum*

Sacra-

Sacramentum dicit Apoſtolus in Chriſto & Eccleſia. quod ergo eſt in Chriſto & Eccleſia magnum, hoc in ſingulis quibuſque viris atque vxoribus minimum, ſed tamen coniunctionis inſeparabile Sacramentum. Ex quibus ſolùm habemus, ante peccatum in illis verbis Adami, & in ipſo Adami & Euæ coniugio latuiſſe magnum myſterium, nimirum vnionis Chriſti & Eccleſiæ: non tamen ſequitur, quòd hoc myſterium in illis latuiſſet, etiamſi peccatum non fuiſſet futurum. Sicut enim Deus ex præuiſione peccati futuri ab æterno multa præordinauit, quæ alioquin non præordinaſſet: ita potuit ea ante euentum peccati verbis & factis præſignare, quæ tamen nullo modo pręſignaſſet, niſi peccatum eſſet futurum; & ita talis ſignificatio myſtica non fuiſſet. Sic ergo ante peccatum fuit quidem illa myſtica ſignificatio ex impoſitione & deſignatione diuinæ ſapientiæ in dictis & factis Adami, quæ tamen non fuiſſet, ſi peccatum non fuiſſet futurum. quare hoc euentu coniugium non fuiſſet Sacramentũ vnionis Chriſti & Eccleſiæ, ſed ſolùm inſeparabilis coniunctionis viri & feminæ, quod ſanè eſt minimum Sacramentum, vt inquit Auguſtinus, ac planè naturale, vel vt ſummùm vnionis Dei & animæ, quod eſt Sacramentum morale; de quo tamen nihil dicit.

Ad tertium: Cyrillus eo loco apertè ſtat à nobis. Explicans enim locum illum Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me*, &c. legit ex verſione LXX. *Dominus fundauit me initium viarũ ſuarum ad opera ſua.* nam κτίζειν etiam *fundare* ſignificat. & ſenſum dicit eſſe; Dominus fecit me Chriſtum fundamentum ſalutis humanæ, cui per fidem homines debent ſuperædificari. Deinde quærit Cyrillus quo modo Deus fecerit Chriſtum fundamentum ab æterno, vt ipſe de ſe dicit; *Ab æterno ordinata ſum*, &c. cùm incarnatio factà ſit in tempore? Reſpondet; quia Deus, præuiſo peccato ab æterno, conſtituit illum facere fundamentum. Vbi apertè indicat Chriſti incarnationem non eſſe præordinatam ante præuiſum peccatum: ſed peccatum eſſe cauſam ſeu occaſionem illius æternę præordinationis. Dicit autem *Chriſtum ante nos præfundatum*, id eſt, ante nos conditos prædeſtinatum ſalutis noſtræ fundamentum; non tamen ante præuiſum peccatum, vel ante homines præordinatos in mente diuina.

Argu-

Argumenta ex ratione petita.

PRimum argumentum : Adamo fuit reuelatum iſtud myſterium in ſtatu innocentiæ, vt docet Hieronymus in cap. 5 ad Epheſios: Auguſtinus lib. 9. de Geneſi, cap. vltimo. vbi vult ſoporem illum quem Deus immiſit in Adam Geneſis 2. fuiſſe contemplationem vſque ad extaſim ſpiritalem, in qua cognouerit myſterium incarnationis futurum. Proſper de promiſſionibus & prædictionibus Dei, p. 1. c. 1. Bernardus ſerm. 2. de Septuageſima, D. Thomas 2. 2. q. 2. ar. 7. hinc inferunt, hoc myſterium fuiſſe præordinatum ante præuiſum peccatum. Conſequentia probatur; tum quia ante præuiſum peccatum fuit præuiſa extaſis Adæ, & reuelatio quam habuit in illa extaſi; ac proinde in eo ſigno iam erat præordinata incarnatio: tum quia Chriſtus ei tunc fuit propoſitus vt fons gratiæ, & principium ſalutis. Nulla enim videtur eſſe ratio iſtius reuelationis, niſi vt agnoſceret illum auctorem ſalutis, & crederet in illum; ac proinde in ſtatu innocentiæ omnis gratia erat ex meritis Chriſti, & Chriſtus eo ſtatu perſeuerante erat venturus. 25

Simili modo ratiocinantur de angelis. His enim fuit reuelatum hoc myſterium in via. ergo Chriſtus fuit illis propoſitus vt auctor ſalutis illorum, in quem deberent credere. Hæc enim ſola poterat eſſe ratio talis reuelationis. ergo erat venturus etiamſi non ſecutum fuiſſet peccatum.

Secundum argumentum : Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris & quodammodò finalis prædeſtinationis omnium hominum; vt colligitur ex cap. 8. ad Rom. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Sed prædeſtinatio hominum, ſaltem Adami, facta eſt ante præuiſionem peccati. ergo & Chriſtus ante peccatum præuiſum eſt prædeſtinatus.

Tertium : Gloria animæ Chriſti eſt maioris dignitatis, magiſque Deo dilecta, quàm gloria omnium angelorum & hominum ſimul iuncta; vt ſentit D. Thomas 1. p. q. 20. a. 4. ad 1. ergo veriſimile eſt hanc gloriam per ſe magis eſſe volitam, quàm gloriam angelorum & hominum : imò ob Chriſti gloriam cetera potiùs eſſe à Deo volita & prædeſtinata, quàm hanc propter homines. Confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicit *cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam Dei & Chriſti, ac vitam æternam.* atqui cauſa finalis priùs eſt volita quàm medium quod ad finem deſtinatur. nec

ipſa eſt volita propter medium, ſed medium eſt volitum propter illam: ergo Chriſtus non eſt prædeſtinatus propter noſtram iuſtificationem.

Quartum: Ordinatè volens primò vult finem, deinde id quod fini eſt propinquius, & ſic deinceps. atqui finis quem vult Deus in creaturis eſt communicatio & oſtenſio ſuæ bonitatis, cui fini propinquius medium eſt incarnatio. nam in hac maximè communicat & oſtendit ſuam bonitatem. ergo hæc debebat eſſe volita ante omnia alia media. Confirmatur; quia incarnatio eſt melius bonum & amabilius quàm cetera omnia ſimul iuncta. ergo non decebat diuinam ſapientiam, illud non propter ſe, ſed ſolùm ob res inferiores, hominum, inquam, ſalutem, & occaſione peccati velle. Sic enim ſolùm eſſet ex occaſione introductum, quaſi bonum occaſionatum, & per accidens.

Quintum: Non minùs decuit vt homines & angeli haberent meritum perfectæ iuſtitiæ, quàm vt homines haberent ſatisfactionem perfectæ iuſtitiæ. Atqui Chriſtus venit vt noſtra ſatisfactio eſſet perfectæ iuſtitiæ, & æqualis offenſioni. ergo etiam veniſſet, vt merita ſimilem perfectionem haberent. Perfectius enim eſt aſſequi gloriam ex meritis iuſtitiæ perfectæ, quàm imperfectæ.

Sextum: Hæc ſententia videtur magis extollere gloriam Chriſti. facit enim ipſum caput angelorum & hominum, ex cuius meritis etiam angeli gratiam & gloriam ſint conſecuti: facit ipſum primum in ordine omnium prædeſtinatorum: facit vniuerſum conſtare omnibus rerum gradibus: & Deum perfectiſſimo modo communicari creaturæ: denique ponit perfectiſſimum modum conſequendi gratiam & gloriam in hominibus & angelis. Hæ ſunt præcipuæ rationes illius opinationis. Sed parum in hac cauſa valent rationes ingenioſè excogitatæ, vbi tam parum ex Scripturis aut Patribus fundamenti ſubeſt. quæ enim ex ſola Dei voluntate ſupra omnem creatæ naturæ conditionem pendent, non poſſunt nobis niſi per reuelationem diuinam innoteſcere, vt rectè D. Thomas ait. Et ſanè res eſt adeò mirabilis & ſublimis, vt ſi vera eſſet, nemo eam deberet ignorare. Cur enim Deus tantam rem vellet manere abſconditam? Sed non eſt difficile ad rationes iſtas reſpondere.

Reſponſio ad Argumenta ex ratione.

AD primum reſpondeo, Adamo non explicitè ſed valdè implicitè hoc myſterium fuiſſe reuelatum; ſi tamen dicendum eſt fuiſſe reuelatum. Etſi enim verba illa, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea,* &c. diuino ſpiritu motus protulerit, iiſque ſignificatum fuerit myſterium Chriſti & Eccleſiæ; non tamen neceſſe eſt Adamum hoc diſtinctè intellexiſſe: ſed ſufficit intellexiſſe & credidiſſe, magnum myſterium in formatione Euæ ex latere ipſius facta contineri, quo ſingularis dilectio & coniunctio inter Deum & homines præſignaretur. 26

Adam non diſtinctè intellexit hoc myſterium.

Primò, quia hæc ſignificatio eſt allegorica. Primus enim Adam ſignificabat ſecundum, Chriſtum; animalis ſpiritalem, terrenus cæleſtem: quia Adam typus futuri, vt inquit Apoſtolus. Eua ſignabat Eccleſiam: ſopor Adami mortem Chriſti in cruce: formatio Euæ ex coſta Adami dormientis, formationem Eccleſiæ ex latere Chriſti dormientis. Derelictio patris & matris deſignat deſcenſum Chriſti è cælo in terras, quo Deum Patrem & cæleſtem Ieruſalem matrem ſuam (teſte Hieronymo) vel ſynagogam (vt alij volunt) deſeruit: adhæſio vxoris, amorem Chriſti erga Eccleſiam: coniunctio duorum in carnem vnam, vnionem hypoſtaticam, & naturæ noſtræ communionem. Hæc omnia myſteria deſignantur illis verbis vt ſancti Patres docent: vt rectè dixerit Gregorius Nazianzenus referente diuo Hieronymo in c. 5. ad Epheſios, locum iſtum ineffabilibus plenum eſſe ſacramentis. At non eſt neceſſe vt Prophetæ intelligant diſtinctè allegoricam ſignificationem, vt multis exemplis oſtendi poteſt: v. g. in ſacrificio Melchiſedech, in duobus Abrahæ filijs, & vxoribus; in Iacob & Eſau; in liberatione filiorum Iſraël ex Ægypto, & tranſitu maris Rubri, & alijs innumeris geſtis veteris Teſtamenti, quorum intelligentia reſeruata nouo Teſtamento per Spiritum Chriſti reuelanda.

Explicatur myſterium verborum Adami.

Secundò, quia Adam non fuit vllo modo præſcius ſui lapſus, vt communiter docent Patres: ergo neque futuri illius myſterij quod ſupponit lapſum, vt iam ſuprà probatum eſt. Cur enim Deus reuelaſſet illi hoc myſterium explicitè, non patefacta illius cauſa principali.

Tertiò, Adami & Euæ matrimonium non fuit typus coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, niſi quatenus illæ perſonæ ſignabant Chri-

ſtum & Eccleſiam. atqui Adam non fuit typus Chriſti, neque Eua Eccleſiæ, niſi ſuppoſito peccato, & neceſſitate redemptionis. Nam

27 in duobus Adam fuit typus Chriſti, vt ex Scripturis colligitur. Primò, ratione procreationis. Sicut enim Adam fuit principium generationis ſecundùm carnem: ita Chriſtus principium regenerationis ſecundùm ſpiritum per gratiam Baptiſmi. Secundò, per antitheſin ratione deriuationis peccati & mortis in omnes. Sicut enim per ipſius inobedientiam peccatum & mors deriuantur in omnes ex ipſo procreatos: ita per Chriſti obedientiam, iuſtitia & vita æterna in omnes ex ipſo renatos; vt patet ex Apoſtolo ad Rom. 5. Eua ſimiliter in duobus fuit typus Eccleſiæ. Primò, ratione formationis. quia ſicut ipſa formata eſt ex coſta Adæ dormientis: ita Eccleſia ex latere Domini morientis in cruce; ratione aquæ & ſanguinis inde effluẽtis, quibus duobus Sacramentis Eccleſia formatur. Secundò, ratione procreationis. quia ſicut ipſa eſt mater naſcentium ſecundùm carnẽ: ita Eccleſia eſt mater eorũ qui renaſcuntur ſecundùm ſpiritum. Ex quibus patet totam hanc ſignificationẽ ſuppoſuiſſe peccatum, & redemptionem generis humani, quam Adam diſtinctè non apprehendit.

Quomodo Adam typus Chriſti, & Eua Eccleſiæ.

Quartò, ſi quid Adamo fuiſſet diſtinctè reuelandum, non ſolùm incarnationis myſterium, ſed maximè formatio Eccleſiæ ex latere Chriſti, quæ formatione Euæ ex latere Adami præſignabatur, reuelanda erat. Hoc enim maximè ad rem præſentem faciebat, vtpote fundamẽtum vel ſymbolum ſingularis dilectionis, per quam deſerto patre & matre, Eccleſiæ erat adhæſurus. atqui hoc reuelatum ei non fuit (vt etiam auctores diuerſæ ſententię fatentur) quia ſupponit peccatum & mortem Chriſti.

Quintò, ſi incarnationis myſterium Adamo fuiſſet reuelatum, id potiſſimùm eam ob cauſam fuiſſet factum, vt Chriſtus proponeretur ei tamquam auctor ſalutis. in quem deberet credere, & cuius meritis deberet iuſtificari; vt ipſi fatentur. atqui hæc reuelatio erat facienda in primo inſtanti creationis, quando fidem & iuſtitiam accepit; non poſteà cùm iam fidem & iuſtitiam accepiſſet. Signum igitur eſt nihil ei hîc de hoc myſterio futuro diſtinctè & explicitè fuiſſe reuelatum.

28 Nec obſtant teſtimonia Patrum quibus videtur contrarium inſinuari. quia Patres loquuntur de omnibus myſterijs, quæ verbis illis allegoricè continentur, & maximè de formatione Eccleſiæ ex latere Chriſti dormiẽtis in cruce: vt patet ex teſtimonijs ſuprà in obiectione allatis. Hieron. in cap. 5. ad Epheſ. in illa verba: *Sacramentum hoc*

Teſtimonia Patrum explicantur.

magnum eſt. Primus, inquit, *homo, & primus vates Adam, hoc de Chriſto & Eccleſia prophetauit, quòd reliquerit Dominus noſter Saluator Patrem ſuum Deum & matrem ſuam cæleſtem Ieruſalem, & venerit ad terras propter ſuũ corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricatus ſit, & propter illam Verbum caro factum ſit.* Proſper lib. 2. cap. 1. de promiſſion. dicit hoc loco, *Adamum ex latere Chriſti in cruce pendentis præuidiſſe formandam Eccleſiam*. D. Auguſtinus lib. 9. de Geneſi cap. vltimo dicit, *illum per ectaſin factum participem angelicæ curiæ, & intraſſe in ſanctuarium Dei, vt intelligeret nouiſſima*. Vbi apertè loquitur de toto myſterio illorum verborum. Similia habet D. Bernardus ſerm. 2. de Septuageſima, quamuis ſatis dubius. Atqui certum videtur ipſum non intellexiſſe iſta myſteria diſtinctè & explicitè, vt iam oſtenſum eſt. Hæc enim apertè ſupponunt lapſum, & includunt mortem Chriſti. Sicut ergo interpretamur Patres quoad illa myſteria, & dicimus ſatis eſſe vt illa implicitè & confusè, vel in allegorico typo intellexerit; ita etiam dicemus de myſterio incarnationis.

Alij dicunt cum D. Thoma hoc myſterium illi fuiſſe reuelatum quatenus pertinet ad conſummationem gloriæ. Sanè non eſt dubitandum quin potuerit ei reuelari, etiamſi ex præſcientia peccati ſit prçordinatum. quia præſciebat Deus Adamum peccaturum, & hanc reuelationem illius peccatum nõ impedituram. Et quamuis id quod prius eſt tempore, ſit prius in viſione Dei, qua videt res intuitiuè vt exiſtunt in ſeipſis cum omnibus circumſtantijs: non tamen eſt abſolutè prius in diuina præſcientia qua præſcit futura in ſuis cauſis, vel in ſuo decreto, aut permiſſione.

An angeli ſciuerint hoc myſterium.

Quòd ad angelos attinet, nihil eſt quod cogat nos ſentire angelis 29 in via hoc myſterium fuiſſe reuelatum, & putamus contrarium longè probabilius cum Molina 1. p. q. 57. ar. 5. diſp. 2. Primò, quia Chriſti incarnatio ad eorum ſalutem non pertinebat. Secundò, quia dæmon certus fuiſſet de hoc myſterio futuro: ac proinde facilè potuiſſet aduertere illud in Chriſto Domino completum. atqui non cognouerunt illud ante mortem; vt colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 2. *Sapientiam*, inquit, *Dei loquimur in myſterio, quam nemo principum huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Vbi per *principes huius ſæculi* intelligit dæmones. Non enim Pilatus & Principes Sacerdotum erant principes huius ſæculi (τῦ αἰῶνος τούτου, hoc eſt *æui huius*, vt Græca habent) cùm alijs ſubeſſent, & eorum poteſtas ad exiguum mundi ſpatium, & ad breue tempus ſe extenderet: ſed in dæmones hæc appellatio conuenit,

uenit, qui per totum mundum, & totum mundi æuum, ab initio vſque ad finem ſeu iudicium generale, imperium ſuum extendunt. Hinc alibi vocantur *principes & poteſtates, rectores mundi, & tenebrarum harum, Deus huius ſæculi, princeps huius mundi.* Ita hunc locum exponunt, Ambroſius, Haymo, Anſelmus, D. Thomas, Caietanus, & multi alij. Vide commentarium Ambroſij. Denique quia nullus Patrum, quòd ſciam, tradit angelos in via hoc myſterium ſciuiſſe.

Nec obſtat quòd D. Auguſtinus l. 5. de Geneſi ad literam cap. 19. dicat *angelos non latuiſſe myſterium regni cælorum, quod opportuno tempore reuelatum eſt pro ſalute mundi*, &c. quia non loquitur de angelis viatoribus, ſed beatis, vt ex verbis immediatè ſequentibus conſtat; cùm ait: *Quo* (myſterio) *ex hac peregrinatione liberati, eorum cætui coniungamur.* Vide ſequentia. Similiter non obſtant ea quæ habet D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 7. ad primum, quia ſolùm docet angelos non ignoraſſe hoc myſterium priuſquam fieret, cùm illud miniſterio angelorum ſit reuelatum hominibus; ad quod adducit locum citatum D. Auguſtini.

Ad ſecundum, concedo Chriſti prædeſtinationem eſſe priorem quàm ſit prædeſtinatio completa vel incompleta ceterorum hominum; excepta illa prædeſtinatione incompleta, qua omnes erant prædeſtinati in ſtatu innocentiæ in Adamo. Hæc enim non fuit ex meritis Chriſti, neque facta eſt ad exemplar prædeſtinationis Chriſti; ſed ex ſola Dei bonitate. Secùs de ea quæ poſt præuiſum peccatum, de qua manifeſtè loquitur Apoſtolus ad Rom. 8.

30 Ad tertium, neganda eſt conſequentia. Non enim ſemper id quod eſt excellentius, debet eſſe magis per ſe volitum & expetitum, quàm id quod minùs excellens; vt quando illud abſque maiori incommodo obtineri nequit, vt ſuprà oſtenſum eſt. Deinde, non eſt neceſſe vt Deus ſemper velit id quod eſt excellentius: quia ipſe liberè vult omnem excellentiam creaturæ, & eligendo ea quæ minus habent excellentiæ, oſtendit ſe nullo bono extrinſeco egere, & ſe ſibi abundè ſufficere. Ad confirm. ex Concilio Trident. neganda eſt conſequentia; quia hæc non pugnant, Chriſtum eſſe prædeſtinatum ſeu volitum propter noſtram iuſtificationem, & noſtram iuſtificationem eſſe volitam ob gloriam Chriſti: ſicut non repugnat, potentias animæ eſſe volitas & inſtitutas à Deo propter operationes, & operationes eſſe volitas propter perfectionem potentiarum. Duplex enim eſt finis, *qui*, & *cui*; id eſt, qui intenditur, & cui intenditur; & hi ſibi

Id quod excellentius nō ſemper eſt magis volitum.

Quomodo Chriſti gloria ſit finis noſtræ ſalutis.

mutuò ſunt cauſa finalis. Id enim quod ſe habet inſtar medij ad *finem qui*, habet ſe ad eumdem vt *finus cui*. Potentiæ enim ſunt propter operationes tamquam ob *finem qui*; & eædem operationes ſunt propter potentias vt *finem cui*, nimirum non vt potentiæ ſint, ſed vt perficiantur. Simili modo Chriſtus eſt prædeſtinatus propter noſtram iuſtificationem vt *finem qui*: & noſtra iuſtificatio eſt prædeſtinata propter Chriſtum vt *finem cui*: hoc eſt, vt cedat in eius gloriam. Sic poteſt aliquis inſtitui gubernator propter adminiſtrationem prouinciæ; & ipſa adminiſtratio eſſe volita, vt cedat in gloriam gubernatoris.

Ad quartum: Si hoc argumentum valeret, concluderet Deum non 31
potuiſſe Chriſtum vel in prædeſtinatione vniuerſi omittere, vel ſolius peccati occaſione prædeſtinare (quia non poteſt niſi ordinatè omnia velle) quorum vtrumque manifeſtè falſum eſt. Dico ergo dupliciter poſſe aliquid eſſe propinquius fini. Primò, abſolutè: ſecundò, vt cadit ille finis ſub intentionem agentis. Itaque ordinatè volens non ſemper vult id quod eſt propinquius fini abſolutè, ſed quod eſt illi propinquius vt cadit ſub eius intentionem. Si enim non velit finem conſequi perfectiſſimo modo poſſibili, ſed ſolùm ſecũdùm certam menſuram & modum, ſic non debet velle medium perfectiſſimum, ſed accommodatum modo ſuæ intentionis. Itaque cùm Deus in prima rerum inſtitutione non intenderit ſe communicare creaturę perfectiſſimo modo poſſibili (alioquin angelos ſine fine perfectiores condere, & perfectiorem ijs gratiam dare debuiſſet, & alia multa facere quæ non fecit) ſed ſecundùm certum modum & menſuram quam ſua ſapientia præſcripſit; non fuit opus vt vnionem hypoſtaticam eligeret. Addo etiam non ſemper id quod propinquius eſt fini eſſe eligendum, quãdo id habet notabile incommodum coniunctum, vt antè dictum eſt. Ad confirm. Id quod eſt præſtantius rectiſſimè poteſt deſtinari ad perficiendũ id quod eſt minus pręſtans; ſicut angeli ad hominum miniſterium deſtinati ſunt: præſertim cùm hic non ſit vltimus finis, ſed gloria Dei, quæ ſuppoſito peccato per hoc myſterium maximè erat illuſtranda, patefacta eius miſericordia & iuſtitia infinita. Nec refert quòd ſit occaſione peccati introductum: quia totum ab æterno fuit præuiſum & prædeſtinatum: & antequam Deus illam occaſionem ſtatuiſſet permittere, ſciebat eam ex hypotheſi euenturam, & quid ipſe ea eueniente eſſet facturus.

Propinquius fini dupliciter.

Non ſemper quod eſt propinquius fini eligendum.

Præſtantius poteſt ordinari ad perficiendum id quod eſt minus præſtans.

Ad quintum, neganda maior. Eſt enim diſpar ratio meriti & ſatiſ- 32
factionis. Meritum enim requiritur, vt nos habeamus ius ad gloriam:

riam: ſatisfactio verò vt Deo debitus honor reſtituatur. Magis autem decet, vt Deo fiat perfecta reſtitutio honoris (hoc enim perfectio iuſtitiæ videtur poſtulare) quàm vt homo habeat perfectum ius ad gloriam: præſertim cùm nec conditio creaturæ, nec ratio mercedis aut iuſtitiæ quæ poteſt eſſe inter Deum & creaturam, id poſtulet.

33 Ad ſextum, patet ex dictis. quia non ſemper debet fieri id quod videtur pertinere ad maiorē gloriam humanitatis Chriſti, vel etiam ipſius Dei; ſed quod iuxta ordinem & menſuram à diuina ſapientia præſcriptam, & beneplacito ipſius electam, eſt conuenientius. Sic enim magis oſtenditur eminentia ipſius Dei ſupra omnem creaturam. Omnis enim excellentia creata & creabilis eſt ad illius ſuperesſentialem eminentiam & maieſtatem inſtar ſcintillæ ad ſolem, & quaſi granum milij ad vniuerſum. Hæc de iſta quæſtione ſufficiant. Sic ergo ſentiamus & ſapiamus totum hoc myſterium noſtræ ſalutis cauſa inſtitutum & adornatum; non angelis, non vniuerſo, ſed nobis infimis, terrenis, peccatoribus, inimicis. *Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Verè magnum, quo nullum maius eſſe poterat, aut quo magis diuina pietas & miſericordia in nos manifeſtaretur. Vnde & perpetuam memoriam, perpetuam gratitudinem, & gratiarum actionem, & perpetuum obſequium à nobis poſtulat. Si enim Deus ſe totum nobis dedit; cur nos viciſſim non demus nos Deo? Si Diuinitas noſtra cauſa ſe exinaniuit & formam ſerui ſuſcepit; cur nos Dei cauſa non humiliemus & ad infima quæque demittamus?

Non ſemper debet fieri quod videtur eſſe melius.

Deus omnia ſecūdùm certam menſuram ſtatuit.

SECTIO

SECTIO III.

Quæſtio altera, Vtrùm Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Sententia quorumdam.

SEQVITVR nunc alterum, Vtrùm Chriſtus ſit cauſa 34
noſtræ prædeſtinationis & electionis. Qui ponunt electionem omnium ſaluandorum, & præfinitionem operum bonorum ante omnem præuiſionem futurorum; conſequenter docent hanc in ordine intentionis non eſſe factam ex meritis Chriſti, ſaltem quoad determinationem perſonarum, vel gradus gloriæ, vel bonorum operum, ſed ex nudo Dei beneplacito: in executione tamen hæc omnia eſſe decreta ex meritis Chriſti. Cùm enim Deus ex ſuo beneplacito elegiſſet omnes ſaluandos ad ſuum quemque gradum, ceteris negatiuè reprobatis; & illis prædefiniuiſſet omnia opera bona, perſeuerantiam, & gratiam congruam, his ſtatuiſſet denegare; voluit hoc totum exequi per Chriſti merita. itaque Chriſti humanitati hæc omnia ſua decreta reuelauit, vel in ſeipſo oſtendit, vt illis ſe conformaret, & ſua merita ad illorum executionem dirigeret: nimirum vt ſingulis electis gratiæ congruæ, opera bona, & perſeuerantia illis diuino beneplacito decreta, ſuis temporibus conferrentur: ſimiliter non electis, ſeu negatiuè reprobatis darentur illæ gratiæ quæ ipſis præparatæ erant, nimirum non congruæ.

Refutatio. An Christus ſit merus executor.

Verùm hæc ſententia non videtur probanda; quia Chriſtum fa- 35
cit merum executorem eorum quæ à Deo ſunt decreta abſque poteſtate aliquid ſtatuendi, aut alicui gratificandi; ita vt nemini maiorem gratiam conferre, aut maiora opera procurare poſſit, quàm reipſa quiſque in tempore accipit. quod patet, quia non poteſt excedere præſcriptum decreti diuini, quod ipſe in Deo clarè videt, & ſcit ſibi eſſe ſeruandum & executioni mandandum. Sicut ſi princeps apud ſe ſtatuat, quinam ad quę officia in toto regno & quibus ſinguli temporibus & modis ſint aſſumendi, idq́; ſcripto expreſſum tradat alicui palatino exequendum nomine ſuo; non poteſt iſte aliquid mutare, aut alicui gratificari, ſed tenetur ſequi præſcriptum principis, & illud tantùm exequi quod ibi continetur. Atqui hoc non videtur conſentaneum quibuſdam ſacræ Scripturæ ſententiis, Ioannis 13. *Sciens quia Pater dedit ei omnia in manus.* q. d. Sciens Patrem dediſſe ſibi

ſibi plenam omnium poteſtatem. quod apertiùs indicat Matth. 28. cùm ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes*, &c.

36 Dices iſta eſſe intelligenda de poteſtate exequendi ea quæ à Deo erant decreta; non autem de poteſtate aliquid noui ſtatuendi. Confirmatur Primò; quia non conueniebat rem tantam, qualis eſt electio hominũ ad ſalutem & prædeſtinatio, permittere humanitati Chriſti. ſic enim Chriſti humanitas fuiſſet prima origo & ratio ſalutis illorum: cùm tamen ſacra Scriptura id tribuere ſolet beneplacito diuino, & electos dicat *datos Filio à Patre, vt Filius det eis vitam æternam*: item *trahi à Patre*, &c. Confirmatur ſecundò; quia omnes actiones Chriſti à Deo fuerunt abſoluto decreto in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis prædefinitæ (cuius ſignum euidens eſt, nam ad ſingulas motus fuit ex peculiari inſpiratione & impulſu Spiritus ſancti) ergo non eſt mirum, ſi dicatur ſolum habuiſſe poteſtatem exequendi. *Effugium.*

Reſpondeo, illam interpretationem non videri conformem vſitatæ loquendi formæ. Numquam enim merus executor decretorum principis dicet ſibi datam omnem poteſtatem adminiſtrandi regni cùm habeat facultatem valdè limitatam, nec poſſit præſcriptos limites excedere: ergo non loquitur tantùm de nuda executione, ſed de plena poteſtate gubernãdi mundum, & ea quę in cælo ac in terra, ſicut expedire iudicabit (ſeruatis generalibus diuinæ prouidentiæ regulis) ad hominum ſalutem, & ad meritum ſuæ paſſionis iis communicandum. Quod etiam colligitur ex illo Pſalmi 2. vbi Chriſtus inducitur ita loquens: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* (per reſurrectionem, vt ex cap. Actorum 13. colligitur) *poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ*, &c. Eſt ergo in poteſtate Chriſti petere à Patre quos voluerit, eoſque ſibi in hereditatem & regnum adſciſcere. Et Ioannis 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis & fructum adferatis, & fructus veſter maneat*. Et infrà: *Ego elegi vos de mundo.* Et Ioannis 6. *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt?* Quibus verbis ſignificat hanc electionem eſſe ſuum beneficium, & in ſua poteſtate fuiſſe eis prætermiſſis eligere alios. *Refutatur.*

37 Ad primam confirmationem, negandũ eſt minimè decuiſſe. Cùm enim Chriſtus debitum totius humani generis diuinæ iuſtitię ſoluerit, eiq; reconciliationem meruerit, decuit vt non ſit merus executor

decretorum Patris, ſed vt poſſit etiam de ſalute hominum decernere, maiora vel minora auxilia tribuendo, idq́; tempore, loco, modo, occaſione, & iis perſonis, quibus ipſi placuerit. Sanè non video qua probabilitate id negari poſſit. Si enim in poteſtate ipſius fuit eligere in Apoſtolos & diſcipulos, quos placuit (qua ex re multùm pendet totum ſalutis negotium, & diuerſitas operum, & gradus gloriæ) cur non etiam maiorem vel minorem gratiam his vel illis pro ſuo arbitrio conferre? Nec refert quòd prædeſtinatio & electio tribuantur Patri & diuinitati: huius enim cauſa eſt; tum quòd hi actus ſunt æterni, vnde non cadunt in humanitatem Chriſti; tum quia ſunt actus prouidentiæ, quæ attribuitur Patri; tum quia Dominus ea quæ ad auctoritatē pertinent tribuere ſolet Patri. Huic tamen non obſtat quin prædeſtinatio illa poſſit eſſe ex meritis, & peculiari petitione & affectu Chriſti præuiſo erga hunc vel illum hominem. Simili modo *trahere ad Chriſtum, reuelare Filium, & dare Filio diſcipulos ac oues* tribuitur Patri: quia inſpiratio fidei fit virtute diuinitatis; & Dominus, quod hac virtute fit, ſolet tribuere Patri. vnde & miracula ſua tribuit Patri; *Pater*, inquit, *in me manens facit opera.* Hinc tamen nō ſequitur hęc omnia abſoluta volūtate à Patre ante pręuiſionē petitionis Chriſti fuiſſe decreta, aut Chriſtum non potuiſſe de his aliter ſtatuere, aut ipſum pro arbitrio ſuo miracula non feciſſe. Nam etiam Chriſtus dicitur *eligere quos voluerit*, & *vocare*, & *reuelare Patrem quibus voluerit*, &c. quia virtus diuina in Chriſto affectui efficaci humanitatis quodammodò obſequitur, non ſecùs ac ſi ipſi humanitati intrinſeca foret; idq́; ob arctiſſimam illius cum humanitate coniunctionem.

Non omnia Chriſti opera abſolutè prædefinita.

Ad ſecundam confirmationem, neganda eſt illa omnium operum Chriſti præfinitio abſoluta. 38

Primò, quia minimè erat neceſſaria. Tantá enim ſapientia illa humanitas prædita erat, vt per ſe ſciret quibus negotiis, quid, quo tempore, loco, modo, ordine, &c. eſſet agendū. Quorſum ergo minutiſſima illa omnium præſcriptio? Sicut enim Dominus non deeſt neceſſariis; ita non redundat ſuperfluis. Idem confirmari poſſet exemplis humanis. Rex enim dum mittit gubernatorem ad aliquam prouinciā, qui optimè nouit quid in ſingulis negotiis expediat ad finem à Rege intentum, nō præſcribet ei minutim omnia, ſed multa relinquet ipſius prudentiæ. Simili modo putandum, pleraque vel omnia quæ Dominus ad hominum ſalutem geſſit in hac vita, non fuiſſe rigidis illis decretis, ante præuiſionem determinationis ipſius voluntatis, cum omnibus ſuis circumſtantiis in particulari præfinita; ſed plurima

rima ipſius eminentiſſimæ ſapientiæ (qua diuinam eſſentiam clariſſimè cernebat, & omnem creatam naturam comprehendebat) relicta.

Secundò, quia hæc ſententia non habet fundamentum in ſacra Scriptura: & ipſe Dominus potiùs contrarium inſinuat, cùm ait Ioan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam.* Vbi ſignificat id in ſuo arbitrio eſſe, ſaltem quoad circumſtantiam temporis. Et Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?*

Tertiò, ſi omnia ipſius opera ſic fuiſſent prædefinita, non potuiſſet omittere aliquid eorum quæ fecit, nec alio tempore, loco, modo, vel alia opera facere quàm fecit. quod ſanè non videtur admittendum, cùm neque libertati, neque dignitati Chriſti ſatis congruat. Id ſequi probatur: quia ipſe clarè intuebatur omnes illas prædefinitiones, & decreta abſoluta in mente diuina: ergo voluntas ipſius neceſſariò ſe illis accommodabat, nec vllo modo poterat ab illis recedere. Sicut enim viſio clara diuinæ eſſentiæ intrinſecè determinat voluntatem videntis ad amorem Dei: ita viſio clara talium decretorum determinat illam ad volendum & faciendum id quod decretum eſt; ita vt voluntas non poſſit illud non velle, aut aliter facere. Voluntas enim Dei abſoluta oſtenſa clarè Beatis de opere aliquo faciendo habet vim præcepti, & peccatum eſſet ab ea diſſentire. vident enim eſſe impoſſibile vt non impleatur; & ex altera parte maximá eſſe irreuerentiam in Deum nolle ſe illi accommodare, aut nolle illam implere. Ex quibus apertè ſequi videtur, Chriſtum nullam in ſuis operibus habuiſſe libertatem; & non ſolùm extrinſecùs, ſed etiam intrinſeca determinatione, ad omnia ſua opera & operũ omnes circumſtantias à Deo præfinitas fuiſſe prædeterminatum, quod nullo modo eſt concedendum. Non ergo ponendæ ſunt huiuſmodi prædefinitiones circa opera Chriſti.

39 Ad illud autem quod adfertur de impulſu Spiritus ſancti, ſi intelligatur de inſpiratione & affectu quodam præuio, qualis eſſe ſolet in aliis Sanctis, negandum eſt omnes Chriſti actiones fuiſſe ex tali impulſu Spiritus ſancti. quia ipſe tali ſaltem ordinariè non egebat, cùm in ipſo eſſet impulſus longè ſublimior, nimirum ex viſione & amore beatifico, & aliis donis ſupernaturalibus. Impulſus enim huiuſmodi in aliis hominibus fit vt aliquid cogitent, quod ex ſe non cogitaſſent, illudq; velint & faciant. At Chriſti anima per lumen gloriæ præuide-

Quo modo opera Christi ex impulſu Spiritus ſancti.

bat omnia quæ ipſi erant facienda,& quidnam Deo quouis tempore eſſet placitum; & affectu charitatis illud acceptabat, & ſuo tempore faciebat, vt non eſſet opus huiuſmodi inſtinctibus tranſeuntibus extrinſecùs immiſſis. Confirmatur: quia Chriſti humanitas modò non regitur huiuſmodi inſpirationibus præuiis; ergo neque in hac vita regebatur. Non enim eſt modò altiùs in Deum ſubleuata, neque pauçiora gerit quàm cùm hanc vitam ageret mortalem. Si autem per impulſum Spiritus ſancti accipiamus quamuis illuſtrationem intellectus, & affectum volútatis ſupẽrnaturalem à Spiritu ſancto prouenientem; ſic certum eſt omnia Chriſti opera fuiſſe ex impulſu Spiritus ſancti, & ipſum in omnibus à Spiritu ſancto fuiſſe directum. quia lumen gloriæ, quo omnia quæ ipſi agenda forent cernebat, & charitas qua ad omnia illa incitabatur, à Spiritu ſancto erant. Eſtq; hic modus impulſus longè ſublimior,quàm ille prior;vtpote ex altiſſimo motiuo, perfectiſſimo modo propoſito, & ex principio intrinſeco & ſtabili. Sicut ſi Deus Sanctis in hac vita tantum daret luminis ſupernaturalis, vt cernerent clarè in ſingulis negotiis quid Deo ſit gratiſſimum, & tantum charitatis vt firmiter illud vellent amplecti, non opus haberent illis ſubitis & tranſitoriis inſpirationibus; quia multò altiori modo regerentur. Perfectius enim eſt regi à principio intrinſeco permanente, quàm à cauſa extrinſeca per impulſus tranſeuntes.

Porrò talis modus impulſus non eſt ſignum omnia Chriſti opera fuiſſe in particulari abſolutè prædefinita; quia non adſtringit ſemper ad hanc vel illam operis ſpeciem, aut ad has vel illas circumſtantias, vt per ſe patet. Imò neque alter modus impulſus eſt ſignum talis prędefinitionis: tum quia non prouenit neceſſariò aut ordinariè ex abſoluto decreto, quo Spiritus ſanctus velit abſolutè hoc opus hîc & nunc fieri; ſed ex affectu & voluntate conditionata: tum quia non obligat ordinariè ad has vel illas circumſtantias,ſed eas relinquit prudentiæ hominis. Denique ſi præcepta diuina & conſilia non ſunt ſigna talis prædefinitionis operum, neque etiam inſpirationes erunt, cùm ſolùm conſilij,vel vt ſummùm præcepti vim habeant.

Neque his aduerſatur quod Dominus ait Ioan. 12. *Ego ex me ipſo non ſolùm locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.* Loquitur enim de ſubſtantia doctrinæ ſuę,quæ erat vt ipſum acceptarent in Meſſiam promiſſum,& in eum crederent. De hoc habebat Dominus mandatum; non autem de omnibus & ſingulis, quæ tota vita ſua dixit: & multo minùs de ſingulis circumſtantiis. Hunc eſſe ſenſum patet ex eo quod ſequitur: *Et*

ſcio

ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt: hoc eſt, verba & doctrina quam mihi mandauit vobis tradere, ducunt ad vitam æternam eos qui illam ſuſcipiunt. Idem alibi ſignificat cùm ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Adde, Dominum nihil ex ſe locutum, quia non ex humana ratione, ſed ex reuelatione Patris. omnia enim ex lumine gloriæ, quod acceperat à Patre. hoc enim ad omnia myſteria clarè intuenda ſe extēdit. Nunc breuiter totam noſtram ſententiam in ſummam colligamus.

SVMMA TOTIVS REI.

Prima Aſſertio.

40 PRimò itaque dicimus, primum illud generale propoſitum Dei, quo ſtatuit reparare genus humanum, non fuiſſe conceptum ex meritis Chriſti, ſed ex ſola Dei miſericordia. Ratio eſt, quia hoc propoſitum eſt cauſa prædeſtinationis Chriſti. Ideò enim Deus ſtatuit mittere Filium in mundum, vt mundum redimeret: ac proinde propoſitum ſaluandi mundi prius erat per modum intentionis, quàm prædeſtinatio Chriſti, quæ ſe habet in modum electionis medij. Indicat hoc apertè Dominus Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mūdum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Dilectio ergo mundi (qua Deus illi voluit ſalutem) prior fuit per modum intentionis, quàm voluntas dandi Filium. Idem ſignificatur verbis ſequentibus: *Non enim miſit Deus Filium vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Affectus ergo ſaluandi mundi prior fuit miſſione Filij. Ex quibus patet, hunc affectum non eſſe ortum ex Chriſti meritis; ſed potiùs contrà Chriſti merita originem ducunt ex hoc affectu. Denique idem confirmatur ex omnibus quibus ſuprà oſtenſum eſt Chriſtum non eſſe prædeſtinatum, niſi ad deſtruendum peccatum, & ſaluandum mundum.

Volūtas ſaluandi mundi prior eſt Chriſti prædeſtinatione.

Secunda Aſſertio.

41 SEcundò dicimus, illam voluntatem æternam, qua ſingulos in particulari Deus eligit & prædeſtinat in adoptionem filiorum, & præparat illis omnem gratiam, conceptā eſſe ex meritis Chriſti. Colligitur apertè ex multis Scripturæ locis. Ad Epheſios 1. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit*

Prædeſtinatio hominum eſt ex meritis Chriſti.

git nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, &c. Quo loco illæ particulæ, *in Chriſto,in ipſo,per Ieſum Chriſtum,* indicant meritum Chriſti. Vix enim aliud fingi poteſt quod ſignificetur. quod etiam ſequentibus Apoſtoli verbis clariùs explicatur,cùm ait: *In qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo,in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius,*&c. Itaque electio, prædeſtinatio ſingulorum, & omnis gratiæ præparatio, quæ in tempore confertur, eſt ex meritis Chriſti. Idem ſignificat Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia*, &c.

Nullo ergo modo ſunt audiendi, qui vel primam vocationem, quæ fidem præcedit, vel ipſam fidem putant non dari ex Chriſti meritis, cùm Apoſtolus dicat; *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* &, *Qui vocauit nos vocatione ſua ſancta, ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto,*&c. Quare & ipſa prima vocatio eſt ex Chriſti meritis. Idem expreſsè docet Concil. Trid. ſeſſ.6. c.4. cùm dicit, *Iuſtificationem impij, hoc eſt tranſlationem ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adam,in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, fieri per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* hæc enim tranſlatio includit primam vocationem, cùm ab hac exordium ducat. & cap.5. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione,* &c. Itaque prima vocatio eſt ex meritis Chriſti, ac proinde (& quidem potiore ratione) ipſa fides quæ Chriſtum vt auctorem ſalutis reſpicit. ipſe enim auctor & conſummator fidei, ipſe illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ipſe tenebras infidelitatis diſcuſſit, & cæleſte lumen cognitionis rerum diuinarum in toto orbe accendit. Ex quibus conſtat omnia beneficia, quibus ad ſalutem adducimur, nobis ab æterno ex eius meritis eſſe præparata, & reipſa in tempore conferri: ac proinde prædeſtinationem noſtram, quæ nihil eſt aliud quàm talium beneficiorum præparatio, eſſe ex ipſius meritis.

Tertia Aſſertio.

42 TErtiò dicimus, Chriſtum non eſſe merum executorem pater- *Chriſtum nõ eſſe merum executorem.* norum decretorum abſque vlla poteſtate ſtatuendi, ſed poſſe multa de hominum ſalute & gratia illis conferenda pro ſua ſapientia ſuo arbitratu decernere: imò valdè credibile eſt, ſupremam gubernationem rerum humanarum, atque adeò omnium angelorum & totius mundi, quatenus ad ſalutem hominum tendit, ipſi commiſſam. Id enim videntur inſinuare illa verba Matth. 28. *Data eſt* *Ex amplitudine poteſtatis.* *mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Nam quomodo habet omnem poteſtatem, niſi quia poteſt de omnibus aliquo modo diſponere, nimirum in ordine ad ſalutem hominum? Vnde etiam omnia ſigna & prodigia quæ præcedent vniuerſale iudicium fient imperio Agni, eiuſque virtute. ipſius enim eſt aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius (vt ex cap. 5. Apocalypſis & ſequentibus conſtat) quæ apertio fiet ipſa rerum gubernatione, & immiſſione plagarum quibus mundus nouiſſimis temporibus propter impietatem affligetur: vt optimè explicat & probat noſter Ribera in Apocalypſim. Ipſius imperio & virtute mortui reſurgent, vt ipſemet ait Ioan. 5. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent.* Et infrà: *Dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius,* (Filij hominis) *& procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* & cap. 6. *Ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Ex quibus patet hoc conuenire humanitati, quæ id virtute diuinitatis ſibi vnitæ perficiet. Idem confirmatur ex eo quòd ipſe ſit caput & Rex totius vniuerſi: ſicut ergo caput ſuo ſenſu regit omnia membra, & Rex terrenus totum regnum, omneſque ſubditos, & de eorum functionibus, officiis, & ſtatu decernit:
43 ita Chriſtus totum vniuerſum. Idem ex ratione meritorum colligi poteſt. Cùm enim pro omnibus mortuus ſit, pro omnibus ſatisfecerit Patri, & omnibus gratiam ſufficientem ex parte ſua promeruerit, *Ex ratione meritorum.* conueniebat vt etiam aliquam libertatem haberet in ſuis meritis applicandis, neque reſtringeretur in omnibus ad ſolam executionem prædefinitorum.

Accedit, quòd ipſe tanta fuerit ſapientia, vt in omnibus clarè cognoſceret, quid expediret ad maiorem Patris gloriam, quidque eius *Ex magnitudine ſapientiæ.* volun-

voluntati & ordini prouidentię foret magis conſentaneum: ac proinde minimè videtur fuiſſe conueniens omnia in particulari per decreta illa abſoluta & inflexibilia à Patre anticipari. Sicut ergo in regno terreno Gubernator generalis eſt inſtrumentum Regis, quo ipſe totum regnum adminiſtrat, eique ſolùm generalem inſtructionem in ordine ad finem à ſe intentum tradit, quam ſequatur, rebus particularibus eius prudentiæ & arbitrio relictis: ita cogitandum eſt humanitatem Chriſti in magna illa totius vniuerſi Repub. & præſertim in Eccleſia (quæ præcipuo quodam modo eſt regnum ipſius) rebuſque humanis gubernandis eſſe vniuerſale & immediatũ inſtrumentum, quo diuinitas vtitur ad hominum ſalutem; & habere omnem poteſtatem in omnes res creatas, quatenus conueniens eſt ad hunc finẽ, ſeruatis dumtaxat generalibus quibuſdam diuinæ prouidentiæ regulis & ſtatutis; & ſi quæ alia à diuinitate ſint ad bonum vniuerſale independenter à Chriſti voluntate decreta.

Chriſti humanitas vtitur Angelis & Sanctis.

In hac autem gubernatione Chriſti humanitas ad executionem 41 vtitur opera Angelorum & Sanctorum, iuxta illud Eccleſiæ in Præfatione: *Te Domine ſuppliciter exorare, vt gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias; vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores.* Et Apocalypſis 2. *Qui vicerit & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, ſicut ego accepi à Patre meo.*

Ad Chriſtũ quomodo recurrendum.

Ex his valdè credibile efficitur, applicationem meritorum & diſtributionem gratiarum, magna ex parte à Chriſti arbitrio pendere: ac proinde ad ipſum aſſiduè recurrendum eſſe, non ſolùm tamquam ad Deum & Dominum, cuius maieſtatem vt peccatores meritò poſſimus horrere, ſed tamquam ad fratrem & coheredem, & conſortem naturæ noſtræ, in cuius manu eſt ſalus & damnatio noſtra; qui ex iis quæ paſſus eſt, didicit compati infirmitati, & miſeriæ fratrum ſuorum. Si pauper aliquis haberet fratrem germanum, qui ad ſupremam regni dignitatem eſſet euectus, & omnes regni opes ac honores haberet in ſua poteſtate, quantos animos ille aſſumeret? quantam conciperet fiduciam miſeriæ excutiendæ, & benigniſſimi fratris ope diuitias & honores conſequendi? Talem nos fiduciam habere par eſt, conſiderata Chriſti conſanguinei & fratris noſtri dignitate & poteſtate; vt nobis Scriptura variis locis inſinuat: Pſalm. 21. Ioan. 20. ad Rom. 8. ad Hebr. 2. 1. Ioan. 2. & alibi. Nec obſtat quòd ille dicatur *interpellare pro nobis*, & eſſe *noſter aduocatus* apud Patrem: hoc

hoc enim non eſt neceſſitatis, quaſi opus habeat oratione ad impetrandum; aut quaſi ipſe per ſe non poſſit ſtatuere, vt corda noſtra ad pœnitentiam moueantur, aut auxilium ad perſeuerandum detur; ſed humilitatis. Delectatur enim ſe ſubijcere Patri, & ab eo petere vt fiat, quod per ſe facere poſſet. Sicut ſi gubernator ſupremus regni habens plenam poteſtatem, multa nollet facere, niſi petita venia à Rege, vt hac ratione declaret reuerẽtiam qua Regem proſequitur, & ſuam ſubiectionem. Sed de humanitatis Chriſti excellentia & perfectione ſuo loco plura. Hæc modò de eius poteſtate circa noſtram ſalutem ſufficiant. *Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

SECTIO IV.

Recollectio precatoria.

45 PATER miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, quas tibi referemus gratiarum actiones, & quibus obſequiis infinitæ charitati & miſericordiæ tuæ reſpondebimus? Sic enim, cùm inimici & perditi eſſemus, nos dilexiſti, vt Filium tuum vnigenitum carnem noſtram aſſumere, & fratrem noſtrum fieri volueris; vt in ea nobiſcum verſans, tenebras noſtras diſcuteret, viam ſalutis oſtenderet, omnium virtutum exempla præberet, diuinæ iuſtitiæ pro nobis ſatisfaceret, ſanguine ſuo nos ablueret; & ſuo ſpiritu nobis communicato, filios tuos, & heredes regni tui, ſuoſq; coheredes efficeret. Magnum pietatis ſacramentum, quod in carne apparere feciſti! Admirabile opus miſericordiæ, quod noſtra cauſa perpetraſti! Tantáne res erat ſalus noſtra, vt eam tanti æſtimares, & perditam tantis impendiis ſarcires? Tam pretioſæ in oculis tuis erant animæ noſtræ, vt eis redimendis tantum deſtinares pretium?

Peccarunt angeli, & ſubitò fulmine ſententiæ tuæ icti è cælo in tartara ad exitium & ſupplicium æternum ſunt præcipitati. Peccauimus homines, & non ſolùm nos ſuſtines irâ & vindictâ cohibitâ, ſed etiam immenſò beneficio, quale nec pro infinitis benefactis expectari potuiſſet, nos afficis, dato nobis Vnigenito tuo per incarnationis myſterium, qui peccata noſtra ſuo ſanguine deleret, & nos omni benedictione cæleſti cumularet. Et tamen quantum inter nos & illos intereſt? quanto interuallo nobis illi antecellũt puritate ſubſtantiæ, in-

genio, viribus, pulchritudine, & omnibus naturæ dotibus? Sed his omnibus contemptis, peccantibus non peperciſti: noſtri verò, quibus viles animæ, terrenis affixæ, cæleſtium inanes, tenebris obſitæ, multiplici prauitate imbutę, miſertus es; & ruentes in perniciem apprehendiſti, reuocaſti, & ad bonorum tuorum conſortium adduxiſti. Hanc vnicam ob cauſam Filium tuum carnem ſumere, & crucem ſubire voluiſti. ob hanc cauſam ipſe frater noſter fieri voluit, & nobiſcum carnis & ſanguinis eſſe particeps, & per omnia nobis aſſimilari, peccato excepto. Vt enim nos reconciliaret, Pontifex noſter fieri debuit, cuiùs officium eſt offerre hoſtias & ſacrificia pro peccato: vt autem Pontifex fieret, naturæ noſtræ debuit eſſe particeps. *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum*; nimirum vt ſuis precibus & ſacrificijs eos Deo reconciliet, & diuinam voluntatem eis renuntiet.

Gratias tibi magne IESV, ſacerdos magne, princeps ſacrorum, 46
quòd ſordidam carnis noſtræ veſtem, in qua durum illud pontificatus munus ſacrificando corpus & ſanguinem tuum in ara crucis obires, induere ſis dignatus: ſordidam, inquam, non tuis ſed noſtris peccatis, tibi à Patre impoſitis. Nihil erat in ea cur eam appeteres, cùm nihil ſit aliud quàm puluis terræ maceratus aqua: ſed noſtra neceſſitas te ad hoc adduxit; amor noſtri te ad hanc maieſtatis tuæ inclinationem compulit, nimirum vt in ea & per eam nobis ſuccurreres, & nobis habitu naturæ aſſociatus Pontifex & hoſtia fieres. Tibi Pater omnia dedit in manus, & totius cæli & terræ tradidit imperium: tibi ſumma poteſtas vitæ & mortis, ſalutis & interitus, cælorum & inferorum; & vtriuſque regni claues tenes. aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit. Ad quē niſi ad te confugiam, in quo eſt meum pretium, meum meritum, mea iuſtitia, mea ſanctificatio, & omne præſidium meum? Tu enim Deus & Dominus, frater & pater noſter. Tu ſacerdos & hoſtia, redemptor & iuſtificator, iudex & præmium noſtrum. Ex tuo arbitrio pendet remiſſio peccatorum, iuſtificatio, perſeuerantia, ſalus æterna, & omne bonum noſtrum. In tua charitate & miſericordia, in tuis meritis, & pretio tui ſanguinis omnem fiduciam meam colloco; & ex illis ſalutē animæ meæ expecto. Non meis operibus confido, non meis virtutibus nitor. noſti imperfectum meum, teporem & languores animæ meæ: & ego ex parte cognoſco, & ex animo cum gemitu confiteor. Scio me parum profeciſſe, & lumini ac gratiæ mihi communicatæ, non vt par eſt, reſpondiſſe. Scio negligentias meas multas ac magnas, & occulta mea, quæ neſcio,

neſcio, pertimeſco. Et ideò non intres in iudicium cum ſeruo tuo, neque facta ipſius iuſtitiæ tuæ trutina pendas: ſed impende ei pretium ſanguinis tui,&ex immenſo meritorum tuorum theſauro ſupple defectus operum eius, & imple menſuram iuſtitiæ, vt cum fiducia in magno illo die tuo ſtare poſſit ante tribunal tuum, & ſententiam illam tuam cum ceteris electis lætabundus excipere: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* AMEN.

INDEX RERVM.

Actus.

IDEM actus vt à libero arbitrio eſt liber; vt à gratia ſupernaturalis. pagina 105. num. 13

Actus, qui peccatum denominatur, Deus non eſt auctor. p. 12. n. 9

Ideò hic & nunc actus elicitur, quia voluntas diuinitus præparata vult hic & nunc illum elici. 133. 11

Quo ſenſu cauſa ſecunda ad agendum applicetur à prima. 161. & ſeq. 5. & 165. 7

Quomodo actiones noſtræ à Deo præueniantur. 202. 6

Idem actus variè ſpectatus eſt vſus, directio, determinatio & voluntatis & gratiæ. 105. 12

Actus pij ſecundùm quam rationem ſint dona Dei. 335. 55

Adam.

Si Adam non peccaſſet, Chriſtus in hunc mundum non veniſſet. 380. 2

Nec in carne impaßibili 382. 5

Adam diſtinctè non intellexit myſterium Incarnationis. 402. 26. & ſeqq.

Quomodo Adam fuerit typus Chriſti, Eua Eccleſiæ. 403. 27

Angelus.

Angeli non ſunt ſanctificati per Chriſtum 382. & ſeq. 4. & 388. 11

Angelis in via non fuit reuelatum myſterium Incarnationis. 404. 29

Iuxta D. Auguſtinum Angeli non ſunt prædeſtinati niſi præuiſis meritis. 290. 22

Angeli non ſunt propriè membra ſponſæ Chriſti. 341. 58

Auxilium.

Auxilium ſufficiens includit omnia neceſſaria ad bonum opus. 79. 1

Eodem auxilio quo gratiæ deſumus non vtendo, poſſumus non deeſſe vtendo: & contra. 65. 4

Multis, qui iam ſunt damnati, plus fuit auxiliorum, quàm multis, qui beati. 107. 14.

Veriſimilius eſt auxilium præueniens phyſicè influere in opus. 169. 3. & 189. 7

Conſiſtit hoc auxilium non modò in obiecti apprehenſione, ſed & in formali voluntatis motione. 168. 1

Auxilium præueniens allicit, dat vires, cooperatur voluntati conſentienti. 6. 10

In quo ſitum ſit auxilium concomitans. 7. 11

In homine eſt efficere vt prima auxiliorum præparatio euadat in complementum prædeſtinationis. 109. 17

Idem auxilium variè conſideratum eſt naturale & ſupernaturale. 120. 32

Deus prius videt quid ex talibus auxiliis ſit ſecuturum, quàm velit ea dare. 180. 3

Quomodo ſingula auxilia agant in potentiam & actum. 196. 2

Cur Deus multis tam parcè prouideat de auxiliis ad ſalutem. 362. 71

Omnibus, etiam poſt originale peccatum, paratum auxilium ſufficiens. 352. 65

Qua ratione illud omnibus offeratur. 356. 67

Amor qui eſt abſolutus reſpectu auxilij præuenientis, ſæpè eſt conditionalis reſpectu gloriæ. 366. 74

Baptiſmus.

Quæ cauſa eſſe poſſit, cur vni paruulo procuretur baptiſmus, non alteri. 322. 15

Bonum.

Bonum.

Bonum particulare mouet voluntatem efficaciter, etſi non neceſſariò. 174.11
Solet Deus bona ex ſola ſua bonitate prædefinita omnibus communicare. 266.13
Quod eſt melius poteſt deſtinari ad perficiendum minus bonum. 406.31
Non ſemper debet fieri quod videtur melius. 407.33

Cauſa.

Inter cauſam primam & ſecundam eſt mutua dependentia. 30.4
& naturalis quædam connexio. 37.11
Qua prioritate prima agat priùs ſecundâ. 31.5. *Quis inter vtramque ordo.* 32.6
Cauſa prima primò attingit rationem entis communem, ſecunda particularem. 31.5
Secunda agit in virtute primæ non præueniente, ſed cooperante. 161. *& ſeq.* 5
Quo ſenſu dici poſſit prima pendere à ſecunda in cooperando. 30.4
Idem effectus pendens à prima & ſecunda, nequit ab hac pendere ineuitabiliter, ab illa euitabiliter. 17.17
Secunda nihil agit circa primam quo illam excitet. 37.12
Cur non ſit opus hac excitatione. 42.16. *&* 37.12
Qui eſt ſolùm cauſa, cur hic & nunc fiat opus, non eſt propriè eius cauſa ſecundùm ſubſtantiam. 385.6
Quo ſenſu verum: Quod eſt primum in quoque genere, eſt cauſa ceterorum. 27.2
Cauſa prima & ſecunda duæ partiales vnam conſtant cauſam totalem. 110.8. *&* 136.12.

Chriſtus.

Prædicationi & miraculis Chriſti annexum fuit internum auxilium. 75.11
Chriſtus fuit impeccabilis. 274.17
Oues Chriſti quinam. 316.41
Pleraque iuſtorum noui Teſtamenti opera ſupponunt Chriſtum. 277.17
Chriſtus non eſt mortuus pro Angelis. 389.11
Incarnatio Chriſti non propter ſe, ſed propter quid extrinſecum debuit expeti. 389. *& ſeq.* 13
Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ ſecundùm diuinitatem, mortuorum ſecundùm humanitatem. 397.21
Chriſtus eſt prædeſtinatus propter noſtrã iuſtificationem, vt finem qui; hæc propter Chriſtum, vt finem cui. 406.30
Chriſtus non ſolùm eſt executor, ſed & auctor gratiæ. 408.35. *&* 415.42
Non omnia Chriſti opera abſolutè fuerunt prædefinita. 410.38
Intuitione decretorum Patris voluntas Chriſti intrinſecè determinatur ad ea exequenda. 411.38
Quis Spiritus ſancti impulſus præceſſerit actiones Chriſti. 411.39. *& ſeqq.*
Ad Chriſtum recurrendum non ſolùm vt Dominum & Deum, ſed etiam vt fratrem & coheredem. 416.44
Totius vniuerſi regimen, quatenus ad hominum tendit ſalutem, Chriſto commiſſum. 415.42
Chriſtus dupliciter vnitur Eccleſiæ, per vnionem hypoſtaticam, & per fidem & charitatem. 398.24
Vnio Chriſti hypoſtatica non inducit nouum rerum creatarum ordinem. 390.14.

Concurſus.

Vt Deus actu concurrat, non neceſſariò vel præfinit particulariter, vel præſcit conditionatè. 40.12
Concurſus Dei ex ſe indeterminatus, determinatur à cauſa ſecunda. 45.18
Ad plura Deus concurrit quàm præfinierit. 32.7.
Ex ſuaui Dei ordinatione voluntas ſemper ad quiduis concurſum Dei paratum habet. 37.22

Habet hic ſe per modum cauſæ naturalis. 41. 15

Deus æquè ante præuiſionem determinationis cauſæ ſecundæ ſuum concurſum addicit actionibus futuris, ac ſolùm poſſibilibus. 41.16

Abſolutè tamen aliter addixit futuris. 42. 16

Quomodo eum committat libero arbitrio. 40. 15.

Conſenſus.

Conſentiens Deo vocanti vltrò ſe diſponit ad gratiam. 87. 11

Hic conſenſus à gratia præueniente, non ab habituali procedit. ibidem.

Magni intereſt ad diuinæ vocationis effectum, quo quiſque ſit affectu. 175.12

Conuerſio.

Eodem auxilio quo hic conuertitur, ille poteſt non conuerti. 106. & ſeq. 14

Conuerſio & gratiæ & liberi arbitrij opus eſt. 122. 1

Nolle conuerti à ſolo libero arbitrio eſt: conuerti etiam à gratia. 199.3

Deus.

Quo ſenſu expectet Deus à nobis, quod ipſe facit in nobis. 134.1

Deo volenti in ſenſu compoſito reſiſtere nequeo. 131.9

Volũtas Dei quæ ratione ſit cauſa, vt quædam fiant neceſſariò, quædam contingenter. 161.3

Cur Deus non velit fieri contra ſuam præſcientiam, dum ſuadet quod nouit non futurum. 264.9

Deus ex ſe numquam ſtatuit, quod creaturæ perniciosum. 267. 13

Non eſt veriſimile, Deum ex ſe certum terminum bonis operibus, & gloriæ præfixiſſe. 277. 17

Deus non procurat mala, nec incitando, nec permittendo. 283.19

Priùs Deus vidit perfidiam fratrum Ioſephi, quàm eius principatum. Idem dic de ſimilibus. 287.20

Quo ſenſu Deus ſit primum mouens. 210. 11.

Cur Deus aliquando in Scripturis loquatur ſub dubio. 232.4

Agit Deus in omnibus, & cum omnibus. 205.9

Aliter Deus facit & conſeruat ſubſtantias, aliter potentias, aliter operationes. 206. & ſeq 10.

Aliter etiam operationes liberas, quàm neceſſarias. 207.10

Deus non eſt principalis cauſa applicationis potentiæ ad opera illicita. 207. & ſeq. 11

Diligit Deus alios minùs, magis alios. 365. 73

Non ſolùm obiectiuè, ſed etiam appretiatiuè. 366. 74

Ex ſolo ſuo beneplacito Deus ſæpè hunc præ illo diligit. 366. 73

Dei gubernatio quantum ex ſe tendit ad maiorem & beatorum numerum, & gloriæ menſuram. 343. 59

In Deo ſincerus eſt affectus omnes ſaluandi. 355.66

Deus ex ſe nil ſtatuit aptum affligendis piorum animis. 288. 21

Maius eſt Deum fieri hominem, quàm hominem factum humana pati. 385.7

Quæ ratione Deus induret, & cur? 308. & ſeq. 34.

Deus ſuas inſpirationes humano attemperat affectui. 175.12

Determinatio.

Determinatio cauſæ ſecundæ cur non ſit prior concurſu cauſæ primæ. 43.16

Determinatio præueniens quemlibet, videtur repugnare libertati. 49.7

Cauſæ naturales, vtpote ex ſe determinatæ, non egent prædeterminatione. 20. 22

Voluntas ad bonũ ſe determinat viribus ſuis gratia confirmatis. 194. & ſeq. 1

Hæc

Hæc determinatio non differt ab ipſo actu. 195.1.

Eſt prior non natura, ſed ratione, opere completo. 336.55

Prædeterminatio phyſica cur non admittenda. 8.1. & ſeq.

Diſpoſitio.

Probabiliter aliqui defendunt, fide & ſpe ſolis hominem diſponi poſſe ad iuſtificationem vt oportet. 99.6

Opus naturale in ſubſtantia à Deo directum poteſt dici diſpoſitio remota ad gratiam. 121.33

Electio.

Idem videtur: Deus vult te perire, & non vult te adiungere electorum numero. 269.13

Electio & prædeſtinatio ſecundùm modum loquendi Scripturæ, ſæpè ad omnes iuſtos pertinent. 311.& ſeq.38

Ex opere noſtro vt noſtrum eſt, non ſumus electi ad gloriam. 319.43

Quænam voluntas Dei fuerit prima circa electos. 351.64

An eligamur ad iuſtitiam independenter ab omni opere. 349.63

Abſolutè Deus aliter afficitur erga electos, aliter erga reprobos. 351.64

Iuxta Auguſtinum initium electionis conſiſtit in ſeparatione è maſſa damnata. 291.23

Numerus electorum Deo certus, non ex ſola vi præſcientiæ, ſed etiam prædeſtinationis. 373.81

Fides.

Quibus inſpirationibus infidelis ducatur ad fidem. 357.68.& ſeq.

Vt ad fidem habitualẽ duo habitus, ſic ad actualẽ duo actus requiruntur. 358.68

Progreſſus diſpoſitionum ad fidem. 359. & ſeq. 69

Progreſſus à fide ad iuſtificationem. 360.70.

Initium fidei dicitur vel credendi actus, vel credulitatis affectus. 119.30

Finis.

Ordinatè volens vult quod fini propinquius non abſolutè, ſed vt hîc intenditur. 406.31

Voluntas diuina priùs ratione terminatur ad finem, quàm ad media. 329.50

Quo ſenſu verum: Ordinatè procedentem priùs intendere finem quàm media. 328.49

Gratia.

Gratia efficacia in actu primo à ſolo eſt Deo; in actu ſecundo etiam à libero arbitrio. 102.9.& 104.11

Non eſt natura prioritas inter influxum gratiæ & voluntatis. 114.& ſeq.12 *ſed ſolùm rationis eaque mutua.* 7.11. & 105.& ſeq.13

Oblatam gratiam recipere poſſum eiuſdem gratiæ viribus. 129.8

A voluntate pendet vſus gratiæ, non ipſa gratia. 140.2

Gratia ſufficiens etiam in ratione cauſæ prior eſt conſenſu voluntatis, non contrà. 145.7

Gratia efficax ſine prædeterminatione ita ſuadet voluntati vt perſuadeat. 171. & ſeq. 5

Quo ſenſu verum: Facienti quod in ſe eſt, gratiam dari. 95.3. & 115.26

Pugnant inter ſe hæc duo: Deus me mouet gratia efficaci ad credendum, & ego non credo. 195.1

Opus pium eſt totum à gratia, & totum à libero arbitrio. 196.3

In gratia efficaci ſunt tria: vis ſufficiens cum libero arbitrio ad opus, attractio congrua, influxus in opus. 103.11

Attractio eſt eius effectus formalis independens à voluntate. ibid.

In

In voluntatis poteſtate eſt reddere gratiam vel efficacem vel inefficacem in actu ſecundo. 102.9
Non tamen redditur efficax ſolis voluntatis viribus, ſed præcipuè viribus gratiæ. 104.11. & 363.72
Influxus & gratiæ & voluntatis idem eſt reipſa cum actu producto. 106.13
Opus pium non eſt à gratia vt ab integra cauſa. 110.18
Credibile eſt multos in hoc rerum ſtatu plus habere gratiæ, quàm habuiſſent in ſtatu innocentiæ, & contrà. 272. & ſeq. 16
Non dat Deus gratiam efficacem, quia futura efficax; nec inefficacem, quia inefficax. 329.51
Etiam inefficacem dat vera cum intentione ſalutis. 331.52
Quare det, quam nouit fore inefficacem? ibidem.
Vtra gratia ſit melior, congrua ſed phyſicè minor; an incongrua ſed phyſicè maior. 332.53
Gratia eſt efficax à Dei intentione & libero arbitrio: inefficax contra Dei intentionem à ſolo libero arbitrio. ibid.
E duobus inæqualiter diſpoſitis, æqualiter gratia præuentis, cur hic conuertitur, non ille. 198.3

Iuſtus.

Quomodo iuſtis omnia cooperentur in bonum. 301.30
Iuſtis præſtò ſunt omnia ad ſalutem neceſſaria. 63.1
Omnes iuſti ſunt ſcripti in libro vitæ. 314.40

Libertas.

Libertas ab indeterminatione voluntatis, non rationis tantùm, eſt deſumenda. 48.5. & 53. 11
Non diſſentit D. Thomas. ibid. 12
Nec libertas pio operi, nec gratia neganda eſt. 156.9
Potentia libera. 54.13
Ante ſuum actum debet eſſe indeterminata etiam in priori naturæ. 53.11
Suppoſitio determinans, quæ non eſt in noſtra poteſtate, tollit libertatem. 17.17. & 173.10. *Quæ eſt in noſtra poteſtate, non tollit.* ibid. 18. *Idem dic de ſenſu compoſito.* 18.19
Prædefinitio abſoluta tollit libertatem, ſaltem extrinſecam. 274.17
Influxus liberi arbitrij abſolutè dicendus eſt effectus prædeſtinationis. 337.55
Qua ratione hunc Deus velit ſub conditione. 338.55
Actus executiuæ potentiæ ſolùm extrinſecè à voluntate denominatur liber. 209. 11
Implicat voluntatem à motu Dei præuio determinari ad alteram partem, & eſſe liberam. 211.12
Salua fide diſputari poteſt: Num liberum arbitrium à gratia excitatum priùs natura influat quàm gratia. 101.7
Libero arbitrio aſcribendum, quòd gratia hîc & nunc tam intensè influat in opus. 105.13
Quo ſenſu liberum arbitrium gratiam reddat efficacem. 363.& ſeq.72
Prædeſtinationis cum libero arbitrio conciliatio. 372.80
Deus regulariter non habet actum beneplaciti circa actus liberos ante præuiſionẽ determinationis voluntatis. 34.9

Meritum.

Singulorum hominum prædeſtinatio eſt ex meritis Christi. 413.41
Et fides, & fidem præueniens vocatio, ſunt ex meritis Chriſti. 414.41
Meritũ debet eſſe prius mercede. 388.11
Prædeſtinatio quomodo pendeat à merito. 107. & ſeq. 17

Præ-

Prædeſtinatio completa ad gloriam, ſequitur præuiſionem meritorum. 252.6. *& ſeqq.*

Motus.

Motus corporum quomodo pendeat à motu primi mobilis. 26.2

Etiam poſita motione Dei, voluntas poteſt diſſentire. 67. *& ſeq.* 6

Quomodo diuina voluntas dicatur cauſa omnium motionum corporis & ſpiritus. 28.3

Ad deſitionem omnis motus in inferioribus, non ſatis eſt quies cælorum. 27.2

Natura.

Naturalis actus obiectum ſupernaturale imperfectè poteſt attingere. 96.4

Talis actus nec meritum eſt, nec diſpoſitio. 96.3

ſed quædam ad gratiam ſubordinatio. 97.4

Deus Angelis gratiam diſtribuens, ſe accommodat eorum naturæ. 331.52

Paſſio.

Quomodo Deus ſe habuerit ad omnes circumſtantias paſſionis Chriſti. 286.20

Chriſti & Martyrum paſſio non fuit præordinata abſolutè ante præuiſionem malitiæ torquentium. 279.19

Peccatum.

Actus peccati etſi Deo placeat ſecundùm quid, diſplicet abſolutè. 45.18

Deus non poteſt animum hominis inflectere in malum etiam minus. 285.20

Permittit Deus peccata, nullo autem modo ea prædefinit. 288.20

Vtitur Deus peccatis malorum non inclinando, ſed permittendo. 285.20

Prædeſtinatio. Prædefinitio.

Prædeſtinatio variè conſiderata ſpectat ad prouidentiam & miſericordiam. 245.1

Requirit actum intellectus & voluntatis. 246.1

Oratio vnius poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis alterius. 292.23

Prædeſtinatio duplex, completa & incompleta. 247.2. *hæc eſt ad gratiam: illa ad gloriam.* ibid.

Cõpletæ prædeſtinationis definitio. 248.3

Cur non cadat ſub meritum. 249.4

In adultis inchoatur à vocatione ad fidem: à baptiſmo in paruulis. 250.4

Conuertuntur inter ſe, perſeuerare, & Deũ prædefinire perſeuerantiam. 266.12

Quod abſolutè prædefinitum eſt, non pendet in executione à certis medijs ſi plura ea ſint; ſecùs ſi tantùm vnum. 281.19

Complementum prædeſtinationis in noſtra eſt poteſtate. 369.77

Prædefinitio conditionata ante creaturæ determinationem, hac poſita tranſit in abſolutam. 41.16. *&* 335.55

Deus conditionatè prædefinit opera etiam numquam futura. 158.11

Prædeſtinatio poteſt dici cauſa perſeuerandi; ſed non reprobatio labendi. 324.47

Numerus ſaluandorum quomodo præfinitus, & an in eodem ſigno. 341.58

Prædefinitio ſuperueniens operibus liberis ea reddit aliquatenus neceſſaria. 347.62

Quinam effectus prædeſtinationis. 373.81

Omnia bona opera ab æterno prædeſtinata. 373.80

Voluntas ſaluandi mundum prior Chriſti prædeſtinatione. 413.40

Quo ſenſu dici poſſit: Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris. 371.79

Non eſt certum vllos Sanctos (B. Virginem excipimus) prædeſtinatos fuiſſe completè ante præuiſa opera. 335.56.

Prouidentia.

Qua ratione Deus vtatur perfectiſſimo prouidentiæ modo cum hominibus. 346. *& ſeq.* 61

Ex ſolo ſuo beneplacito Deus vſus eſt prouidentiæ modo, quo conuerterentur plures Gentiles, pauciores Iudæi. 310.35

Ad perfectam omnium prouidentiam non requiritur abſoluta omnium præordinatio. 33.8

Ad perfectam prouidentiam ſpectat prævidere quid ex quibus eſſet ſecuturum. 225.14

Poſt lapſum primi parentis, qualis Dei prouidentia. 352.65.*& ſeqq.*

Reprobatio.

Reprobatio eſt pars prouidentiæ, & opus iuſtitiæ vindicatiuæ. 246.2

Diſtinguit à reprobis electos & prædeſtinatio & liberum arbitrium. 350.64

Nemo reprobatus eſt ante præuiſionem finis in ſtatu peccati. 375.82

Salus.

Dum in Scriptura hominibus ſalus promittitur, ſubintellige, ſi perſeuerauerint. 298.28

Et naturæ & gratiæ vires intendendæ in ſalutem. 363.71

Tria ſalutis certiſſima media; oratio aſſidua, ſollicitudo continua, mortis conſideratio. 377.85

Scientia. Præſcientia.

Præſcientia cur non tollat libertatem. 18. 19.*&* 173.10

Futurum à Deo præſcitum infallibiliter fiet, non ineuitabiliter. 131.9

Prius eſt rem fore quàm præſciri. 173.10

Futurum præſcitur vel ex vi cauſæ determinatæ, vel ſolius præſcientiæ. 179.1

Ad perfectam Dei prouidentiam opus ſcientia conditionali. 42.16

Triplex in Deo ſcientia, naturalis, libera, media. 215.1

Qualem hypotheſin requirat ſcientia conditionalis. 216.3

Cognoſcit hæc Deus & certò & diſtinctè. 218.6. *Non tantùm in aliqua creatura diſpoſitione praua.* 219.7.*&* 223.11

Antequam Deus intueatur rem abſolutè futuram, præſcit eam conditionatè. 225.13

Verum.

Futurum ex hypotheſi eſt obiectiuè verum. 227.16

Eius veritas anteuertit decretum Dei liberum. *ibid.*

Eius veritas eſt determinata. 234.7

Voluntas.

Voluntas poteſt in oppoſita etiam ſtante iudicio practico. 56.15

Volens opus aliquod hoc ipſo vult interpretatiuè quod inde neceſſariò reſultat. 11.8

Diſcernit ſe voluntas humana non ſolis naturæ viribus, nec ſolis gratia, ſed vtriuſque. 192.10

A ſeipſa, non à præuio impulſu applicatur ad agendum. 209.11

A ſolo voluntatis imperio potentiæ executiuæ ad agendum applicantur. *ibid.*

In Deo voluntas non abſoluta, ſed conditionata operis, prior eſt eiuſdem abſoluta præuiſione. 335.55

Ne conditionata quidem voluntate Deus vult malum. 44.18

Voluntas dandi gloriam ante præuiſionem meritorum eſt conditionata. 265.12

Actus intellectus non mouet voluntatem, niſi proponendo obiectum. 57.15

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pa.6.in mar.v.5.	ſecundæ	*ſcribe* primæ	201.*v*.4.	ſeipſam	ſeipsâ
7.*v.penult.*	iudicandum	indicandum	209.*v*.27.	requirit	requirunt
11.*v*.12.	minus	nimis	220.*v*.15.	Matth.28.	Matth.26.
11.*v*.27.	nolita	volita	224.*v*.9.	cõſulendum	conſulendos
33.*v*.22.	quoque	quęque	328.*v*.6.	aliquid	aliquod
56.*v*.31.	illius	intellectus	348.*v*.18.	reſpondeo	*adde* eas
64.*v*.28.	ea vtendo	eo vtendo	*Ibidem*	relinquuntur	relinquantur
v.29.	cum qua	cum quo	331.*v*.1.	vt	&
84 *v*.32.	alia	aliæ.	*Ibid.* *v*.4.	hic	ſic
122.*v*.14.	& non	*dele* &	335.*v*.38.	voluntate	*adde* noſtra
123.*v*.10.	proponendum	proponendo	336.*v*.8.	abſolutè	abſolutæ
126.*v*.22.	cuiuſque	cuiuſqua m	338.*v*.34.	affirment	affirmant
140.*v.vlt.*	prædeterminare	prędeterminari	390 *v*.14.	intrinſecam	extrinſecam
145.*v*.7.	ipſam	ipſa	395.*v*.34.	cõſideremus	cõcederemus
176.*v*.32.	ſolam	ſola	396.*v*.5.	conſtanti	conſtant
180.*v*.14.	effectum	effectuum	398.*v*.29.	in Domino	à Domino

Approbatio Superiorum.

EGO Franciſcus Flerontinus Societatis IESV per Belgium Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ad hoc à R^do^ admodum P. N. Præpoſito Generali Claudio Aquauiua præſtita, facultatem concedo, vt hæ tres DISPVTATIONES,

Prima De efficacitate gratiæ, decretis diuinis, libertate arbitrij, & præſcientia conditionata,

Altera De electione & prædeſtinatione Sanctorum, & reprobatione impiorum,

Tertia De prædeſtinatione CHRISTI,

à P. Leonardo Leſſio Societatis noſtræ Theologo conſcriptę, & Doctorum grauiumque Theologorum eiuſdem Societatis iudicio examinatæ & probatæ, typis in lucem euulgẽtur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus Louanij, 25. Nouemb. 1608.

Franciſcus Flerontinus Prouincialis, vt ſuprà.

Approbatio censoris.

Disputatio apologetica R. Patris Leonardi Leſſij Societatis Iesu Presbyteri Theologi profundiſſimi, quę multorum citat & excutit opiniones, & SS. PP. dicta explicat, ad ſententiam Patrum Societatis de gratia & libero arbitrio, quæ in multorum ore ſiniſtra verſatur, aperiendam, vtiliter admodum typis mandari poterit; vt, quid Concilia, quid Patres, tam antiqui quàm recentiores ſentiant, omnibus innoteſcat. Quod teſtor VIII. Maij, M. DC. IX.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis librorum cenſor.

Idem iudicium eſto de duabus aliis Diſputationibus: in quarum altera ratio prædeſtinationis Sanctorum & reprobationis impiorum ex Scripturis & Patribus ſolidè explicatur; in altera verò prædeſtinatio Chriſti ex iiſdem fontibus declaratur.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

Svmma privilegii.

ALberti & Isabellae Clarae Evgeniae Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ,&c. Sereniſſimorum Belgicę Principum Priuilegio cautum eſt: nequis, Leonardi Lessii *è Societate* Iesv *De gratia efficaci, decretis diuinis, libertate arbitrij, & præſcientia Dei conditionata, Diſputationem apologeticam*; itemque *duas alias eiuſdem Auctoris Diſputationes, alteram De prædeſtinatione & reprobatione Angelorum & hominum, alteram De prædeſtinatione* Christi, præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpienſis, intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſas, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xx. Maij, m. dc. ix.

Signat.

S. de Grimaldi.

& in Concilio Brabantiæ,

I. de Buſchere.

ANTVERPIÆ

EX OFFICINA PLANTINIANA

APVD IOANNEM MORETVM.

M. DC. X.

LABORE ET CONSTANTIA.